
SYNOPSIS
UNIVERSÆ MEDICINÆ PRACTICÆ:

Sive Doctissimorum Virorum

DE MORBIS,

Eorumque causis & Remediis Judicia.



AUTHORE

JO. ALLEN M. D.

EDITIO NOVA VENETA,

Ceteris auctior & plerisque in locis diligenter emendata; cui accesserunt celebriorum Veterum Recentiorumque sententiæ, præter ea, quæ in aliis latinis editionibus prostant.

Τῆς αὐτῆς διανοίας ἐστὶ γνῶναι τὰ ὀρθῶς εἰρημένα.
Ἱπποκρατ. περὶ διαίτης.

PARS SECUNDA.



VENETIIS, MDCCLXII.
Apud LAURENTIUM BASILIUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



CAPUT IV.

Sive Fasciculus Morborum quartus.

AFFECTUS CATARRHALES.

Art. 1086. Ffectus Catarrhales, nimirum, Catarrhus, branchus, seu raucedo, & coryza, a se invicem juxta distichon antiquum distinguuntur. *Affectus catarrhales.*

Si fluit ad pectus dicatur rheuma Catarrhus.
Ad fauces Branchus, ad nares esto Coryza. *Differentia.*

Art. 1087. Quando affectiones catarrhales pertinaciter insistendo, consuetis remediis minime cedunt, necesse est, juxta *Chesneau* ad sudoriferam diætam confugere, utpote præstantius auxilium, quod conceptam valde raro spem frustratur. Hanc subinde per 15. 20. atque etiam 40. dies continuare expedit, quo tempore pane biscocto, Amygdalis torrefactis, & carne assa victitatur, addito decocto Guajaci pro iis, qui frigidum, ac pituitosum temperamentum gerunt; aut durioribus alimentis ordinario utuntur; & Cinæ Decocto cum sarsaparilla pro debilioribus, & delicatulis. *Curatio.*

C A T A R R U S.

Ettmulleri sententia.

Art. 1088. Catarrhus proprie dictus est præternaturalis a sero plus minus vitiato in quacunque parte facta alteratio seu functionum læsio. In genere frequentius præcedunt Catarrhos: capitis gravitas, sensuum & actionum torpor, artuum lassitudo; supervenit successive refrigeratio quædam in superficie corporis, horripilatio dorsi levis; in Catarrho graviori febricula lenta. Intensiora sunt omnia symptomata in *calido Catarrho*, adest ardor, dolor, corporis quasi phlogosis, materia excreta est tenuis & corrosiva; remissiora vero sunt omnia in *Catarrho frigido*, ubi lympha est mitis, & excernuntur mucosa, viscida, & crassa.

Curatio. *Art.* 1089. Conveniunt *diuretica*, & inprimis *sudorifera ex salibus volatilibus*, *decoct. e lignis*, speciatim *sassafr. & junip. rorismarini*, *succinum*, *serpillum*, &c. In *Catarrhis calidis*, ubi lympha est tenuis, acris, aut salsa, prosunt *opiata* cum *aromaticis & volatilibus*. In Catarrhis diuturnis conveniunt *vesicatoria* & *fonticuli*. In affectibus catarrhalibus vix habetur par remedium *fumo tabaci*; omnibus enim satisfacit scopis. „ In frequenti usu sunt *decoct. catechu & suffitus ad Catarrhum* Fulleri.

Ventus Borealis. *Art.* 1090. „ Ventum Borealem producendis „ Catarrhis aptissimum esse, præter *Hippocratis* „ testimonium, experientia communis suffragatur. *Vvillis.* „

CA-

CATARRHUS SUFFOCATIVUS.

Lancisii sententia.

Art. 1091. Orthopnœa cum tussi in senibus, si diu humida persistens, statim mutetur in siccam, morbo interim de sua vi nihil remittente improvisam necem, ut plurimum, præsagit: scilicet quod lymphæ copia, quæ suppressa anacatharsi, in pulmone, jam languido, atque obstructo, subsistit, facile parit suffocationem, præsertim si æger intemperatius, aut incontinentius vixerit. *Diagnosis & Prognosis.*

Art. 1092. Tussis vero molesta, & suffocativa ex acri latice, per glandulas arytænoidæas tracheæ, & bronchiorum affatim secreto, si magno cum impetu identidem recurrat, mortem subitam portendit, præcipue si æger vel senex, vel languidus, atque etiam in vitæ regimine sit aliquanto liberior; apoplexia namque pulmonum, quam *suffocativum catarrhum* dicunt, ab irritantium serositatum confluxu, & articulorum pulmonum convulsione, ut cum Hippocrate loquamur, producitur. Quod sane mortis genus nos frequenter vidimus, & primum quidem supra viginti annos in Carolo Pettazzino Aromatario ad Capitolii radices, is enim cum senex esset, atque hujusmodi tussim sperneret, media tandem nocte, ut eidem prædictum fuit, suffocatus interiit. Simili plane modo Romanus Princeps cum podagra, atque hymorrhoidibus vexatus, consenuisset; ob animi tamen pathema, vitæque intemperantiam multis ante mensibus, neque podagræ, neque mariscis amplius esset obnoxius; elapso anno repentina pulmonum, asperæ arteriæ, atque œsophagi convulsione correptus, *Species altera.* *Casus I.* *Casus II.*

reptus, brevi (ut prævisum) totius Urbis cum mœrore decessit.

Vetus opinio. *Art.* 1093. *Ludovici Septalii* ætate adhuc persuasio vigebat catarrhos a capite, in pectus defluere, unde ægris cauterium ad suturam coronalem inustum celebrabatur laudibus, & in communi praxi occurrebat. Hoc vero cum *Montanus*, & *Mercurialis*, aliique docti viri damnassent, ipse *Septalius*, libere testatur quadraginta annorum spatio, quo Mediolani Medicinam fecit, nullum ex iis, quibus cauterium hoc inustum est, quidquam adjutum vidisse; quare observat, Medicis spe sua sæpe fraudatis, exolescere tandem illud, & post haberi merito cœpisse. Hodie vero hujus remedii pro hac affectione memoria, ne quidem in Medicina Practica remansit, quamvis nisi a Lancisio verisimilior causa tradita sit, quomodo a capitis gravedine in pulmonibus catarrhus generetur, quam sane utile erit, paucis exponere, quemadmodum ab Eruditiss. Viri Francisci Scardona Rodigini, dudum contractam referimus.

Opinio recentior. *Art.* 1094. „ Cum enim sanguis a jugularibus venis, in venam subflaviam, a vena subclavia in cavam, ex hac in dextrum cordis ventriculum, ex dextro cordis ventriculo in arteriam, & venam pulmonalem propellatur, liquet serum copiosum una cum sanguine a cerebro glandulas pulmonum appellere posse, & phthisim, seu tabem ex distillatione a capite progignere. Brevior adhuc, & compendiaria via esset, si pluribus iteratisque Cl. Anotomicorum experimentis oscula quædam ex vena azyga in tracheam hiantia, quæ se detexisse Cl. Jo. Maria Lancisius testatus est, paterent usque adeo, ut nullus relinqueretur dubitandi locus. Serum enim acre irritans in

„ ce-

„ cerebro collectum, per jugulares venas refluens
„ in cavam, statim ac pertingit ad locum enun-
„ tiatis foraminulis pervium (est autem a ju-
„ gulo usque ad divisionem tracheæ in bron-
„ chia) minimo negotio in eadem foraminula
„ penetrare, stimulosque excitare valet, tussim,
„ & destillationem, phthisi, ac totius corporis
„ extenuationi in gracilioribus præsertim impe-
„ tum daturam. Hæc fere *Lancisius*, cujus qui-
„ dem sententia, nihil adhuc ingeniosius di-
„ ctum.

Ettmulleri sententia.

Art. 1095. Catarrhus suffocativus est affectus laryngis, in quo hæc & caput asperæ arteriæ, in specie epiglottis, afficiuntur primario ab irritatione ibidem excitata arcturam & quasi stricturam efficiente; certum est sedem mali esse in isto loco; respirationem subito difficillimam reddit, & suffocationem minatur; incipit cum raucedine subitanea, deinde irritatur larynx, stringitur epiglottis, unde metus suffocationis; est quasi complicatio *tussis ferinæ & raucedinis* gravioris: oritur a lymphæ acore vel salsedine. *Catarrhus suffocativus.*

Art. 1096. „ Catarrhus suffocativus est mor- *Curatio.*
„ bus, siquis alius, plerumque revera peracu-
„ tissimus hominem fere dicto citius jugulans;
„ propterea omni arte properanda est cura, fe-
„ stinanter instituendo multiplicem humorum,
„ divaricationem, per venæsectionem, cucurbi-
„ tulas cum scarificatione, enematum acrium
„ injectionem, vesicantium applicationem, ar-
„ tuum fortem deligationem, *quam magni fa-*
„ *cio*, & sequens cataplasma plantis pedum ap-
„ ponendum suaderem; ℞. *Herb. ranunculi flam-*
„ *mei minoris contus. p.* iij. *fimi columbin. p.* j. *pulv.*

„ *euphorb. p. ß. sapon. nigr. q. s. acet. parum contun-*
„ *dantur*, *&c.* Author noster *Ettmullerus vomi-*
„ *toria & opiata* proponit, sed in paroxysmi
„ articulo ambo suspecta habeo. Usui interno
„ conducunt medicamenta *volatilia & nervina*
„ *dicta*, *item oleosa & mucilaginosa*, *privatim*
„ *albumen ovorum cum syrup. de althæa conquas-*
„ *satum & cum tantilla aq. nephrit. dilutum*. Ex-
„ tra paroxysmum *remediis antiasthmaticis*, *&*
„ *ad catarrhum proprie dictum usitatis recidiva-*
„ *tio præcavenda est*.

Historia. *Art.* 1097. „Medicus quidam juvenis, athle-
„ ticus, oppido vicino degens, præeunte per
„ biennium raucedine, in hunc morbum subi-
„ to lapsus intra spatium 24. horarum mortuus
„ est. Ipse & adstantes *angina* laborasse existi-
„ mabant, etiamsi nullus tumor gutturis ade-
„ rat, intus aut extrorsum, deglutitio neutí-
„ quam impedita, &c. Hora extrema implora-
„ bat meum auxilium, morbum fuisse *catar-*
„ *rhum suffocativum* admonui; statim ac locu-
„ tus fueram, ægrotus ipse, qui adhuc mente
„ constabat, agnovit morbum. Cucurbitulas il-
„ lico affigendas imperavi; sed priusquam chi-
„ rurgus officium inchoare poterat intra horæ
„ quadrantem animam efflavit. Quatuor alios
„ hoc morbo exitiali tentatos novi, quorum
„ duos tantum servatos vidi.

Alia species. *Art.* 1098. Est etiam alia species catarrhi suf-
focativi, ubi sanguis in pulmonibus stagnat; & moriuntur ægri ex syncope (est forsan *polypus cordis* vel in vasis sanguineis majoribus) ejicitur spuma ex ore; Catarrhus hic suffocativus cognoscitur ex dolore pectoris gravativo, difficultate respirationis, & suffocationis metu, voce fere intercepta, anxietate ægri, interdum tussi, non semper; screatu non multum emittitur; appellatur etiam *syncope cardiaca*.

Art.

Art. 1099. Convenit *venæsectio* quam ocissime, *spermat. cet.* a ʒß. ad ʒj. in appropriato vehiculo insigne levamen adfert, *sal. succini*, *antimon. diaphoret.* & alia *sudorifera*, item *gum. ammoniac. crocus* est summarum virium in hoc casu. *Curatio.*

Farrago sententiarum.

Art. 1100. Differentia inter catarrhum, & rheuma ad evitandam vulgarem confusionem hujusmodi est: 1°. Rheuma plus sanguinis stricte dicti involvit, quam catarrhus, qui seroso-mucidæ magis est craseos. 2°. Rheuma febriculam qualemcumque semper comitem habet, quæ tanto fortior, & acrior est, quanto plus sanguinea substantia altius ad partes seriferas diffunditur, cui congestionis rheumaticæ aliquando otalgia, cum vel sine dura inflatione parotidum supervenit; catarrhus autem simplex nulla febre stipatus est, sed cum demum eamdem habet comitem, quando sanguinæ portiones his stasibus accedunt, & corruptionis periculum minantur. 3°. Rheuma ad exitum non pervenit, sed dolore premente tendente, immo interdum lancinante, ac fremebundo percellit; in catarrho autem materia seroso-mucida excernitur. *Junckerus.* *Differentia inter catarrhũ & Rheuma.*

Art. 1101. Si ita effundatur humor in pulmones, ut gravissimam tussim, metum suffocationis, exulcerationis, vel rupturæ venæ acerrima vi afferat; tunc misso sanguine, si opus sit, vel etiam illico, & ante purgationem sistere licet hunc effrænem motum. *Curatio.*

Art. 1102. Ubi ad pulmones, & thoracem, quin, & ad fauces irruit materia, sive tenuis sit, sive crassa, gargarismata numquam in usum vocanda, ex motu enim attracta materia, sæpe *Gargarismata periculosa.*

pe suffocationis periculum infert. Quin & ubi partes spiritales repletæ sunt materia crassa, & si homo tabi aut asthmati obnoxius sit, a gargarismis abstinendum. *Septalius*.

Remedia utiliora in catarrho nimis viscido. *Art.* 1103. In Pectoris, & pulmonum catarrho conferunt Syrup. ex prassio, hyssopo, tussilag. heder. terrest. Nicotiana; oxymel; & Lohoch scillitic. fœcula ari; extract. & pulv. rad. Irid. Florent. & Illyr. flor. sulph. butyrum, & rubinus ejusdem, ol. sacchar. cum aq. ardente paratum, Julap. vitale, sed efficacius Elixir Proprietatis ex descriptione Helmontii: Item fumus sulphuris, succini, fol. salv. & betonic. optimus si tussim excitare expediat; pariter juvat succus pulegii sacchar. cretico dulcoratus, atque per intervalla cochleatim exhibitus, qui tussim pertinacem maxime puerorum sanat ex *Boyle*. Idem præstabitur inunctis plantis pedum essentia pulegii, vel ejusdem succo mixto cum aqua ardente.

Remedia in catarrho acri & salso. *Art.* 1104. Quodsi humor defluens salsedinem aut acritudinem sapiat, timeaturque de pulmonis læsione, ad corrigendam illius acritatem salsilaginemve summe confert iteratus usus pillularum de cynoglosso, vel de styrace. Ejusdem est efficaciæ pulvis anodynus D. *Michaelis*, Theriaca recens, & Laudanum opiatum. Prosunt etiam pilulæ ex styrace calamita, cum olibano, myrrha, & opio Thebaico mixtis, & succo glycyrrhizæ exceptis, ut apud Schroederum.

Præservativa. *Art.* 1105. Ad diminuendam vero peccantis lymphæ copiam, exhiberi poterit extractum agarici, & resina jalappæ cum modico gummi tragacanthi: & quidem salutares observatæ sunt pillulæ compositæ ex resin. jalapæ ℈j. tragacanth. gr. vij. Cinamomi acuti parum ad tempus repetitæ: itemque pillulæ e mastichæ solutivæ.

Ad sedandum Catarrhum sequens electuarium con-

consulit *Crato* ad castaneæ quantitatem sumendum, quod habet: *Thur. maris* ℈ij. *Nuc. condit. tost.* ℈j. *spec. aromat. ros.* ℈. *sem. quæ rosarum punicarum conditura excipiuntur.*

Ejusdem Auctoris pilulæ ex succino efficacissimæ referuntur: sicut etiam quæ constant: ℞. Thur. maris succ. glycyrrhiz. ana ʒj. Opii, Croci, Myrrh. ana ℈j. Syrup. pap. alb. q. s. m. f. massa, cujus dosis est a gr. vij. ad x.

Thus ipsum hora somni deglutitum optimum est cum Balsamo Peruviano, sed *Lotichius* laudat anis. ol. gutt. iij. opii præp. gr. j. Thur. ℈j. Syrup. de Pap. q. s. *Riverius* describit ex *B. Faventino* pillulas ex succo glycyrrhiz. aloe lota, & pilul. de cynogloss. cum syrup. violac. Ab *Hartmanno* probatur aqua serpilli, cum vino albo generoso destillata, & quotidie sumpta ad unum, vel alterum cochleare. Vult tamen F. Hoffmannus in ea infundendum esse lignum sassafras. Adr. Mysicht aliam serpilli aquam, benedictam nuncupatam ad Catarrhum præstantissimam conficit.

RAUCEDO.

Æginetæ sententia.

Art. 1106. Si excrementitii humoris a capite ingguttur, & asperam arteriam delatio fiat ita, ut interiorem membranam ambientem exulcerarit, & salebrosam reddiderit, vox raucosa comitatur, appellantque affectionem Branchum, sive Arteriacum, latine Raucedinem: in quibus non a capite modo, sed ex vehementiore vociferationis conatu, & a gelidi aeris inspiratu, asperitas provenit cum inflammatione. *Diagnosis.*

Art. 1107. Hoc malum si diutius propagatur, *Prognosis.*

tur, fluxusque in pectus, pulmonesque decumbit, maleficæ ac pertinaciores generantur tusses.

Curatio causæ calidæ. *Art.* 1108. Si arteriam laryngaque occupaverit inflammatio, inter initia statim, quæ tectorii modo illinuntur, remediis meatus obstruentibus; tantisper dum inflammatio moderatior reddatur, utendum est: cujus generis sunt confectio passi Cretici, gummi tragacanthæ, & amyli. Pinguium item palmularum decoctum, & dulcis radicis cum sapa ad mellis crassitudinem: ususque hypoglottidum, sic quod sub lingua teneantur appellatarum (nos vero rotulas seu trageas dicimus). Sed tunc ante omnia vino abstinendum: dulce autem vinum, si inflammatio remissior evaserit potui detur. Et bellaria ex melle, & lacte cum amylo, aut pane siligineo, sorbitionesque ex amygdalis, atque butyrum assumantur.

Curatio causæ frigidæ. *Art.* 1109. Cum vero humiditas aliqua artus occupat (seu quando raucedo a lympha potius seu ab humore frigido, ac ab inflammatione humoriqui acri, & calido proficiscatur) vehementius abstergentia aggredienda sunt; qualia fabaceum lomentum, & quæ ex melle conficiuntur; brassicæ item, & porrum probe decoctum. Pharmaca porro magis calorifica, & quæ ad tussim faciunt, accommodata sunt. Eaque tandem quæ sapa, ex ficis pinguibus, Thure, iride, terebinthina, styrace, galbano, pipere, cinamomo, cassia & similibus consiunt.

Ettmulleri sententia.

Raucedinis sedes & causa. *Art.* 1110. Raucedo seu raucitas est vocis diminutio; pars affecta est aspera arteria ejusque larynx; larynx enim primario format vocem;

causa

causa proxima est nimia effusio lymphæ tenuis. Est affectus *catarrhalis* a lympha acriori, salsiori, aut acidiori.

Art. 1111. In Raucedine contumacissima *sperm. ceti* est expertum remedium, item decoctum *raparum*, *rob. passularum*. In Raucedine inveterata, ubi mucus viscidus aut lympha crassa peccat, *incidentia* & *expectorantia* conveniunt, & præ cæteris *syrupus de erysimo*, & *oxymel scilliticum*, & *balf. sulph. venæsectio* vitanda, nam morbum diuturnum reddit. *Curatio.*

Art. 1112. „ Interdum *vermes in intestini*, „ sunt causæ *aphoniæ* vel Raucedinis, ut in pra„ xi vidimus. " *Extractum pectorale*, *lohoch. ad* „ *raucedinem*. *Lohoch. vitellinum*. *Lac ebutyra*„ *tum*, &c. *Vermes.* *Remedia varia.*

Farrago sententiarum.

Art. 1113. Observavit *Hippocrates* a fluxione materiæ rheumaticæ acris, & causticæ in pharyngem oriri raucedines cynanchas, erysipelata, peripneumonias, & quamdiu materia in tali intemperie existat, perdurare priora pathemata, si vero spissescat, & concoquatur eadem minui, & febrem si quæ adest, solvi. Præterea raucedinis seu obscuritatis sermonis causam, aeris obscuritatem fore; nam eædem post æstatem siccam, & borealem fiunt, & autumno vigente pluvioso & australi. *Causæ procatartica raucedinis.*

Art. 1114. Ex eodem etiam sequentes prædictiones habemus. Raucedines, & gravedines in valde senibus non concoquuntur. In insania raucedo cum tussi morbum solvit. Sed in hepatico fluxu raucedo mala, maxime si cum tussi fiat. Vigente autem raucedine sputa viscosa, *Prognosis.*

& sal-

& salsuginosa mala sunt, etiamsi aliquid attollatur juxta pectus.

Observavit *Hælvigius* raucedinem in sexu fœmineo contingentem mensium obstructionem interdum pro fundamento habere, quo intuitu venæ sectionem commendat.

Curatio. *Art.* 1115. Ad stricturam partium glandulosarum relaxandam, & acrimoniam obtundendam exhibeantur lubricantia ex. gr. ol. amygdal. dulc. syrup. liquirit. de erysimo *Lobelii*, capilli vener. violar. juscula mucilaginosa raparum avenæ, hordei, decocta ex herbis Veronicæ, hyssopi, Salviæ, hederæ terrest. sem. anisi, fœniculi.

In Raucedine a catarrho etiam cum febre sanguis e venis superioribus ne mittatur. Nam capite refrigerato augetur malum (si nempe a causa frigida veniat) Baptist. Condronch. de vit. voc. Lib. 2. cap. 3.

Pulveres adstringentes in raucedine a causa frigida, vel resolventes, & nitratæ a causa calida, non sunt in fauces flatu, sed cochleari vel specillo concavo indendi.

Quo magis humores acres biliosique in hoc affectu peccant, eo melius conducunt absorbentia intus sumpta cum nitro, & antimoniato quodam fixo combinata, conjuncto leni regimine diapnoico.

In causa scorbutica, venerea, & phthisica, primarii affectus respiciendi sunt.

CO-

C O R Y Z A.

Celsi sententia .

Art. 1116. Distillans humor ex capite in nares, easdem claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet, sub eadem salsa est saliva; sonant aures, venæ moventur in capite, turbida urina est. Hæc omnia Coryzam *Hippocrates* nominat. *Diagnosis.*

Art. 1117. Ægro igitur, cui in nares, vel in fauces hujusmodi destillavit; protinus primis diebus multum ambulandum est, perfricandæ vehementer inferiores partes; levior frictio adhibenda thoraci erit, levior capiti; demenda assueto cibo pars dimidia; sumenda ova, amylum, similiaque, quæ pituitam faciunt crassiorem. Siti quantum maxime sustineri potest, pugnandum est. Ubi per hæc idoneus aliquis balneo factus, eoque usus est, adjiciendus est cibo pisciculus, aut caro; sit tamen ne protinus justus modus cibi sumatur. Vino meraco copiosius utendum est. „ Nam si materia calida „ sit, balnea calida potabilium, & dulcium a„ quarum convenient; ita enim temperatura „ in melius transmutatur, & generati in capite „ vapores discutiuntur; sin frigida est materia „ distillationem faciens; tum balnea aquarum „ natura sua calidarum convenient; neque fue„ rit inutile oleo irino, aut simili aliquo ca„ put illinire. " *Curatio.*

Ettmulleri sententia .

Art. 1118. Coryza, sive narium catarrhus, est quando copiosa lympha tenuis, & acris in prin- *Coryzæ descri-*

prio & causa. principio per nares defluit, & postea materia crassa, tenax, varie colorata cum dolore capitis gravativo, ab aere inclementiore ut plurimum ducens originem, rarissime a causa interna. Frequentissime recurrens periculum est, ne *ozænam* vel *polypum* producat.

Curatio. *Art.* 1119. Coryzam inchoantem curant *naribus applicata*, & ore *masticata*, *suffitus*, *odoramenta*, *illinitio narium cum ol. anisi* ante excoriationem, item *oleum succin.* vertici illitum, *ol. caryophyl.* cum bombyce naribus intrusum; *balsam. apoplecticum*, &c. quandoque in usum veniunt. Ad Coryzam præcavendam suffitus ex *fumo succini*, *mastich. oliban. gum. anime*, &c. multum juvant, sed hæc in principio; si morbus ulterius progrediatur; conducunt *sternutatoria* cum *ol. chym. cinnamom.* vel *caryoph.* vel *ol. majoranæ*.

Remedia varia. *Art.* 1120. Decoct. *catechu compositum* (in catarrho tenui præ aliis fere omnibus) *decoct. rosar. lohoch. japonicum*, *lochoch. vitellinum*, *suffitus ad catarrhum* (fumus, pallio similive tegumento capite prius tecto, naribus attrahatur,) *tabellæ domesticæ*, &c. sunt remedia in Coryza usitata.

Farrago sententiarum.

Procatartica coryzæ causa. *Art.* 1121. Coryzæ causa frigida esse videtur, tamen exulcerat calore quodam interno; & salsedine nares, qua transit. *Ballonius de Arthrit.* qui alibi (*de virg. & mulier. morbis*) addit etiam: qui coryzæ sunt obnoxii si febricitant facilius liberantur.

Quibuscumque gravedo innascitur, & fluxus per nares movetur, hic ut plurimum acrior est

eo,

eo, qui prius erat, & quotidie ex naribus prodibat, & tumescere facit nasum, & exurit calentem, & extreme ignitum: si vero manum admoveas, & diutius perseveraverit etiam exulceratur locus minime carnosus, & durus existens. Sedatur autem aliquo modo ardor in naribus, non quum fluxus prodit, & inflammatio consistit; sed postquam fluxus crassior, & minus acris, concoctusque, & magis permixtus priore fuerit, tunc sane jam etiam ardor cessat. Rursus autem aliis ex frigiditate ipsa sola manifeste gravedo fit, nullo alio accedente. Omnibus autem liberatio hæc est, ut ex frigiditate quidem affecti percalfiant, ex ardore vero perfrigerentur. Atque hæc brevi accedunt, & concoctione nulla opus habent. Reliquæ autem omnes fluxiones, quas propter humorum acrimonias, & intemperantias ego fieri sentio, restituuntur, & curantur, ubi temperatæ fuerint, & concoctæ. *Hippocr. de vet. Med.*

Observat *Ludovicus Mercatus* initio morbi in sicca, & crassa coryza tenuem quamdam lympham exstillare, quæ temporis defluxu magis spissa, & crassa redditur.

Multiplex coryzæ distinctio.

Art. 1122. Jo: Langius Coryzam distinguit in humidam, & siccam, quia in illa serum mucosum libere per nares transit, in hac contra inibi hæret, & meatibus obstructis spirandi difficultatem, & loquelæ vitium inducit; tum etiam, cum ceteris omnibus, distinguit in frigidam seu insipidam, & in calidam seu acrem; observatque hanc posteriorem ex auctoritate *Helmontii* & *Cratonis* contagiosam fore; quare cum hoc in Germania populariter sit evulgatum, non facile ex eodem poculo, e quo coryza laborans potum hausit, alii bibunt. Notatu etiam dignum est coryzam, quandoque ex quadam aeris consitu-

ſtitutione Epidemice graſſari, quia eodem tempore plurimos una exercet.

Prognoſis. *Art.* 1123. Defluxionem humorum ex capite ad naſum, ſeu coryzam levem quidem eſſe morbum teſtatur *Celſus*; diverſæ tamen dantur circumſtantiæ, & conditiones, quæ morbum hunc, alias leviſſimum, curatu faciliorem, vel difficiliorem, periculoſum, vel minus talem reddunt. Quamobrem *Mercatus* ait: utcumque ſit, cavendum eſt, ne nimium protrahatur affectio; quippe ſi conſuetudinem capeſſerit, graviſſimos, & difficiles morbos ſequi neceſſum erit; omnium tamen graviſſimos, ſi quæ fluunt, acria, mordacia, ſalſuginoſa, nitroſa, vel nimis tenuia fuerint, aut viſcida, & plurimum adhærentia: quippe in ulcerationem protinus ducit partem, ad quam fluit, & majora mala accerſit. Certe ſi ſeri nimia copia, vel acrimonia ſcorbutica, vel venereum virus in tali corpore latitet, difficilior longe erit curatio. Præterea gravedines in ſenectute eſſe ex numero morborum diuturnorum, ac proinde ſenes comitari uſque ad mortem, aſſeruit *Hippocrates*.

Remedia interna. *Art.* 1124. Si internum adſit humorum vitium, hujus correctionem non minus ac cauſarum antecedentium, & occaſionalium remotionem Medicus moliatur oportet. Quare præmiſſis iis, quæ primas vias abſtergunt, & corruptum chylum educunt, ad ea, quæ acrimoniam corrigunt, viſciditatem attenuant, & per ſudorem, vel urinam etiam evacuant confugiendum eſt, præ ceteris ad remedia, quæ ex junipero, lign. guajac. ſaſſafr. myrrh. ſuccino ſimilibuſque parantur, tum etiam ad bolum Armeniam, & Theriacam, quæ duo affirmavit Aſclepiades incantamenti inſtar ſiſtere, atque corrigere catarrhum. At ſi profundas nimis egerit morbus radices,

dices, & contumax fuerit, palliativis, utendum inter quæ fonticuli, veſicatoria, & ſetacea brachiis, nuchæ, aliiſve locis applicata primas obtinent.

Art. 1125. Externe vero: ſi tenuis acriſque adſit coryza, nares unguento pomato, & oleo, aut unguento roſato *Foreſtus*, oleo vero nucis moſcatæ expreſſo item ol. amygdal. dulc. & unguent. ex fl. ſalicis, ocymi, viol. martial. roſ. conquaſſatis, & oleo roſaceo coctis *VVeickardus* inungi jubent. Præter hæc, & ſuffitus varii ex gummi animè, qui ab *Hartmanno* & *Jonſtono* adeo probantur, aut ex maſtice, ſuccino, thure, benzoe, ſtyrace, gummi hederæ, aliiſque, qualium deſcriptiones *Sennertus* & *Barbette* tradunt, plurimum laudantur, qui naribus mediante vaſe anguſti, oblongique oſculi, quod e *Vidio Florentino*, & *Jacobo Hollerio Marcus Aurelius Severinus* delineat: aut ope fiſtulæ vitræ tubæ ſimilis ab eodem Auctore e *Bartholomeo Montagnana* depictæ, excepti, tranſmittuntur. *Externa.*

PHLEGMATORAGIA.

Junckeri ſententia.

Art. 1126. Phlegmatoragia eſt verus continuus fluxus, ſeu ſtillicidium limpidi phlegmatis e naribus, qui itidem a congeſtione humorum verſus caput hæmorragiam narium reſpiciente originem ducit. *Definitio.*

Art. 1127. Præcedunt hunc morbum congeſtiones ad caput moleſtæ per ſenſum oppletionis, gravitatis, & preſſionis, tum ſuccedit ſtillicidium limpidi phlegmatis per nares, quod poſt effluxum plurium guttularum ſponte ſua iterum ceſſat, atque inde ſenſus gravitatis cir- *Diagnoſis.*

ea oculos, & nasi radicem conjunctus invenitur.

Casus. *Art.* 1128. „Rara quidem hujusmodi affectio „est, quam tamen describit Bonnetus in Anatom. Pract. lib. 1. §. 70. obs. 10. Ipse quoque „novi mulierem, quæ per octo menses tam copiosa Phlegmatoragia laboravit, ut plures seri „limpidissimi heminas per nares egesserit. Erat enim perpetua serie naso distillatio, quibusdam diei horis mitior, aliis contra crebrior, & abundantior. Fucis erat assueta, & „hystericis affectionibus exercebatur. Plurimis „incassum tentatis ex lactis usu liberata est. "

TUSSIS.

Cœli Aureliani sententia.

Tussis quomodo & quos corripiat. *Art.* 1129. Tussicula nunc arida, nunc humecta in corpora irruit, multos ac pingues humores excludens: & quibusdam sola, quibusdam adjuncta respirationis dificultate, quam Græci *dispnoeam* vocant, item sanguinis egestione, aut phthisica passione, vel horum similibus affectis corporibus.

Eadem idiopatica. *Art.* 1130. Sed de iis tussiculis, quæ aliarum fuerint appendices passionum, singulatim scribentes docebimus; de iis vero, quæ suæ sunt, atque propria vexatione corpus afficiunt, nunc tradimus curationem; quæ ita erit adhibenda, ut de catarrho scribentes docuimus: discreta scilicet specie, quo possint electaria, atque pota medicamenta, vel catapotia, sive alia quæque sub regula medicinali recte mederi corporibus.

Nota bene. *Art.* 1131. Monendi etiam ægrotantes, ne ultra modum competentem retinendo spiritum irritent potius, quam mitigent tussiculam, quod quidem, si fuerint moderati, ejus motum facilius

lius amputare datur, quam nimis spiritum continendo. Quidam namque retentionem spiritus in hoc morbo utilem judicarunt; nec sine ratione; nihil enim magis ad citam tussis curationem confert, humorumqne influxum prohibet, quam initio non tam spiritum, quam perpetuum tussiendi conatum, quantum licet, cohibere.

Art. 1132. Tum *vasculum cum infundibulo* supponendum, per quod æger adducto spiritu accipiat vaporem mulso, vel alica, aut succo ptisanæ: vel eorum quiddam sorbeat: aut ex aqua calida vaporem accipiat. *Remedia.*

Videnda etiam uva, ne ob tumorem sui, aut inducta laxitate tussiculam provocet. Tum gargarismatibus, vel inunctionibus utendum circa thoracem atque gutturis summitatem, Græci anthereona vocant, Epithemata etiam apponenda, nunc laxativa, nunc constrictiva, quorum species ex ante dictis erunt accipiendæ, ne sæpius eadem dicere videamus.

Ettmulleri sententia.

Art. 1133. Probe distinguendum est; an tussis humida sit ex *pectore*, an ex *stomacho*, an a *nervis*. Percunctandum est, ubi ægri percipiunt tussiendi stimulum; an in larynge seu aspera arteria, vel pectore, vel inferius circa scrobiculum cordis; nam posterior locus *tussim stomachalem*, priores *pectoralem* innuunt; jubeatur æger profundius respirare; sic enim tussire incipiet, si vitium sit in pulmonibus; secus si in stomacho. Sonus in tussiendo ex profundo quasi raucus pulmones affectos indicat, superficialis asperam arteriam. *Tussis. Distinguendum est an sit a pectore vel ventriculo, &c.*

Art. 1134. Nullus practicorum aliquid habet *Tussis stomachalis.*

 de

de *Tussi stomachali* præter *Lindanum*; mihi (inquit) est compertum pluribus observationibus, plerumque Tussim esse ex ventriculo: ubi autem materia latitet, & unde procedat, ex sono dicere possum, qui variatur pro materiæ & loci conditionibus; si materia sit tenuis, & in ventriculo delitescit, furibunda Tussis est, in qua vix aliquid egeritur, licet cum summo conatu tussiant (omnis Tussis in principio *sicca* progressu temporis evadit *humida*.)

Curatio. *Art.* 1135. Ad expectorationem promovendam convenit succus *raphan.* recens expressus cum *pauco sacchar.* temperatus; Tussis humida stomachalis cum *vomitoriis* & *stomachicis* curatur, sancte testor, quod ex usu *vomitoriorum* ne minimum noxæ observaverim; *purgantia* non conducunt, *mercurius dulcis* vero primum obtinet. *Elixir proprietatis* & *balf. Peruv.* laudantur. Tussis sicca, nocturna, pectoralis, catarrhalis dicta, ex lymphæ vitio, & exinde irritatione, optime curatur per *volatilia*, *sudorifera*, & *opiata*, etiamsi febris conjuncta fuerit. *Flores benzoes*, *sperma ceti*, decoctum *raparum*, succus *glycyrrhiz.* &c. laudantur. In Tussi sicca chronica *phthisin* minitante, ubi peccat lympha, egregium est decoctum *e lignis cum passulis*, &c. Decoctum *raparum* in omni Tussi sicca, vel catarrhali, vel pectorali, vel stomachali est nobile remedium, quod aliis irritis vidi optimum.

Sydenhami sententia.

Tussis epidemica. *Art.* 1136. Tusses aliquando sunt *epidemicæ* nemini fere parcentes: Hæ pendent plerumque a febre aliqua constitutionis prægressæ, tanquam a morbo primario; ideoque quando cum febre implicentur, respiciendum est ad istius morbi ge-

genium; cum vero tusses sine febre contingant, curandæ sunt sola a *carnibus* abstinentia, moderato *exercitio*, & *ptisana pectorali refrigerante*: quandoque vero tusses *epidemicæ* ad tussim puerorum *convulsivam* quam proxime accedere videntur, & tunc eamdem fere postulant medelam, viz. *venæsectionem & catharsin*.

Art. 1137. Tussis recens (*phthisi* nondum confirmata) sola abstinentia a *vino & carnibus*, & usu *lohoch. ex ol. amygd. dulc.* &c. & *tab. domestic. seq.* ordinario subigitur; ℞. *Sacchar. cand.* ℔iß. *coq. in q. s. aq. font. usque dum adhærescat extremis digitorum, tum add. pulv. glycyrrhiz. enul. campan. sem. anis. angel. ana* ʒß. *pulv. irid. florent. sulph. ana* ʒij. *ol. anis. chym.* ℈ij. *f. s. a. tabellæ*. Sin vero, his tentatis, superstes maneat (præcipue si febrem comitem habeat, vel a *peripneumonia* vel *pleuritide* originem ducat) ineptum fuerit *pectoralibus* fidere; sed *venæsectione* & *catharsi* debellanda est; si autem denique huic methodo non cesserit, tum capiat æger *balsam. Peruv. gut.* x. *in coch.* j. *syr. heder. terrest.* ter in die superbibendo ʒiij. *decoct. amar. sine purgantibus*; sed in tussi diuturna vel phthisi omnibus aliis præsidiis *equitatio* (492.) palmam facile præripit. *Curatio.*

Farrago sententiarum.

Art. 1138. Si Tussis a catarrho oriatur, curatur ut *catarrhus*; ℞. *Terr. catechu.* ℈iv. *sacchar. penid. in aq. ros. solut.* ʒvj. *mucilag. gum. tragacanth. q. s. f. trochisc.* si sub linguam teneantur, tussim curant, (inquit *Bonetus*) viscidam & tenacem pituitam bene solvunt, eamque commodam expectorari reddunt, quare in his affectibus pulmoniacis mihi in frequenti est usu, semperque meo desiderio respondet hoc remedium. *Terra catechu, & alia remedia.*

Remedia nonnulla alia melioris notæ sunt, quæ sequuntur, viz.

Syrupus ex allio sequens;

℞. *Rad. enul. campan. incis.* ℥iv. *zinzib.* ʒvj. *rad. liquirit.* ℥vj. *coq. in aq. font.* ℔vj. *ad* ℔iv. *sub finem add. lobul. allii tenuiter incis.* ℥iv. *sem. anis. contus.* ℥iß. *colatur. add. sacchar. q. s. ut f. s. a syr.* Pharm. paup.

Trochisci balsamic.

℞. *Balsam. Tolutan.* ℥ß. *pulv. rad. irid. enul. campan. ana* ʒij. *gum. arab. trag. ana* ʒj. *flor. benzoin.* ℈ij. *sacchar. cand.* ℔ß. *omnibus in pulv. subtil. redactis cum q. s. mucilag. gum. tragacanth. f. s. a. trochisci.*

Item. *Balsam. sulphuris anisat. & extractum pectorale, Lohoch. rub. & Lohoch. myrrhisat. præcipue* Fulleri *in recenti Tussi conveniunt.*

Admonitio. *Art.* 1139. Discant ægroti Tussi laborantes, tempore idoneo, & cum morbus altas nondum egit radices, validisque adhuc viribus, remedia adhibere.

Principiis obsta, sero medicina paratur;
Cum mala per longas invaluere moras.

Curatio tussis ab humore tenui. *Art.* 1140. Quando lympha pura tussi excreatur, sequens Julappium confert. ℞. *Fol. consolid. major. man.* j. *rad. alth. unc.* ij. *jujub. num.* xv. *dactil. absq. nucleo num.* x. *aq. commun. lib.* iij. *coq. per hor. dimid. & colat. add. sacchar. lib.* ij. *& f. julap.*

Summis laudibus hoc remedium extollit Auctor Diction. Medicinal. pro tussi a tenui humore facta, modo æger subinde parvum cochleare

de

de eodem, cum aquæ cyatho ingerat. Monet insuper, ut purgantia omnia vitentur, quæ irritatione sua tussim exasperare possunt, & ubi necessitas urgeat injiciendos clysteres jubet, ex fol. malv. alth. verbasc. & melle, vel sesquiunciam saltem mannæ, cum parvo seri lactis cyatho ingerendam.

In hujusmodi tussi vaccinum lac, cum aquæ hordei æquali quantitate mixtum mane, & vespere quotidie plurimum etiam conducit, modo febris absit, quæ ejus usum in omnibus quidem morbis omnino prohibet. Vomitoria itidem valde opitulantur, ni contraindicans aliquod obstet.

Art. 1141. Quodsi humores tussi redditi viscidi sint crassique, nec lac, nec julappia, nec quidem incrassantia quævis amplius conveniunt, sed vomitorio imperato, sequens Ptisana pro potu communi instituatur. *Cura tussis ab humore crasso.*

℞. *Puleg. hyssop. ana man.* j. *irid. florent.* ℥ij. *aq. commun. lib.* iij. *coq. ad tertiæ partis diminut.* de qua æger bibat quatuor, aut quinque cyathos quotidie, præcipue mane stomacho jejuno, & vespere. *Ptisana I.*

Loco hujus ptisanæ altera item substitui potest, quæ hujusmodi est.

℞. *Heder. terr. man.* j. *herb. capillaris cujusvis, vel de omnibus tantumdem, aq. commun. lib.* iij. *ebull. per hor. quad. & in fine ebullition. add. fol. pap. Rhœados man. sem. colatura sit pro potu ordinario præcipue mane, & vespere.* Æger autem quotidie cubitum iturus cum hac assumere poterit antihect. Poterii gr. xx. & per decem vel duodecim dies, ejus usum continuabit. *Ptisana II.*

Quæ autem sequitur ptisana pro, hujusmodi tussi admodum efficax invenitur. ℞. *Salsaparil. chinæ ana unc.* j. *bulli per horæ quadrant. cum* *Ptisana III.*

aq.

aq. font. lib. v. *in fine ebull. add. heder. terrest. hyssop. ana man.* j. *colat. sit in potum quotidianum.*

Cura rheumatis pectoris. *Art.* 1142. Methodus qua idem Auctor Pectoris Rheumata curanda consulit, ita se habet. Quoniam nullum Rheuma adest, quin perspiratio intercepta fuerit, atque per consequens, quin vasa admodum inflata ac plena inveniantur, absque mora venam brachii tundere expedit. Phlebotomia enim specificorum remediorum ad hunc morbum, veluti præludium est, sine qua eadem sæpissime incassum cedunt; si vero contra statim adhibetur pectoralia leviora cito morbum solvunt. Ex pectoralibus vero nullum præstantius mihi notum est sequente.

♃. *Sp. vin. combusti cochlearia* ij. *ol. amygdal. dulc. absq. igne express. mell. ana cochleare* j. *agitent. simul, & concutiantur, atque per tres successivos dies, æger cubitum iturus totam capiat dosin.*

Potio. *Art.* 1143. Neque suo arbitrio relinquenda sunt Rheumata, intuitu quod periodum suam explere debeant. Remedia enim quibus utendum est, oportet sint attenuantia, & aperitiva; inter quæ, utut vulgaria videantur, nos hic apponere non piget, quædam aliquo effectu interdum non expertia.

Potio altera. ♃. *Sperm. coet.* ʒ *sem. syrup. de hyssop. unc. sem. aq. cinamom. hyssop. ana unc.* j. *m. & utatur æger quotidie cubitum iturus.*

Ptisana altera. Sequens etiam ptisana in omnibus Rheumaticis passionibus excellit. ♃. *Fol. pap. rhœad. man.* j. *fol. hyssop. man. sem. aq. commun. lib.* vij. *ebull. per dimid. hor. quadrant. atque igne remoto adde glycyrrhyz.* ʒiij. *de qua binæ, & ultra libræ quotidie hauriuntur, atque etiam quotidie renovatur, quia facile acescit.*

Ptisana altera. Altera insuper quæ præcedenti minime cedit. ♃. *Furfur. man.* ij. *fiat nodulus suspendendus in testa*

testa cum aq. commun. lib. v. & coquatur usque ad ebullitionem, qua prodeunte removeatur testa ab igne, relinquendo nodul. infus. per hor. quad. dimid. dein educto nodulo adde liquori nitr. purif. ℥ij. Calide propinatur.

De hac largi quidem ac satis copiosi haustus fieri possunt, omni metu procul, quod intra corpus remoretur, cum ipsa sibi viam facile per urinas aperiat, simulque viscidos humores incidat, incisosque ac attenuatos tutissime efferat.

H E M O P T Y S I S
seu sanguinis sputo.

Æginetæ sententia.

Art. 1144. Si cruentum sputum ex ruptis venarum vasculis originem trahit, largior sanguinis effusio comitatur, & ex evidenti quidem interdum causa: nempe lapsu ex alto, clamore & id genus; interdum vero ex abdita: puta plenitate, aut frigiditate. Si vero ex venarum erosione sit; sanguis non confertim, sed per intervalla singillatim excreatur: quando acria quædam, & prava edulia, aut cibi abstinentia, aut acris destillatio a capite in pectus præcesserunt, & quando per inflammationes, per febres, & in doloribus evenit. *Hemoptysis ex ruptura & erosione vasorum.*

Hunc e pulmone latum arguit, si spumosus fuerit, & ex intervallo absque ullo dolore, angustiaque extrahatur, si nihil quidem ex enumeratis, excepta interdum plenitudine, præcessit, sed victus humidior, & calidior, lavacrorumque immoderatorum usus, & minimum calidis locis domicilium fuit. *Diagnosis ex pulmonibus.*

Qui vero cum screatu ex faucibus, per palatum ejicitur, si quando a capite destillaverit, *A capite & ab œsophago.*

cum

cum irritatione quadam, & tussi redditur, defluente eo in summitatem *asperæ* arteriæ, & iterum sursum regurgitante, eumdemque acer magna ex parte catarrhus, aut capitis dolor, aut gravedo præcedit. Nonnumquam vero per palatum sanguinis fit evacuatio, idque deglutita hirudine; & ibidem alicui partium adhærescente.

Ex aspera arteria. Si pituita excreatur cum leviore tussicula; aut screatu, spumosumque, ac leve egeratur; ex aspera arteria rejici cognoscito.

A thorace. Si sanguis ater fuerit, atque in exigua frustula, quasique minimos globulos concretus, doloremque loci præferat, a thorace efferri portenditur, per pulmonem sive guttur facta transsumptione.

A Ventriculo. Atqui si per vomitionem egeratur, confessum est, quod ex partibus, quæ ad stomachum, aut ventriculum attinent, effertur; in quibus & per secessum, ad inferiora proritatus aliquando evacuatur.

Curatio sanguinis sputi a pulmonibus. *Art.* 1145. Sanguinem ab instrumentis respirationis disruptis, aut apertis rejicientibus, venam, nisi sanguinis copia erumpat, secato. Hujusmodi vero ægri omnes locis aeri expositis decumbant, lecto immobili, figura sublimi, caventes ne vehementer, vel respirent, vel eloquantur. Fovendæ autem afflictæ partes spongiis posca tepida imbutis. Post septimanam vero lanis succidis, cum rosaceo, aut myrteo, aut lentiscino, nunc quidem cum aceto, nunc vero cum vino adstringente. Plurima autem si fuerit ejus, quod ejicitur, copia, pollinem, & mannam cum aceto imponamus, aut alumen, & acaciam, aut malicoria, aut gallam cum aceto, aut palmulas cum polentis, aut malis cotoniis in vino austero decoctis. Posthæc vero,

& ex

& ex salicibus emplastrum superaccommodandum, præcipue si mediocris fuerit sanguinis eruptio.

Per os autem hæc sumpta conferunt: Portulaca commanducata bene facit: efficacior vero ejus succus epotus, balaustium, rubi fructus, & flos, quercus fibrosum sive liber, & quæ subjecta est putamini juglandis membranula, aliaque adstringentia hujusmodi.

Art. 1146. Sed qui hoc malum erosioni acceptum referunt, his maxime, si catarrhus præcesserit, opii partem semissem admiscemus. Sorbeatur insuper posca gelida, aut palmularum, aut malorum, aut pyrorum, aut capreolorum vitis, vel ejusmodi cujuspiam decoctum. Potus his qui non febriunt, vinum erit aquosum, perexiguum. *Ubi catarrhus præcesserit.*

Art. 1147. Qui catarrho afflicti sanguinem expuunt, iis venam mox aperire convenit, extremasque partes vinculis excipere, easdemque oleo veteri calido, aut sicyonio, excepto capite, perfricare. Alantur esculentis frumentaceis, quæ succum aliquem austerum commixtum habeant, cujusmodi est mali punici, pomorum, pyrorum, aut eadem ipsa una decoquantur; sub somnum orbiculos ex succino concinnatos exhibeto. Tertio die momentum despumati mellis delingendum præbeto. Si hæc a morbo diutius permanente vincantur, detonso ad cutim capiti e stercore sylvestrium columbarum medicamentum imponito, & post tres horas medicamine dempto in balneum perducito, ne tamen caput unquam perungatur. Deinde ubi sorbitionibus enutriveris, noctu dormituro theriacen antidotum dato; postridie eadem præsta. Si malum non aboletur cucurbitula occipiti adglutinanda est. *Jam catarrho vigente densiore.*

Art. 1148. At si acrior humor destillaverit, *Catarrho tenuiore vigente.*

devi-

devitanda est sanguinis detractio, & medicamentis profligando catarrho dicatis utendum est; sed qui, propter frigoris injuriam, sanguinem expuunt, iis calfacientibus, & exsiccantibus thorax fovendus est, confectioque e duobus piperum generibus suppeditanda, una cum pastillo ex succino.

Ubi sanguis e palato emanet. *Art.* 1149. In his qui ex palato sanguinem exspuunt, gargarismis inspissandi vim habentibus utendum, frontique, & capiti adhibenda quæ iis, qui sanguinem e naribus reddunt, expediunt.

Ex vomitu. *Art.* 1150. Sed qui sanguinem vomitu rejiciunt, iis cavendum, ne crebrius cibi porrigantur. Ubi vero sanguis in ventriculo grumescit, coagulum bibendum est, maxime leporinum, aut ficulneum lixivium cum aqua, aut thymum, aut cunila cum aceto. Aut lacte fissili eos evacuare oportet, aut aloe.

Prognosis. *Art.* 1151. Hæc cruenti sputi curatio est, quam summo exequi studio convenit, eo quod laborantibus, ex immoderata evacuatione discrimen immineat. Si affectus perseveraverit, in tabem mutationem minatur. Observandum tamen est, cum hæmorrhoides, purgationesve muliebres substiterint, erumpentem sanguinem etiam a periculis liberare. Eadem insuper accidit valetudinis commoditas iis, qui vase ob redundantiam rupto, sanguinem edunt, nisi propter ulcus, aut immodicam inanitionem lædantur.

Ettmulleri sententia.

Hæmoptysis. *Art.* 1152. Hæmoptysis est quando sanguis ex pulmonibus per os tussiendo ejicitur, aliquando, sed rarius, sine tussi; sanguis rejicitur vel flori-

floridus vel semigrumosus, facile vel difficulter, cum vel sine dolore, spumosus vel non. Si ex pulmonibus provenit; sæpius *vomicam*; *empyema*, aut *peripneumoniam*, & hinc *Phthisin* post se trahit.

Art. 1153. Convenit *venæsectio*, *purgatio* vitetur; *diuretica* & *diaphoretica* locum habent; *opiata* sunt perquam proficua; in specie semen *hyosciami* est nobile specificum tam veteribus quam modernis commendatum; cavendum est tamen in ejus usu ob vim narcoticam, ne exhibeatur in nimia dosi; sed tutius est propinari repetitis vicibus; maniam etenim inducit nimis larga dosis. Respiciendum est ad acrimoniam sanguinis in hujus mali cura; hoc pacto; quæ in capite de *hæmorrhagia* tradita sunt; hic locum habent. *Hedera terrestris* est plane mirabilis; item succus *urticæ*; *catechu*; *trochisc. de carabe*, *oleum lini* cochleatim sumptum mira præstat; *ol. vitriol. succ. cydon. decoct. hord. cum passul. min.* *Curatio.*

Art. 1154. „ Hæmoptysis est vel *accidentalis* „ vel *habitualis*; posterior est phthiseos signum: „ *cortice Peruv.* optime & tutissime curatur, ad„ stringentibus sistitur, ut *bol. armen. sang. draco. lapid. hæmatit.* &c. *Morton.* *Accidentalis vel habitualis.*

Art. 1155. Mantissa. *Elect. Boylean. elect. Peruv. astring. elect. styptic. emulsio styptic. haust. japon. lohoch. japon pulv. hæmoptoicus*; *stypticum regis. Syrupus Boylean. succus urtic. menth.* sed præ reliquis *heder. terrest.* „ In hæmoptoe *accidentali* de„ sperata, cæteris incassum tentatis; (sicut in „ aliis omnibus hæmorrhagiis) medici expecta„ tionem rarissime frustratur sequens remedium; ℞. *Aq. plantag. vin. rub. astring. ana* ℔ß. *syr. papav. errat.* ℥ij. *ol. vitriol. quantum lingua ferre potest*; *f. julap. suffitus ex calce viv. & acet.* in extremis eximie confert. *Remedia varia.*

Bar-

Barbeyraci sententia.

Hemoptysis definitio. *Art.* 1156. Hemoptysis proprie eum sanguinis sputum significat, qui ullo absque manifestæ inflammationis signo, e pulmonibus profluit.

Etsi ab hoc morbo pulmones sæpe corripiuntur, merito tamen admiramur frequentius adhuc eosdem non corripi, quando delicatulam eorum structuram proprius consideramus instar telæ subtilissimæ ex vasculis innumeras flexiones, & curvaturas edentibus intextæ concinnatam, vix sane concipere possumus quomodo sanguis, qui per reliqua viscera summa rapiditate fertur, hac libere trajiciatur.

Hujus morbi internæ causæ. *Art.* 1157. Internæ hujusce morbi causæ ab immodica sanguinis copia, vel a prava ejus qualitate, vel etiam a vitiosa vasorum, & organicæ structuræ conformatione immediate desumendæ. Quando sanguis quantitate peccat, simulque nimia velocitate vasa pulmonalia perreptat, facile intelligitur, eumdem per arteriarum extremitates sibi posse viam aperire, vel dilatatis enormiter venis easdem disrumpere. Quando vero vitium habet in qualitate, seu quando acris non minus, quam subtilis eodem tempore existit, non solum arteriarum extremitates aperire valet, verum etiam ob acredinem, & tenuitatem sibi potest, per medias vasorum tunicas, exitum expedire. Ita etiam si aliquando crassior est, & in coagulationem pronus, ut in scorbuto, vel hypochondriaca affectione evenit, cum æque citius a venis excipi nequeat, ac defertur ab arteriis, in eisdem accumulatus tunicas aperit, & qua data porta per aerea pulmonum spatia diffusus hemoptysin inde producit.

Quan-

Quando ſanguinis ſputum a prava vaſorum, conſormatione proficiſcitur, hæc in alterutro horum conſiſtit; vel quod arteriarum tunicæ laxæ nimis molleſque reperiuntur, unde earum extremitates facile, dehiſcendo contentum ſanguinem effundunt; vel quod, cum venæ tenuiores adſint mollioreſque, facili negotio rumpuntur, vel in vehementi quadam corporis exercitatione, & commotione, vel etiam in ipſius ſanguinis præternaturali immodicaque agitatione.

Id ipſum quoque dicendum eſt, de cauſis externis ſanguinis ſputum producentibus; quarum aliæ immediate, & per ſe eumdem faciunt; ut tuſſis vehemens, & diuturna, vociferationes, cantus magno vocis conatu editi, pulmonum vulnera, ſimiliaque quæ venas diſrumpere valent; aliæ vero mediante plethora ſputum ſanguinis excitant, vel ob nimiam ipſius maſſæ ſanguineæ fermentationem, quemadmodum in completiſſima corporis valetudine ex crapula, præcipue vero cum mero, aut carnium ſale, & pipere conditarum abuſu, unde noxia quædam ſalſuginoſitas, & acredo per ſanguinem generatur, vel ex ſuppreſſis menſtruis, & hæmorrhoidibus; vel ex diuturnis vigiliis, vel demum ab omni genere vehementiarum exercitationum.

Quomodocumque vero ſanguinis ſputum generetur, aut ex plenitudine, aut ab immodica efferveſcentia, aut vero ex ſanguinis acredine, & tenuitate tantum, hoc ſane verum eſt: frequentius ab extremitatibus arteriarum laxatis, dilatatiſque egredi; quam a ruptis pulmonum venis.

Art. 1158. Quoniam ſanguis per os a ſtomacho, gingivis, naſo, & pulmonibus proficiſci poteſt, recenſenda hic nobis ſigna proponimus, *Diagnoſis.*

quibus innotescat, quanam a parte corporis emanet, dum ore rejicitur.

1°. Tussis cum sanguinis excreatu conjuncta certissimum signum exhibet eumdem a pulmonibus derivare, quare observatum insuper habemus ab hoc viscere derivantem rubicundo admodum purpureoque colore insigniri, & nonnihil spumæ gerere, quod ab aeris nitrosa substantia in pulmonibus ipsi largitur.

2°. Quando sanguis a gingivis venit, simplex sputatio id ipsum ostendit, quemadmodum etiam si a palato proficiscatur.

3°. Ex naso prodeuntem, irritatio, quæ simul in ejus cavitatibus persentitur, patefacit, uti etiam quod naribus emunctis viscidum excrementum sanguineis striis notatum prodit.

Sicut tussis reditum sanguinem a pulmonibus exeuntem ostendit, ita modus quo extussitur, ejusque quantitas normam exhibet arguendi, quonam a pulmonum loco proficiscatur. Quare si sensu quodam irritationis, & puncturæ circa fauces intimiores prægresso, cum parva, vel nulla tussi, exilis admodum sanguinis copia, pauca pituita mixta excreatur, inditium dat, eumdem a Larynge venire, quod ab extremitate quadam arteriæ pulmonalis vel bronchialis, quas aorta asperæ arteriæ tribuit, in ipsius Laryngis cavitatem defluxerit. Si hujusmodi sanguinis extravasatio per somnum accidit, sæpe fit ut a motu respirationis a Larynge in fauces migrans mane exoriente excreetur, quin homo sanguinei hujusmodi excreatus factus sit compos.

Si vero sanguis vehementer, & copiose exeat, eodemque tempore valida tussi æger prematur, adeo ut eumdem vomitu potius, quam excreatu reddere videatur, dicendum est talem sanguinem velocissime semper erumpentem, &

spu-

spumantem a rupto insigni quodam pulmonum vase proficisci; hac tamen habita distinctione; quod qui ab arteriis est, impetuosius semper; copiosiusque emanare solet eo, qui a venis redditur, a quibus etiam tantum erosis minus ac ruptis emanat.

Quodsi demum sanguis nisi parva quantitate prodeat; cum tussi tamen profunda, sæpiusque reiterata; signum est à pulmonalibus vesiculis egredi, in quibus a reticuli vasculis exsudatus, cogi potuit; indeque crebris ictibus tussis extrudi.

Art. 1159. Quoad prognosin spectat, sanguinis excreatus periculo numquam caret; quamvis nonnulli adsint; pro quibus minus periculi alit, quam pro aliis. Etenim si quis robusti vegetique temperamenti; in hunc morbum incidat ob evidentem quamlibet causam; spes est eumdem in valetudinis gratiam restituere; contra vero si debilis fuerit; delicatulæque constitutionis, vix eo usque perduci potest; quin in Phthisin denique incidet; maxime vero si respectu ejus hemoptysis, tamquam gentilitius morbus haberi debent; cum sæpissime observetur; eos, qui hereditario jure in hunc morbum proni sunt, pectus compressum gerere; sanguinem acrem subtilemque; pulmones debiles, atque tussi levi de causa exerceri. *Prognosis.*

Periculosum itidem est sanguinis sputum pro iis, qui peripneumoniam, vel aliquod aliud pectoris vitium subierunt; in primis vero si obstructio quædam, aut mala pulmonum adsit conformatio.

Quantum ad diversas excreatuum species, ii qui sanguinem a trachea exeuntem ferunt, omni periculo sæpissime sunt immunes, qui a tenuioribus pulmonum vasculis sanguinis strias mu-

tuantur, morbum non raro curabilem ostendunt, vel saltem non tam periculosum, ut quando hemoptysin a ruptura cujusvis insignioris pulmonum vasis exoriri comperitur.

Præter malam conformationem pulmonum, eorumque debilitatem, in iis qui hæreditariam hemoptysin patiuntur, duo alia insuper hujus morbi difficilem admodum curationem faciunt; videlicet ipsius pulmonis structura, ejusque perpetuus motus; nam quoad primum, cum totius pulmonis textura omnigenis vasculis, nulla quidem interjecta fibrosa, aut carnea substantia coalescat, difficillimum est, rupto horum alterutro rursum coagmentari posse; quoad alterum vero cum iidem pulmones respirationis munere perpetuo moveantur, fieri nequit, ut semel divisi iterum conjungantur. Huic conjunctioni seu cicatrisationi comparandæ, summa profecto quies necessaria videtur.

Curatio. *Art.* 1160. Ut rite hujus morbi curatio instituatur, hæc duo præ ceteris observanda veniunt; primum namque ut prohibeatur, ne in locum affectum copia sanguinis influat: alterum ut continui solutio reintegretur.

Ad primam indicationem facit, ut sanguinis quantitas iminuatur, ejusque effervescentia, & intemperies corrigatur, atque alibi plenitudo dirigatur. Hæc omnia egregie phlebotomia non minus, quam purgantibus cum rhabarbaro sociatis, jalapiis, emulsionibus, atque demum lacte, & balneis tepentibus ex aqua communi præstari possunt.

Ad alteram indicationem, qua vasorum coagmentatio requiritur, spectant adstringentia, & conglutinantia, ut succus urticæ, & plantaginis, sed validiora etiam conveniunt, ut terra sigillata, boll. armenia, & sanguis draconis.

Lau-

Laudanum & chinachina itidem huic morbo auxiliantur, præcipue vero chinachina, quando sanguinis sputo febris supervenit, cum eadem implicantibus suis particulis nimium humorum motum compescat.

Præ omnibus autem vasa, quo magis fieri potest, exhaurienda sunt, & si necessitas urgeat bis, vel ter in die venam secare expedit modo in brachio modo vicissim in pede, ut inde tota sanguinis massa imminuta minor ejus quantitas ad pulmones pertingat.

Julapia ægro mane, & vespere porrigenda hujusmodi sint. ♃. *Aq. plant. ros. ana unc.* iij. *corall. rubr. pp.* ʒj. *syrup. ros. sicc. cydonior. ana unc. sem. laud. gr.* j. *vel* ij. *misce.* *Julapia.*

Nonnihil sputo sanguinis inhibito ad mitem purgationem deveniendum sequenti modo excitandam. ♃. *Pulv. cass. unc.* j. *rhabarb. opt.* ʒj. *aq. millefol. unc.* vj. *inf. per aliquot hor. super ciner. calid. colat. add. mann. unc.* j. *f. pot.* *Infusio purgativa.*

Cavendum hic a senna, jalappa aliisque validioribus purgativis, quia sanguinis massam nimis agitando vasa simul dilatarent, quæ disrupta, & hiantia hemoptysin exasperarent. Succi vero urticæ, & plantaginis seorsim quoque ingeri possunt, vel cum jure quodam refrigerante mixti.

Quoad cetera adstringentia ea opiati forma præscribi possunt, ut sequitur. ♃. *Conserv. consolid. maj. rosar. ana unc.* iij. *bol. armen. terræ sigill. ana* ʒiij. *coral. rub. pp.* ʒij. *syrup. cydonior. vel ros. sicc. q. s. f. opiatum de quo capiat æger singulo mane unc. semis superbibendo aq. rosar. unc.* ij. *vel* iij. *& sic continuando* x. *vel* xij. *diebus.* *Opiatum.*

Toto hujusmodi opiato absumpto eadem infusione superius descripta iterum æger purgabis, postmodum lac asininum jubebis diu con-

tinuandum, & durante ejus usu qualibet decima die alvum purgabis.

Finito lactis usu, semicupia, aut balnea tepida, ex aqua communi adhibebuntur per dies quindecim, & quotiescumque æger exhibit de balneo hordei cremore nutriveris.

Quousque prædicti opiati, & lactis usus perseverabit, bis in hebdomada capiat æger vespere, vel cubitum iturus aq. plantag. cyathum, cum syrup. papav. alb. ℥iij. commixtæ.

Confert etiam trochiscorum karabe, & sanguinis draconis usus, quæ remedia cum aq. consolid. maj. plantag. vel millefolii julapii forma commode ingeruntur.

Regimen. *Art.* 1161. Quatenus ad victus rationem toto morbi stadio observandam, caveri debet, ne jura nimis nutrientia ex volatilibus, vitulo, verveçe &c. exhibeantur; nam salia volatilia, sulphureæque partes, quibus hujusmodi carnes abundant, cum nihil magis præstare possint, quam ut sanguinis massam in fermentationem adigant, plurimum nocere possunt, locaque affecta novis congestionibus opprimere. Quare satius erit juscula refrigerantia, minusque nutrientia præscribere, cujusmodi sunt ea, quæ ex vitulo quidem, & vervece componuntur, sed additis simul herbis refrigerantibus, adstringentibusque satis larga copia: ut lactuca, portulaca, borragine, plantag. millefol. rad. consolid. & altheæ.

Hujusmodi vero jusculis, aliquando hordeacea, avenacea, cremor orizæ, amygdalata præferri debent; quia præter quam quod multum nutrire valent, edulcorando etiam sanguini & densando, refrigerandoque egregie inserviunt, quibus equidem hoc vigente morbo maxime indiget, cum acris simul tenuis, & calefactus ut plurimum inveniatur.

Pro

Pro potu vulgari utatur æger ptisana ex hordeo cum ros. rub. fol. consolid. maj. & plantaginis.

Farrago sententiarum.

Art. 1162. Notavit olim Hippocrates, & etiamnum vulgi observatio est, hæmoptyses sæpissime hyeme flante Borea accidere. *Observationes quædam singulares.*

Qui spumosum sanguinem vomunt, dolore infra septum transversum non existente, de Pulmonibus vomunt; qui sanguinem spumosum spuunt præcordium dextrum dolentes, de hepate spuunt, & moriuntur. Tres item sunt spumæ gradus in concreto sanguine; ex toto spumans e pulmonis carne, aut plurimum spumans e pulmonis vasis, aut spumæ permixtus ex thorace. A pulmone prodiens sanguis, ab eo, qui a Thorace, distinguitur, ex eo quod a pulmone est spumosus, majori copia, & sine dolore; a thorace vero nigricans, paucior, & ut plurimum cum dolore.

Hæmoptysis est, vel accidentalis, vel habitualis. Posterior est Phthyseos signum. Cortice peruviano optime, & tutissime curatur. Eodem etiam hæmorrhagia narium a febre pendens compescitur.

Art. 1163. Egregie docet Hippocrates *lib. de morbis* sanguinem expuenti necesse esse, nec tussim supervenire, nec difficultatem respirationis, neque febrem, neque sanguinis sputum denuo recrudescere; secus enim verendum est ne sanguinis sputum in puris sputum desinat, ac tabem. Quod si in ullo cruento sputo contingit, in eo maxime occurrit, qui a vasorum erosione proficiscitur. Methodus igitur præservativa in hoc potissimum sita est, ut præcave- *Hæmoptysis transitus in Phthysin.*

atur, ne tussis superveniat, & difficultas respirationis, & alia recensita symptomata. Id vero comparatur a sequentis destillati usu diu continuato.

Destillatum. ℞. *Ser. lact. Caprin. vel vaccin. lib.* xx. *fol. heder. terr. veronic. flor. hyperic. consol. min. polyg. ana man.* j. *Caudar. cancror. cum suis corticibus contus. pulp. ranar ana lib.* j. *sem. Jujubar. a nucleo separatar. lib.* j. *misce f. s. a. destill. in B. M. & detur ad unc.* x. *quotidie.*

Decoctum. Hujus loco sequens decoctum valet. ℞. *Rad. chin.* ℥ij. *ebur. corn. cer. ras. ana* ʒj. *Hord. mundat.* ʒij. *sem. melon. cucurbit. ana unc.* j. *flor. hyperic. man.* j. *Car. vitul. unc.* iij. *ranar. excortic. caud. cancror. ana unc.* j. *aq. font. lib.* j. *misce in vase vitreo circulatorio bene clauso in M. B. s. a. f. ebullitio usque ad consumpt. tertiæ partis; colatura detur quotidie per* xxx. *dies.*

Præservatio. Præservatio ab hæmoptysi fit diæta conveniente, instituta etiam venæ sectione, si adsit plethora, bis in anno administrata, purgatione quater in anno facta cum infuso sennæ, rhabarb. tamarind. cum manna; utiliter etiam per aliquod tempus singulis diebus sumi potest rhabarb. tosti ℈j. lac asinin. vel caprin. calybeat. per mensem adhibeatur, & affigatur cauterium. *VVeinhart.*

PHTHYSIS PULMONALIS.

Aretæi sententia.

Phthysis initium unde? *Art.* 1165. Si ab externa causa abscessu in pulmonibus facto, aut a longinqua tussi, aut a sanguinis rejectione ægri pus extussiant Phthysici nominantur.

Si pectus autem costave suppuraverit, materia-

riaque per pulmones traducta eosdem corrodat; hoc vitium non ulterius Empyema i. e. purulentiam, sed Phthoem i. e. corruptionem appellato, nam simul adest, & ignis assiduus qui nonnumquam intermittere videtur sudore, & frigore interdum alternantibus.

Art. 1166. Hæc enim proprie Phthoen sequuntur; caliditas videlicet in noctem emicans, interdiu rursum in visceribus delitescens; patet autem hujusmodi ægrotantium angor, imbecillitas & colliquatio. In his arteriarum motiones parvæ, & imbecilles fiunt, vigilant, color languet, aliaque omnia patiuntur, quotquot comitari solent febricitantes. At excreatuum species prope infinitæ sunt, lividorum, atrorum, purorum, ac sincerorum, aut pallido & albo, aut albo, & viridi mixtorum, latorum, rotundorum, durorum, glutinosorum, fluidorum odore carentium, aut foede olentium. Simul vero & his adest pectoris gravitas, angor, intolerantia, cibi fastidium, vespertina extremorum frigiditas, & matutina caliditas; sudor usque ad pectus caliditate molestior; per tussim varia qualia memoravimus, extruduntur: vox raucescit: cervix nonnihil tortuosa est, gracilis, non versatilis, sed veluti rigens atque intenta: digiti tenues sed articuli crassi sunt, ungues adunci fiunt, nares acuminatæ, & graciles; malæ extantes, & rubidæ, oculi cavi, lucidi, micantes: facies tumida, excarnis, pallida, seu livida, gingivæ dentibus inhærent, ita etiam labia, adeo ut ridentibus assimilantur, totum corpus denique in omnibus cadaveris speciem præ macie, & summa carnis absumptione refert. *Diagnosis.*

Art. 1167. Hujusmodi ægrotis, si alvus perturbetur actum est; Senes in hunc morbum frequenter non incidunt, sed si incidant minime *Prognosis.*

evadunt. Juvenes usque ad florentem, & consistentem ætatem post sanguinis rejectionem in phthysin prolabuntur; inde sanescunt quidem, sed non facile. Pueri assidue usque ad Phthysin tussi divexati facile ad sanitatem redeunt.

Habitus vero in id vitium proni sunt graciles, delicatique, albidi, rariori pectore, gutture oblongo, alasque prominentes habentes. Regiones autem frigidæ atque humidæ hujusmodi affectus germinant.

Curatio. *Art.* 1168. Quoniam marina salsugo ulceribus quemdam sui similem succum communicat, in mari gestatio fieri poterit, ibique vitam degere. A gestatione quiete concessa utendum pingui oleo: multoties enim id solum pro omni alimento satis fuit. Lac ulceribus dulce subsidium est, & quovis oleo benignius. Si quis multum lactis potat nullo alio eget alimento. In hoc igitur morbo bonum medicamentum est lac, ejusdemque alimentum efficitur. Optima ideo sunt, & puls & bellaria, & alica lota, & quæcumque edulia, quæ ex lacte fiunt. Quodsi & alia esca æger indiget; ejusdem generis est ptisanæ cremor concoctu facilis, cui saporis jucunditatem affert ligustici coma, pulegium, mentha, salis exiguum, acetum, aut mel. Licet & ptisanam in alicam permutare, minus enim flatuosa, & concoctu facilior est.

Antiquorum alia remedia. *Art.* 1169. Sed tabescentibus lac convenire docuit *Hippocrates* modo non valde febricitent; eodemque insuper statim utere oportere, & caput eis tondere. *Paulus* vero *Ægineta* laudat porra capitata in chondri, aut ptisanæ sorbitionibus liquefacta; & pro potu aquam pluvialem, & melicratum. Ad tussim graviter urgentem thymum, & hyssopum cum succo glycyrrhizæ melle decocto excepta, & in tessellas redacta,

sub

sub lingua continenda commendat. Ceterum convenire, ait, phthysicis *Mithridatis* antidotum ex viperis confecta, atque etiam *Hesdræ* antidotus, & bolus Armenia. Alibi etiam sequentem linctum efficacem habet: ℞. *Marrub. comarum lib.* j. *aq. commun. cotilia* vj. *coq. ad tertiæ partis absumptionem. Colaturæ mel addito, & cochleatim exhibeto.*

Sydenhami sententia.

Art. 1170. Phthisis pulmonaris a frigore hyemali plerumque ortum ducit, & gradatim crescit, viz. ab humore in pulmones delapso, unde *catarrhi* ritu eos ita jugiter irritat, ut *tussis* inde excitetur tantum non continua; & progressu temporis symptomata reliqua succedunt, & morbus frequenter evadit incurabilis. *Phthisis pulmonaris.*

Art. 1171. Tentandum est tamen defluxionem in pulmones minuere *venæsectione*, & *catharsi* leni, tum *pectoralibus* ad varios morbi status accommodatis, scilicet *incrassantibus*, vel *attenuantibus*, & febrem *hecticam temperantibus* cum *emulsionibus*, *lacte asinino*, &c. & postremo *ulcus sanantibus* cum *balsamicis*, *opobals. dos.* gr. xx. sed hoc non est sumendum nisi prægressis *evacuationibus* debitis: sed palmarium hujusce morbi præsidium est, ut æger quotidie *equo* vehatur; & qui se huic corporis exercitio sanandum tradit, nullis jam diætæ legibus adstrictus, nullo cibi potusve genere privandus est; cum in hoc uno omnis rei cardo vertatur: hoc solummodo observando, ut si æger juvenilem ætatem prætergressus fuerit, plus temporis huic exercitio impendere debet, quam si puer aut juvenis esset, & sane haud multo certius *cortex Peruvianus* febri intermittenti, quam in hac ætate *Curatio.* *Equitationis beneficium.*

equi-

Tumor in collo. *equitatio* phthisi medetur. Quibusdam eorum, qui ex hac methodo convaluere, *tumor* in collo exortus est non multum a *scrophulis* abludens.

Prognosis. *Art.* 1172. In Phthisi materia purulenta per tussim excreta in ignem conjecta tetrum spirat odorem, & immissa in vas aqua repletum, fundum petit. Sudores nocturni, genæ livescentes, faciei pallor, nares exacutæ, temporum collapsus, unguium incurvatio, capillorum defluxio, & alvi profluvium colliquativum, mortem statim subsecuturam denuntiant. Inter chronicos Phthisis *duos fere trientes* jugulat. „ Nasus „ acutus, oculi concavi, collapsa tempora, au- „ res frigidæ & contractæ, cutis circa frontem „ dura, intenta & resiccata, totiusque faciei „ color subviridis, niger, aut lividus, lethale. „ Hæc est illa *facies Hippocratica* vulgo dicta, „ ob traditam ab *Hippocrate* descriptionem, „ quæ humidi calidique nativi consumptionem, „ adeoque mox futuram mortem indicat.

Facies Hippocratica.

Mortoni sententia.

Phthiseos causæ & diagnosis. *Art.* 1173. Phthisis pulmonaris pendet aliquando a mala conformatione pectoris, estque illa vel *naturalis*, quando pectus sit nimis angustum; cervix longior quam par est, omoplatæ tanquam alæ videntur; vel *accidentalis*, ubi curvitas vel pectoris distortio. Signum Phthiseos appropinquantis primum est *tussis arida*, quæ per menses aliquot durat; catarrhus vero simplex est, humorosus & brevis. Vomitio vel vomendi dispositio post pastum tussi prædicta concitata, est signum Phthiseos certissimum. Signum secundum est *febris hectica* cum calore in volis manuum, & rubore genarum præcipue post pastum. Tertium *extenuatio* partium solidarum in

extre-

extremis digitorum maxime conspicua, unde incurvatio unguium; & postremo febris *putrida* hectica superveniens.

Art. 1174. Inter sina *pathognomonica* phthiseos confirmatæ, primum est febris *inflammatoria*, inflammatis pulmonum tuberculis, quæ febris tanquam febres aliæ inflammatoriæ tractanda est, viz. *victu tenui*, medicamentis *pectoralibus*, & *expectorantibus*, *linimentis*, & præcipue *venæsectione*, utcunque emaciatus sit æger (est enim *peripneumonia* cum pulsu serrato) *ol. lini* est remedium in hoc casu nunquam satis laudandum. Febrem hanc inflammatoriam sequitur *putrida intermittens*, quæ fit a suppuratione tuberculorum ob venæsectionem omissam, vel nimis parce celebratam, vel aliter; hoc autem est signum pulmonum corruptorum certissimum. *Cortice Peruviano* non profligatur, neque *antihectic. Poterii*, aut ullo alio remedio, ulcere prius curato; hanc autem comitantur insignes aliquot evacuationes, seu corporis colliquationes (& hoc est signum *pathognomicum secundum*) expectoratio materiæ purulentæ (pus phthiseos confirmatæ est graveolens, & etiamsi sit spissum, non tamen glutinosum seu tenax, sed fluidum, colorum variorum, viz. flavi, viridis, sed frequentius cinerei). Sudores colliquativi, quos si arte obstruentur, insequuntur tumores hydropici in pectore vel cruribus, sive dysenteria vel diarrhœa. Signum ultimum est *salivatio*, unde calor gutturis præternaturalis, & aphthæ pertinaces, incurabiles, (mortem non procul abesse plerumque nunciantes.)

Phthiseos signa pathognomonica.

Art. 1175. Ad therapiam quod attinet, in principio *venæsectio*, *lenis purgatio* cum *pil. stomach. Ruffi*, *tinctur. sacr.* (*calomel.*) &c. conveniunt *diuretica*, *millepedes viv.* & *præparat.* *balʃ.*

Curatio.

balf. fulph. terebinth. acidulæ. *Diaphoretica*, *antimon. diaphoret. ceruff. antimon.* privatim decoctum *lignorum* (*in aq. calc.*) si adsit catarrhus, & calor hecticus, catharticis *opiata* sunt admiscenda; reliquis antecellit *pil. cynogloff.* seu *ftyrac.* Radatur caput, & aperiantur *fonticuli*. (Atque hæc est summa curæ *rationalis & radicalis phthiseos pulmonaris*. In confesso est phthisicos confirmatos rarissime curari; non tamen idcirco plane sunt deserendi; cum *palliativa cura* debeatur illis, qui non possunt curari perfecte.)

Diarrhœa. *Art.* 1176. In diarrhœa *decoctum album* pro potu communi; sed *opium* est unicum præsidium, *elect. ad diarrhœam seq.* in praxi nostra maxime efficax expertus sum. ℞. *Ocul. cancr. præp.* ʒiß. *coral. rub. præp. matr. perlar. ana* ℈ij. *margar. præp.* ʒß. *fpec. confect. de hyacinth.* ℈j. *ol. cinnam. chym.* gr. iv. *miv. cydon.* ℥j. *laudan. Lond. fp. croc. folut.* gr. vj. *fyr. balfamic. q. f. m. f. elect.* Ad acrimoniam humorum obtundendam injiciatur quandoque enema ex *jufculo ovin.* cum *diafcord.* ℥ß. *opiata* bene ferunt hoc in casu ob metasthesin materiæ morbificæ a pulmonibus ad intestina: diarrhœa tamen non est temere aut nimis cito sistenda; ne gravius malum accideret; quod optime præcavetur *expectorantia* & *lubricantia* certis intervallis propinando, & diarrhœam moderando potius quam penitus vincendo:

Tuffis. *Art.* 1177. Ad tussim importunam, & vigilias pertinaces levamen vix procurandum est, nisi ab *opio*; cum cautela tamen exhibendum est, parce, & non sine maxima necessitate; ne languores, dyspœnam, extremorum frigus, &c. inferat; & mortem properet, & medico dedecus pariat. Hic in usum veniunt *linctus*, *trochifci*, &c.

Art.

Art. 1178. Sudores colliquativi, nisi sunt valde immodici, sunt tolerandi; sin vero sint maxime profusi, ita, ut languores usque ad deliquium fere inducant; *astringentibus*; & aliis propriis adminiculis moderari debent: Sequente julap. uti soleo; ℞. *Aq. tormentil. germ. querc. plantag. ana* ℥iij. *cinnam.* ℥iv. *mirab.* ℥j. *margar. præparat. coral. rub. præp. ana* ℈ij. *bol. ver. sang. dracon. ana* ʒß. *ter. japon.* ℈j. *syr. myrt.* ℥iß. *sp. vitriol.* (*dulc.*) *q.s. ad gratam aciditatem. m. f. julap.* sumat ℥ij. vel iij. omni bihorio vel trihorio phiala bene agitata. *Sudores colliquativi.*

Baynardi sententia.

Art. 1179. „ Si calor hecticus sit insignis, & „ phthisis celeri cursu progrediatur; convenit „ *diæta lactea*, & *lac asininum* (si comparari „ possit) eligendum est; quoniam est minus „ crassum: huic vero *succedaneum* adinvenit; „ quod etiam valde commendat *clarissimus Baynard* in *appendice* ad *psychrolusiam*, nimirum „ *serum* sive *lac butyraceum*; quamplurimis (in„ quit) indicationibus satisfacit; refrigerat, „ humectat, nutrit, &c. & deinde inferius pergit laudatus author, fidenter affirmans, & expertus loquens se compertum habuisse, quod plures ex continuato usu *hujusce lactis* a caloribus præternaturalibus; & etiam hecticis liberati fuissent; iisque, quibus calor est ingens, & sitis importuna leviter acidulum præberi debuisset, recens vero & dulce magis nutriat. „ Et revera hæc omnia merito dicta esse arbi„ tror: Ego etenim plus semel *raucedinem* per„ tinacem, & *catarrhum* mediante hoc re„ medio, utcunque vulgari feliciter sustuli; & *Ad febrem hecticam.*

„ in

„ in febre *hectica* magno fuisse commodo pro
„ certo deprehendi. "

Ettmulleri sententia.

Phthises variæ. *Art.* 1180. Phthisici dicuntur κατ' ἐξοχὴν ii, qui ulcere pulmonum laborant, & habent febrem hecticam conjunctam; eandem etiam habent ii, qui phthisi renali, jecorali, a vitio mesenterii, &c. laborant, tabidi evadunt. Tabes a glandularum mesenterii vitio solet habere abdomen inflatum, ac tumidum cum dolore in ejus profundo obtuso, ac plus minus gravativo, itemque cum renitente hinc inde sparsa duritie circa umbilicum observabili.

Art. 1181. Tussis phthisicorum non statim est *pulmonalis*; sed *stomachalis*, cui tandem acrioris lymphæ occasione per glandulas asperæ arteriæ, aut pulmonum excretæ tussis pulmonalis supervenit. Materia viscida in aquam exsputa supernatat, pus vero fundum petit. Materia pinguis phthisicorum urinæ innatat.

Curatio. *Art.* 1182. *Vomitoria* sunt optima in omni phthisi incipiente, maxime si malum sit a vitio stomachi: *purgantia* sunt omnino vitanda; *syrupi* & *saccharata* omnia plus nocent, quam prosunt. *Lindanus* refert se curasse quemdam domesticum atrophia laborantem solo decocto ex *radice helenii* cum *passulis* & *glycyrrhiza*, *adjecta* 10ma *parte vini Hispanici*; nam & hoc nutrit egregie; laudatur *rob. passularum*.

Art. 1183. Febris hecticæ hæc tria sunt quasi signa *pathognomonica*, 1°. *calor* ipsi ægro fere occultus vix sensibilis, ab omni pastu post aliquot horas auctus. 2°. Adest *absumptio & extenuatio* corporis successiva. 3°. *Pulsus celer*, *parvus*, *frequens*

quens, *debilis & subinde durus*, efflorescit plerumque *facies* colore plus minus rubicundo, & *sudores* nocturni infestant; accidit etiam frequenter *capillorum* defluvium, totius corporis lassitudo, frequens lipothymia; somnus horis matutinis est rarus; ægri conqueruntur de æstu interno. Hectica incipiens *difficillime* congnoscitur, *facillime* curatur; confirmata e contra; in statu morbi urina in summitate pellem habet quasi oleaginosam, aranearum telis similem. In *saturno* singulare quid latet contra febrem hecticam, & internas viscerum exulcerationes, & corruptelas. Laudantur *antimon. diaphoret.* & *antihectic. Poterii*, & *decoct. e lignis* præ reliquis in lymphæ acrimonia, ut & *sperma ceti*. Ad ulcus pulmonum abstergendum, & sordes nimis hærentes eliminandas optima sunt ex *tabaco* remedia, utpote quæ præter vim expectorandi, *vulnerariam* quoque possident. Potus ordinarius phthisicorum, hecticorumque commodissime conditur *fumo sulphuris* ad imitationem *Helmontii*. Immo & *fumus sulphuris* cum aliis per os attractus singulare est experimentum cujusdam *medici Hiberni*, quo aliquot disperatos phthisicos curavit, uti refert *Boyle*.

Vvillisii sententia.

Art. 1184. Communis observatio est, regiones istas, sive in *Anglia*, sive in *Belgio*, ubi *cespite* ignes nutriuntur, & odorem valde sulphureum spirant, tabem rarius infestare; quinimo loca ista phthisi obnoxiis, aut ea laborantibus maxime salubria, & non raro sanativa existere; cui accidit, quod suffumigium ex *sulphure*, & *arsenico* (quod sulphure copioso refertum est) pro curandis pulmonum ulceribus pene deplo-

De virtutibus cespitis cremati & aliorum remediorum.

ratis remedium licet ultimum, efficacissimum tamen habetur. Haud novi præstantius remedium in tussi quacunque, modo febris absit, quam tinct. *sulph.* (sine empyreumate) *dos.* a gr. vj. ad x. mane, & vesperi in coch. syrup. idonei.

Sylvii sententia.

Laus balsami sulphuris anisati. *Art.* 1185. Nullum hactenus reperii medicamentum, quod vel externe vel interne usurpatum citius tutiusve non tantum mundaverit, sed insuper consolidaverit recentia ulcera, atque *sulphuris balsamum*: cæteris vero omnibus imprimis præfero istud cum *oleo anisi* paratum, modo lente paretur, ita enim longe gratior fiet, & convenientior, alias empyreuma redolet, & acrior existit. Insuper pus ipsum tenuius, fluidiusque reddit, adeoque ipsius excretionem promovet, ac facilitat. Ad mundati ulceris consolidationem quoque multum laudari solent *rosæ rubræ conservæ*; & aliis præparationibus præfero decoctum *rosarum rubr.* cum forti expressione pauco *saccharo* edulcoratum.

Farrago sententiarum.

Quibus potissimũ tabes accidere solet. *Art.* 1186. Tabes maxime fit ætatibus ab anno 18. usque ad 35. *Hippocr. aphor.* In aliis ætatibus evenire potest, at in isto vitæ stadio multo periculosior existit.

Phthisis est morbus contagiosus. *Art.* 1187. Phthisis est morbus *contagiosus*, per indusia, per vestes, per lintea, per lectos, phthisin communicatam fuisse mille docent exempla (inquit *Bonetus*) „ extant quidem hujusce „ *contagii* nonnulla exempla, sed, pace viri, „ non sunt adeo frequentia.

Art. 1188. Quandiu tabes est in primo gradu, & probabile est sanguinem non esse extravasatum, ulcusque nondum factum, debet ante usum decoct. *ex lignis*, & dum *purgantibus* utimur, adhiberi *mercurius dul.* non quidem cum purgantibus simul eodem die, sed sine purgantibus post aliquot dies. *Pitcarn. in MS.* *Usus mercurii dulcis.*

Art. 1189. Hoc constanter affirmo me contra omnium fere scriptorum practicorum sententiam *acidis* temperatis fœlicissime usum in curatione phthiseos (in hoc convenit author cum *Colebatch.*) *Barbette*. „ Atque hic liceat „ mihi obiter tantum mentionem facere *coaguli* „ *vitulini*, quo utuntur caseo conficiendo, tan„ quam fere unici acidi animalis, non solum „ in hoc morbo, (maxime in Hæmoptysi); „ sed in nonnullis aliis, de quibus hic non est „ dicendi locus, opem ferentis. „ *Acida in phthisi.* *Coagulum vitulinũ.*

Art. 1190. Quæro cum in hydrope tussis vehemens moveri soleat, & elaterio sedari; annon eadem phthisis etiam elaterio, parce dato, tollatur; *Lister de hydrope*, p. 20. Dubitatur. *Elaterium.*

Art. 1191. Remediorum sequentium vires, & usus lector ipse expendat. *Antihecticum Poterii. Bals. sulph. anisat. nitr. saturnisat. Syrup. de peto. Sacchar. saturni. Aqua balsamica. Aqua limac. scorbut. aq. limac. pectoral. decoct. phthisic. express. milleped. simplex. Jusculum galli, Jusculum cancror. fluviat. Jusculum consummatum. Lixivium de calce. Loboch myrrhisat.* (Phthisicis primo adhuc stadio optatissimum est, præstantissimumque profecto remedium: *Fuller.*) *Tinctura antiphthisica. Decoctum flor. bellidis major.* Specificum habetur. *Decoct. phthisicum, linimentum anodynum.* *Remedia varia.*

Art. 1192. In Phthisis gradu conclamato ubi *Quæ præ-*

ſtanda in Phthiſi conclamata. tota pulmonum ſubſtantia corrupta invenitur, omne quod præſtandum remanet, inquit *Barbeyracius* illud eſt, ut aliquod ægro comparetur levamen, quo ſuos dies longius protrahere poſſit. Quamobrem duo ſe ſe offerunt perſolvendæ indicationes: prima videlicet, ut febrilis ardor humorumque nimia agitatio imminuatur, unde obtineri poſſit immodicam materiæ noxiæ quantitatem in pulmones non influere, nec in ipſis accumulari; altera ut ſaltem tantillum ulcus abſtergatur, quoniam plenior ejus mundificatio, atque perfectior ſanatio in deſperatis reputatur.

Itaque priori indicationi ſatis videtur, ubi æger tabo non ſit confectus, levem phlebotomiam inſtituere, qua abſoluta purgabitur non ſemel tantum, ſed reiteratis etiam vicibus prout opportunum cenſebitur. Prætereundæ interim non erunt Emulſiones, ita etiam nec refrigerantia Julapia, nec pectoralia remedia, nec Ptiſana ex hordeo pro potu ordinario, nec demum balnea ex aqua communi, modo ſatis virium in ægro ad eadem perferenda inſint negligentur. Quodſi ſomnum capere non poſſit, quemadmodum frequenter evenit, irritum non erit laudani granum vel Syrup. pap. alb. ℥iij. in Emulſiones vel Julapia, vel in congruum aliquem liquorem ingerere.

Ad alteram vero indicationem, quæ ulceris mundificationem, & deterſionem repoſcit, nihil ex iis, quæ poſſibilia ſunt, magis facit, quam Aſininum, vel Caprinum lac, quod pro omni, & quolibet alio nutrimento jubendum eſt.

Clyſter. Si opportunum tibi videris clyſmate jubere, ſequenti ratione concinnabis: ℞. *Fol. malv. violar. Borrag. ana man.* j. *ſemin. quatuor frig. maj. unc.* j. *furfur. man. ſemis*, *Glycyrrhiz. unc. ſemis aq.*

com-

commun. q. s. Coq. s. a. & colat. lib. j. *add. Mell. ros. unc.* ij. *Catholicon. unc.* j. *m.*

Quantum ad purgativas potiunculas, eædem sequenti ratione componi possunt. ♃. *Pulp. cass. unc.* j. *Rhab. contus.* ℥j. *f. nodul. cum sal. prunell.* ʒj. *Ros. palid. pug.* j. *Infund. per noctem in aq. commun. unc.* viij. *subsequent. mane in colat. dissolv. Man. syrup. de Cichor. compos. ana unc.* j. *Potio pugativa.*

Julapia vespere semel iterumque in hebdomada, quousque morbus perseverat, ægro porrigenda hujusmodi sint. ♃. *Aq. pap. rhæad. plantag. ana unc.* iij. *syrup. pap. alb.* ℥iij. *syrup. capill. unc. semis misce f. julap.* Quodsi æger a vigiliis torqueatur, & hoc julapio somnus minime conciliari possit, tunc granum unum alterumve laudani addendum erit, pro ratione magnitudinis effectus comparandi. Pro julapiis hac norma compositis emulsiones utiliter substitui possunt. *Julapia.*

Si Phthysis hæmoptysin consequatur de sequenti Opiato ℥iij. semel iterumque in hebdomada ægro imperabis, cubitum ituro sumendas: ♃. *Conserv. consol. maj. Rosar. ana unc.* iij. *coral. rub. pp.* ℥vj. *Terr. sigillat.* ℥ij. *syrup. tussilag. q. s. m. f. opiatum*, quod non minus ac præcedens julapium, prius quam lactis diæta usuveniat, adhiberi potest.

In Hordei Ptisana frustulum radic. chinæ infundere licet, vel rad. consolid. maj man. semis.

Si plurimum a tussi vexetur æger, præscribendæ ei sunt rotulæ de Althea, vel quæ sequuntur: ♃. *Pulp. rad. alth. unc.* iv. *pulv. glycyrrh. unc.* j. *Lact. sulphur.* ʒ. *sem. sacch. rosat. q. s. f. rotul. singulæ ad pond.* ʒj. *quarum nonnullam æger. in ore detineat.* *Rothula.*

Quoad Usum lohochiorum usurpanda sunt ea

quorum descriptionem in Pleuritidis, & Peripneumoniæ curatione traddidimus.

China china bolus. *Art.* 1193. Remedium quod pro Phthisi admodum commendat D. *Blackmore* in suo opere Anglice conscripto de Tabe; quodque per totam Angliam familiariter usuvenit, ita se habet: ℞. *Chinæchin.* ℈ij. *syrup. ribes. vel rubi idæi q. s. f. bol. stomacho jejuno sumendus, & tres cyathi aquæ Spadanæ superbibantur, intervallo posito inter singulum cyathum horæ dimidiæ: Dein similis bolus devoretur vespere eodem posito intervallo tres cyathos ejusdem aquæ superbibendo.* Hujusmodi remedium continuatur per plures dies successivos, etiam noctu, iddem sumendo, omisso prædictæ aquæ potu, & si tussis vexat China china, cum Syrup. Diacodii unc. j. miscetur. Hujus ope testatur Auctor plurimos sanasse phthiseos invalescentis symptomatis gravatos, quemadmodum tusses continuæ sunt, sputa purulenta, sudores colliquativi, & febris hectica.

PHTHISIS NERVOSA.

Mortoni sententia.

Phthisis nervosa. *Art.* 1194. Phthisis nervosa est, absumptio corporis tabida sine febre, tussi, vel anhelatione insigni, appetitu tamen dejecto, & concoctione depravata, languent vires exhaustis carnibus, & robore; aliquando *indigenis* accidit (immo nuperis annis sæpissime, ratio in propatulo est, scilicet, ex nimia spirituosorum liquorum indulgentia;) sed frequentius huc revertentibus ab insulis nostris in *India occidentali*. In principio habitus corporis œdematosus apparet, & quasi chylo spiritibus destituto distentus turget;

facies

facies pallet, ventriculus fastidit omnia exceptis liquidis; urina est pauca, & plerumque rubicunda, aliquando tamen, ut in aliis nervosis affectibus, pallida & copiosa; nulla adest febris aut dyspnœa, nisi in ultimo morbi stadio. Constat luculenter genus nervosum affici (& primario *ventriculum*.)

Art. 1195. Causæ *procatharticæ* ut plurimum sunt graviores animi affectus, liquorum spirituosorum nimis libera ingurgitatio, aer insalubris, &c. (omnia etiam, quæ cruditates, affectus *hypochondriacos*, & *scorbutum* parere solent. *Causæ procatharticæ.*

Art. 1196. Est morbus revera *chronicus*, &, nisi in ipso principio, curatu difficillimus; terminare solet tumore *hydropico* incurabili. *Curatu difficilis.*

Art. 1197. Quod ad therapiam attinet, in usum revocanda sunt medicamenta *stomachica* interna & externa, *chalybeata antiscorbutica*, *cephalica* & *amara*. Instituatur *purgatio* cum *spec. hier. in aq. rut. ceras. nigr. & paeon. comp.* externe *empl. stomach. magistral.* cum gr. aliquot *cinam.* & *absynth.* ventriculo applicetur. In æstate *aq. minerales chalyb. dictæ*; inter chalybis præparationes *extractum Mynsicht.* anteponendum est. *Curatio.*

Art. 1198. „ Huic malo quoque affinis est „ iste, qui a Wvillisio *atrophia scorbutica* appel- „ latur. p. 116. *Atrophia scorbutica.*

Art. 1199. „ Mœror qui est animi dolor, & „ lucubratio nimia, quæ est ejusdem labor, ambo „ Phthisi plerumque viam sternunt, ast omnium „ quæ mihi hactenus nota sunt, nihil „ corpus adeo velociter absumit, ac *insanus amor*, quando *ambit* & non *exambit*. *Animi affectus sæpissime hujus mali causa.*

TABES DORSALIS.

Hippocratis sententia.

Tabis dorsalis diagnosis. *Art.* 1200. Quando fluxio de capite in medullam contigerit, tabes occulta ac inconspicua oboritur, quæ hujusmodi est.

Lumbis dolet æger, & anteriores capitis partes vacuæ videntur ipsi esse. Si icterus sive regius morbus in oculis accedat, & in unguibus lividitas si fiat, si corpus ulcera habeat, & partes circa ulcera lividæ sint, & si sudor non toto corpore erumpit, sed una aliqua corporis parte, & si febre adhuc existente pallidum viride æger excreat, aut si dum adhuc in pulmone inest pallido-viridis excreatio cesset, periculosum est. Pallidum viride in pulmone inest, quando in faucibus respiratio strepit, & spiritus angustus est, & singultus adest.

Curatio. *Art.* 1201. Qui ita affectus est, ei caput purgandum debili medicamento, donec fluxus avertatur. Diæta vero jubenda: ut in aliis tabidis. Medicamentum potandum præbe elaterium deorsum purgans, & inferne alvum lacte infuso elue. De cetero fomentis utere. „ Diæta vero, quam hic loci commendat Hippocrates hujusmodi est„ quod nempe ægris cibi non multi simul ingerendi sunt, & obsonia non plura, quam cibaria frumentacea, & vino inter redendum utendum est aquoso, ut ne calfaciat, & corpori debili existente caliditatem exhibeat.

Tabes

Tabes reliquæ ab aliis morbis ortum ducentes, aut ab iis quodammodo pendentes.

Mortoni sententia.

Art. 1202. In phthisi ab hæmorrhagia suppressa, vescatur æger jusculа & gelatinas, & alios cibos bonum nutrimentum præbentes. Convenit *diæta lactea*; incidit plerumque æger in febrem hecticam, quæ *cort. Peruv.* profliganda est, ne in Phthisi pulmonari incurabili desinat. *Phthisis ab hæmorrhagia.*

Art. 1203. Phthisis a gonorrhœa vel fluore albo exorsa, confirmata cum sit, est prorsus immedicabilis; si recens fuerit, fluxus est sistendus, & æger euchymis nutriendus, & calor hecticus, modo adsit, *diæta lactea*, aut aq. *chalybeata* extinguendus. *Phthisis a gonorrhœa vel fluore albo.*

Art. 1204. In phthisi ab apostematibus & ulceribus, ulcus tempestive sanandum est ope externorum & internorum, aq. calcis sec. sit pro potu ordinario; ℞. *Rad. sarsaparil. incis.* ℥vj. *uvar. Corinth.* ℔ß. *infund. in aq. font.* ℔xij. *coq. ad dimid. in colatura extingue calcis viv.* ℔ß. per residentiam depurat. sit pro usu. Nisi habitus sit jamjam hecticus *cathartica mercurialia* sunt usurpanda ad accelerandam ulceris curationem; immo excitare licet levem *ptyalismum* cum fructu; in usum veniunt *balsamica*, ut *syr. balsam. Locatelli*, *Tolutan.* &c. suprema cura adhibenda est, ne phthisis pulmonaris sequatur; quamobrem a curato ulcere fiant *fontanellæ*, continuetur usus *balsamicorum*, *diætæ lact.*, *acidularum*, &c. *Phthisis ab apostematibus & ulceribus.*

Art. 1205. Phthiseos a lactatu signa præsagientia sunt 1°. Appetitus diminutio; 2°. Spirituum languor, & imbecillitas corporis 3°. Oppressio hypochondriorum. Tempestive ablactandus *Phthisis a lactatu.*

dus est infantulus, & nutrix *diætæ lact.* committenda.

Phthisis a diarrhœa &c. *Art.* 1206. „ Phthises a diarrhœa vel dysen„ teria, a diabete, a salivatione, ab hydrope, „ & a sudore nimio, nihil habent peculiare a „ morbis primariis, ut phthisis in genere dictum.

Phthisis scrophularis. *Art.* 1207. Phthiseos scrophularis signa diagnostica sunt plerumque: tumores scrophulares & crudi in externo corporis habitu, accomitantes vel præcedentes, ophthalmiæ, aut scabies, & similes affectus scrophulares.

Curatio. *Art.* 1208. Vitanda est *diæta lactea*, utpote obstructiones pariens. *Radices scrophulariæ*, *filipendulæ*, *millepedes*, &c. cum *remed. pulmonar.* & *balsamicis* conveniunt. *Opium* rarissime usurpandum est. („ Animadversum est a *Sculteto* me„ senterium hoc malo semper primo esse affe„ ctum, & frequenter tumoribus strumaticis ob„ sideri, sanis adhuc partibus externis: & in „ hoc casu difficile est quidem, nisi conjectu„ ra sola, morbum invenire, priusquam ægrum „ pene interfecerit. „) Convenit *emplast. de sapone* toti abdomini, &c.

Decoct. tussilag. *Art.* 1209. „ Est aliquid singulare in decocto „ *fol. tussilaginis* ad hunc morbum curandum, „ etiam in ægris maxime deploratis, & fere „ desperatis. *Fulleri medicina gymnastica*. (v. „ locum p. 92. &c.)

Phthisis scorbutica. *Art.* 1210. Phthiseos scorbuticæ signa diagnostica præcipua sunt eruptio macularum hinc inde sparsarum per universam cutem, screatio fere perpetua puris viscidi salsi a glandulis jugularibus præcipue tempore matutino, exulceratio, & extenuatio maxillarum.

Curatio. *Art.* 1211. Conveniunt *pectoralia incidentia* cum *antiscorbuticis*, ut summit. *pini*, *rad. oxylapath.*

lapath. authoris *pil. balsamic. chalybeata*, *acidulæ*, &c. *opium* omnino vitandum est, ut & *diæta lactea*, & immodica *fumisuctio*.

Art. 1212. Phthiseos asthmaticæ signa diagnostica sunt anhelatio, & spirandi difficultas: hæc autem phthisis est valde chronica, & est phthisis senectutis. *Phthisis asthmatica.*

Art. 1213. Omnia incrassantia sunt vitanda; prosunt medicamenta *expectorantia*, *incidentia*, &c. ut *syrupus de erysimo*, *e* 5. *rad. millepedes*, *pil. balsam. nostr.* &c. *venæsectio* in paroxysmo *oxymel. scilit.* & *aq. cinnam. fort. ana p. æ.* *Curatio.*

Art. 1214. Phthisis ab affectu hypochondriaco vel hysterico a cæteris distinguitur symptomatis his affectibus peculiaribus. *Phthisis hypochondriaca.*

Art. 1215. Curatio est fere ejusmodi cum aliis (præcipue cum phthisi scorbutica) conducunt *volatilia*, *chalybeata*, &c. *Curatio.*

Harvei sententia.

Art. 1216. In phthisi ab hæmoptysi sanguis a pulmonibus ejectus sine dolore per tussim exantlatur; & si rupta fuerit vena, utplurimum prima eruptione magna copia egeritur, & postea minori quantitate: in principio apparet tenuis, sincerus & floridus cum spuma flavescente; progressu temporis pallidior & aquosior evadit cum bullulis; & postremo cum pure commistus excernitur. Qui per *diapedesin* expectoratur, dilutior est, & minus copiosus cum humore seroso vel purulento confusus. *Phthisis ab hæmoptoe.*

Mortoni sententia.

Art. 1217. In phthisi a chlorosi vel mensium obstructione non nisi in principio *chalybeata* tentan- *Phthisis a chloro-*

si vel mensibus obstructis. tanda sunt; calorem enim hecticum adaugent, & sanguinem exagitant; sed potius *pulmonaria*, &c. sunt usurpanda.

Phthisis a pleuritide, &c. *Art.* 1218. Phthisis a pleuritide vel peripneumonia male tractata, julapiis contemperantibus, expectorantibus, venæsectione, acidulis, &c. tractanda est, vel si sit empyema *paracentesi*. *Millepedes*, decoct. *sarf. sal. succin. diuretica*, &c. Historia prima hoc morbo laborantis est insignis & notatu dignissima, vide locum.

Phthisis ab ictero. *Art.* 1219. Phthisis ab ictero non curatur nisi sublato morbo primario; ideoque remediis *antictericis* oppugnanda est.

VOMICA PULMONIS.

Vvillisii sententia.

Vomica pulmonis. *Art.* 1220. Rara est mentio hujus affectus apud authores. Vomica Pulmonis plerumque accidit sine febre aut phlegmone, immo sine tussi immani, aut sputo, tacite ac velut improviso in pulmone generatur, & non raro non prius se prodit, quam patientem interimit. Latet (inquit *Tulpius*) inter initia ita clanculum, ut vix ulla sui proferat indicia, præter tussiculam, primo siccam, mox humidam, qua aliquamdiu continuante, trahitur difficulter spiritus, deficit anima, & emarcescit paulatim corpus, licet interim nec sanguinem præ se ferant sputa, sed si rumpatur nec opinanti vomica, occiditur (dictum ac factum) homo. Ita interdum solet contingere; verum novi plures, qui ex Pulmonis Vomica sensim orta, maturata, & demum rupta, pus copiosum & fœtidum expuissent; cumque tale sputum per multas hebdomadas, imo menses quotidie excernentes, debiles adeo & ve-

lut tabidi evaſerint, tandem medicamentorum ope, cum ulcus detergeretur & ſiccaretur, integre convaluiſſe. Ab abſceſſu in Pulmone exoritur, & pus ſæpiſſime inſigniter fœtet, eoque differt a ſputo, quod in peripneumonia & phthiſi ejicitur. Cauſæ remotiores latent, neque per ſigna ulla *pathognomonica* dignoſci queat hicce morbus, neque prognoſis inſtitui poteſt, antequam ictu ferali ſe prodit.

Art. 1221. Poſt Vomicam diſruptam medendi methodus fere eadem eſt, ac poſt ſectionem *empyematis*, aut in *phthiſi* incipiente; in hoc caſu *lac aſininum* ſæpe prodeſt; obſervavi quoque *fontanellam* in latere excitatam non raro inſigniter profuiſſe. Hiſtorias quaſdam adducit author, de quibus conſulendus eſt, p. 205. *Curatio.*

Baglivi ſententia.

Art. 1222. Tuberculo Pulmonum laborantes de cætero bene ſe habentes, difficulter ſpirare incipiunt, inter ſpirandum non ſtertunt, & nihil expuunt, dolorem quoque in pectore ſentiunt continuum, & dolentem in locum decumbere non poſſunt, ſicca tuſſi laborant, tandem genæ rubent, febricula ſupervenit; & negotio ad ſuppurationem vergente alia ſuppurationis ſymptomata accedunt. Duo tamen tamquam *pathognomonica* crudi & adhuc incipientis tuberculi ſigna ſunt, *tuſſis ſicca*, & *dolor lenis* in alterutro pectoris loco; & quamdiu quidem tuberculum adhuc crudius fuerit, dolorem exilem & tuſſim ſiccam inducit. Qui tuberculo Pulmonum laborant, ſæpiſſime derepente moriuntur; nam ſupurato tuberculo pus erumpit in tracheam, & ſuffocat: hinc quo longius a trachœa, & Pulmonum centro diſtat, eo minus periclitantur de *Baglivus vomicam accurate deſcribit.*

ſuf-

suffocatione; pus enim in cavitatem pectoris erumpet, aut per urinas eliminabitur.

Ettmulleri sententia.

Differentia inter vomicam & phthisin. *Art.* 1223. Vomica Pulmonum & phthisis in eo saltem differunt, quod Vomica sit *ulcus Pulmonum clausum* seu *abscessus*, phthisis *ulcus sordidum ex abscessu jam aperto*: nam in Vomica interdum pus est laudabile, quod suis membranis inclusum citra excretionem in Pulmonibus hæret, & etiam sine tussi aliquando existere queat. A tumoris intus ruptione exsolutio, vomitus & animi deliquium fit. *Hippocratis Aphorism.*

Ballonii sententia.

Vomicæ pulmonis diagnosis difficillima. *Art.* 1224. Memorabilis est, historia Joannis Taffini, calidi temperie, & sicci, veneri indulgenti (ut ferebatur) vertigine oppressi, qui linguam minime continere valens repente concidit, & obmutuit. Paullo ante gravi metu perculsus fuerat. Fandi impotens quidem, alloquentibus annuebat. Designabat locum dolentem ad dexteras lateris dextri partes, qua septum alluit. Frontem ac tempora contingenti, adurens flammeusque calor percipiebatur. Paroxysmo solutus intolerabili capitis dolore captum se narrabat. Ex intervallis exsiliebat, insultabatque phreniticorum more, non convellebatur. Deinde obmutescebat, & velut sopore vigilanti occupatus delirioque jacebat. Dein rursus exsiliebat, indecore sese componens, omniaque projiciens. Ad se rediit multis ultro citro tentatis. Dextrum latus dolere narrabat, & sinistrum ante doluisse. Olim sanguinem ore rejectaverat affatim.

Ve-

Venam secuimus. A secta vena repetit malum: cœpitque stata periodo reverti, idque noctu. Restitutus tandem de reliquiis doloris in latere, & capite querebatur, febre carebat, urinæ non illaudabiles. Nisi sedula custodia impeditus horrenda fecisset. Spiratio frequens, parva, non magna, rara, licet delirus. Aliquando parum elato pectore spirabat frequens, & humile. Ilia ducendo hypochondriacum aliquid congenitum erat.

Pulmonicum quid putabant: aut a pure vaporem, aut tuberculum, aut convulsionem articulorum pulmonis, aut adhæsum, sectio, ustio, aut maturatio flagitabatur. Omnia in ancipiti erant. Alii ephialtem, aut hypochondriacum suspicabantur. Post magnam purgationem convaluit: eruperant paulo ante ambustis similes pustulæ: an quia spleneticus? Ultimæ dejectiones albicabant: an quia abscessus ruptus est? Præter spem salvus. *Nondum morbus satis cognitus.*

Art. 1225. Non enim certo, tam insolentis morbi, & symptomaton causa teneri potuit. Sed exitus morbi, qui eum uno post anno prehendit, & de medio sustulit unam ex conjecturis veram esse comprobavit. Vomicam aliquam subesse conjiciebamus, a qua vapor teter efferretur, vehementium symptomaton auctor. Ego quidem numquam putassem elatum a pure, materiave purulenta vaporem tanti esse. Ad mensem Augustum dolore capitis incredibili tentatur, febris assidua, jactationes, verebamur ne in ea incurreret, in quæ prius ceciderat. Multum sanguinis e naribus fuderat antequam morbo prehenderetur. *Ejusdem anno subsequente redditus.*

Statim injectum enema, missus sanguis. Eadem die datum medicamentum. Alvus liquidissimis excrementis fluxit. Nec quicquam com-

pa-

pactum apparuit. Ingens erat incendium, & vires naturæ dejectæ erant. Dolore lateris querebatur, & ad regionem hepatis. Iis locis pungentem se dolorem, & lancinantem percipere, ac sentire narrabat. De vomica conjectura augebatur. Sæpe vox deficiebat, ac si aut pulmo confossus, aut perforatus, aut adhærens esset. Nil purulentum expectoravit. Non poterat multum & affatim bibere, quia deficiebat spiritus. Et potus velut in cavum descendere videbatur. Septimo die tandem, cum sudore pingui interiit.

Cadaveris dissentio. *Art.* 1226. Aperto cadavere deprehensus est, pulmo adhærens tum in parte dextra, tum sinistra costarum. Membranæ utrinque sublivebant. Circum gibbum diaphragmatis pars pulmonis tota in pus, & saniem fœtentem liquefacta erat. Magna quoque puris materia transfluxerat in hepatis regionem; & ibi conclusa erat. Nova ibi vomica conclusa videbatur. At non erat.

Cadavere (aperto cognitum quæ præstanda erant. *Art.* 1227. Totum corpus internum fœtens admodum erat, hepar sanum, & lien. Intestina alieno maxime colore. Anno præterito quo gravissime laboraverat, ut ante diximus purulentas habuerat dejectiones. At credo iddem naturam hoc posteriore morbo moliri voluisse; sed vias non fuisse idoneas, & faciles. Credo, quod si ustus fuisset, aut sectus, magna salutis spes affulsisset. Nec mirum si periclitatorum cœca medendi ratio, sæpe methodicorum, & rationalium præceptis, & ratiocinationi anteeat. Nam cum putris sit pulmo, imminutus, semilacer, & adhærescens, exsiccantibus oportet putredinem oppugnare, secus ac vulgus medicorum sentit, qui fere humectantia consulit, & dum habet rationem cujusdam extenuationis, li-

qui-

quida putrefactiva præscribit, sed in eo casu deficcantia, & aromatica multo melius *Galenus*, jubet lib. IV. de locis affectis, quem locum vide diligenter. *Nota bene.*

A S T H M A.

Æginetæ sententia.

Art. 1228. Qui sine febre crebra respiratione, tanquam a citatiore cursu agitati conflictantur, *Asthmatici* dicuntur. Iidem quod strangulari formidantes, ad respirationem recto pectore toto nituntur orthopnoici dicuntur. *Definitio asthmatis.*

Art. 1229. Oritur autem affectio crassis, & glutinosis humoribus, fistulosis pulmonum cartilaginibus, cavitatibusve infarctis. Dyspnoea vero h. e. spiritus, & animæ difficultas commune est accidens, cum hæc, tum alia plurima mala comitans. *Ejus causa.*

Art. 1230. Anhelosorum medendi scopus est, viscidos crassosque humores, medicamentis attenuantibus, & abstergentibus consumere. Proinde acetum scilliticum hoc malo oppressis accommodatissimum est: & inde confectum oxymel in potu sumptum, ipsaque scylla tosta, cum melle trita. Ex antidotis hiera, & alia medicamenta validissime, quæ alvum continenter dejectionibus solicitant, & cum raphanis citati vomitus, aristolochia rotunda bibita, centaurii maj. radix, melanthium. Asellorum qui uliginosis, & aquaticis degunt, sextarium vasi injiciens fictili, super carbonibus torrefacito, ubi vero candorem induere cœperint, conterito, melleque despumato excipiens, mixtum tum ante, tum post cibum porrigito. *Curatio.*

Art. 1231. Quodsi necessitas urgeat, ante hæc *Remedia externa*

omnia venam aperito, & secundum laborantis vires evacuato; alvus item clysteribus irritanda. Foris thoraci ficus, lolii farinam, & hordeaceam cataplasmatis modo imponito, resina interim, ceraque, & melle adjecta. Inspergatur etiam illi iris, mannaque. Non alienum fuerit, farinam hordeaceam cum resina, cera, iride, mannaque emplastri more adglutinare. Unguentis vero utendum admodum calorificis, irino, anethino, & rutaceo. Peculiarius vero est pumicis partem *sphecles* (quæ est fex vini) crematæ partes quatuor, spumæ nitri ceratium, contusa & cribrata unguentis excipiuntur, & thoraci infricantur. Malagmatum usus est, quæ sanies, & serosos sanguinis humores extrahendi potestatem obtinent.

Anhelatoribus ℞. *Polii, abrotan. castor. chamæpityos, guttæ ammoniaci thymiamatis ana part. æq. mellis q. s. misce.*

Remedia interna. *Art.* 1232. Sunt alii qui spumæ nitri cochlearium tribus mulsæ cyathis mixtum propinant.

Aliud ℞. *Spumæ nitri unc.* iij. *piper.* ℨj. *laserpitii* ℨ *sem. f. pulv. cum aquæ cochleare propinand.*

Aliud ℞. *Castor. gutt. ammon. thymiam. ana* ℨvj. *piper. gr.* xl. *hæc omnia passo excipiuntur, & fabæ magnitudo cum mulsa exhibetur.*

Aliud. ℞. *Synap.* ℨj. *spumæ nitri* ℨ *sem. elater. gr.* x. *totum hoc in orbiculos* viij. *conformato & per biduum binos exhibeto. Purgant enim per superna citra molestiam.*

His, qui veluti, qui obtorto collo tantum non strangulantur, dato: spumæ nitri ℨiij. cum hydromelitis cyathis ternis, atque cum cardamomo nonnumquam, confestim opitulantur.

Floyeri sententia.

Art. 1233. Asthma est respiratio difficilis & laboriosa cum scapularum elevatione & sibilo, a compressione, coarctatione, vel obstructione vasorum pulmonalium. Estque vel *continuum* vel periodicum. Asthma *continuum* pendet a compressione venarum & vasorum bronchialium & vesicularum pulmonalium vel nervorum, 1°. Propter pectoris hydropem. 2°. Empyema, phlegmonem, abscessum vel tuberculum. 3°. Polypum in vasis sanguiferis, sanguinis ipsius coagulationem, varicem, plethoram, obstructiones catameniorum, hæmorrhoidum, fonticulorum, ulcerum, psoræ, &c. 4°. Lapides in trachæa generatos. 5°. Obesitatem nimiam, vel intumescentiam thymi. 6°. Gibbam. 7°. Pulmonum adhæsionem. 8°. Nimiam pulmonum intensionem a cursu (vociferatione,) &c. 9°. Hydropes, tumores visceris alicujus insignioris. 10°. Coli vel ventriculi inflationem. 11°. Paroxysmos apoplexiæ, vertiginis, lethargi, serum extravasatum nervos opprimens. 12°. Tumores pulmonum flatuosos, quemadmodum accidit *equis ilia ducentibus*, vulgo *broken. vvinded. Horses.* *Asthmatis definitio.* *Asthmatis continui causa.*

Art. 1234. Asthma *periodicum* pendet a compressione vasorum & vesicularum bronchialium mediante halitu flatulento, & morbis sequentibus plerumque succedit; 1°. Febribus intermittentibus, variolis, peripneumoniis. 2°. Catarrho. 3°. Affectionibus hystericis. 4°. Ephemeræ, a sex rebus non naturalibus, maxime aëris mutationibus subitaneis, pendenti. 5°. Cacochymiæ glutinosæ, flatulentæ, in ventriculo prognatæ, ibique inflationes excitanti, & denique inflationem *Periodici causa.*

in pulmonum vesiculis producenti. Atque hoc est *verum Asthma flatulentum periodicum*.

Asthmatis periodici paroxysmi plerumque sunt regulares, continui non ita.

Art. 1235. Observandom est Asthmatis *continui* paroxysmos frequentes esse, a nimio corporis motu, vel errore in diæta inductos, vel noctu recurrentes; sed hi recursus non sunt adeo regulares ac in Asthmate *periodico*, ubi decimo quoque die redeunt paroxysmi. Circa horam 2am vel 3tiam pomeridianam a prandio asthmatici sentire solent coarctationem vel inflammationem circa scrobiculum cordis vel os ventriculi, quod tunc temporis flatibus distenditur, & ructus insipidos copiose emittit; atque hæc ventriculi inflatio est primum signum appropinquantis paroxysmi, hanc sequitur sanguinis effervescentia, & huic proxima spirituum in pulmonum nervis & membranis expansio seu rarefactio, quippe rigidi & inflati sentiuntur.

Paroxysmi descriptio.

Art. 1236. Hora prima vel secunda matutina paroxysmus sensim obrepit; respiratio evadit lenta, & mox augusta: si paroxysmus futurus sit brevis, nempe duarum, vel trium horarum, & æger e lecto surgat, dyspnœa brevi facessit, & expuit *crudum* quemdam & *glutinosum* screatum, instar *albuminis ovi* vel solutionis *gum. tragacanth.* tam in Asthmate *humido*, quam in *hysterico* (*sicco* vel *convulsivo*); hæc autem materies lineis nigris seu filamentis discriminatur; si vero diuturnior futurus sit paroxysmus, viz. duarum, trium vel quatuor dierum, primis diebus parum aut nihil expectoratur, sed 3°. vel 4o. die materia purulenta, magis cocta, & non adeo glutinosa, coloris albicantis, viridescentis, vel flavescentis, & in morbo inveterato saporis dulcis putridi, salsi, aut acidi, & frequenter cum filamentis sanguineis. Intra spatium 3. 4. aut 5. dierum paroxysmus prorsus finitur, & exin-

de

de parum aut nihil expuitur ante novi paroxysmi exortum.

Art. 1237. Plures & diuturniores occurrunt paroxysmi in *æstate*, quam in *hyeme*; ego ipse viginti in æstate, & tantum sexdecim in hyeme sustinui; in *Augusto* severiores semper; quanto diuturniores paroxysmi, tanto majora intervalla, & vice versa; Intervalla breviora mecum fuerunt 2. 3. 4. 5. 6. vel 7. dierum; longiora 8. 9. 10. vel 14. dierum; calor lecti morbum exasperat; extremum frigus est tolerabile sine injuria. Magna pallidæ urinæ copia in paroxysmo excernitur, sed sub finem rubicundior evadit, cum sedimento crassiore. Quanto parcior & tenuior sit victus in paroxysmo, maxime in principio, tanto melius; minor erit quantitas chyli ad pulmones missi, & materia purulenta citius coquetur, & evacuabitur, carnes itaque sunt omnino prohibendæ. De victu convenienti, & improprio *vide locum* p. 90. *De paroxysmis observationes variæ.*

Art. 1238. Ad unum scopum potissimum dirigenda est cura, nempe ad *temperandam effervescentiam*: malum etenim ipsum est quasi *catarrhus*, ideoque propinanda sunt remedia *incidentia minus calida*: *Venæsectio* quotiescunque repetita solummodo levamen præsentaneum affert, senibus asthmaticis maxime perniciosa est: ad *cachexiam* enim & *leucophlegmatiam* viam munit. *Indicatio curativa generalis.*

Art. 1239. *Acetum scilliticum* ad omnes flatulentias a *Galeno* valde commendatur; sensus acuit, respirationem facilem reddit, coctionem juvat, alvum laxat, urinam movet, flatus dissipat; & præ omnibus contra asthma ægregia præstat. Sequens est syrupus asthmaticus declinante paroxysmo sumendus, dos. coch. j. mane & vesperi; ℞. *Syr. de erysim. prass. balsam. ana* ℥ij. *Remedia varia ab authore comprobata.*

℥ij. *oxymel. scillitic. aq. brion. ana* ℥j. *bals. Peruv.* ʒß. *m. Cortex Peruvianus* ad avertendum paroxysmum multum laudatur. *Aqua simplex* cum *pane tosto*, additis pauco *nitro & sal. ammoniaco*, copiose epota, & hor. decubitus *acet. scillitic.* ℥ij. mecum frequentissime adventum paroxysmi eluserunt. Et *oxymel. nostr. cum rad. zedoar.* &c. vid. Pharm. *Fulleri*. Eumdem ad plures menses protelavit. *Hypnotica* ad compescendam inflationem multum valent (in asthmate *convulsivo*) testibus *Riverio* & modernis plerisque, inter quos clarissimus *Gibbons*. Mihi in frequenti usu fuit haustus seq. ℞. *Aq. papav.* ℥iij. *sal. prunel.* ʒß. *syr. papav.* ʒvj. *m.* In paroxysmo omnia *calida* sunt maxime perniciosa, *acida* blanda sunt magis proficua, ut *mala aurantia, limonia, citria, fructus berber. acetum ol. sulphuris per campan.* &c. ℞. *Conserv. acetos. cynosbat. rob. berber. ana* ℥j. *crem. tartari* ʒiij. *syr. limon. q. s. m. f. elect.* pro pauperibus *posca, gas sulph.* (i. e. aqua fumo *sulph.* saturata), quod remedium est maxime efficax. Semel atque iterum exhibui medicamenta *mercurialia* in hoc morbo cum fœlici eventu, sed hoc fuit in *leprosis*. De virtutibus *aceti* vide locum p. 183.

Villisii sententia.

Asthma convulsivum.

Art. 1240. Observare licet graves asthmatis paroxysmos sine quavis notabili pulmonum labe accidisse, revera ut putaverim hunc morbum aliquando esse mere *convulsivum*: paroxysmo etenim finito, quin etiam priusquam incipitur: respiratio libera & æqualis satis recte ducitur, nullaque tussis, aut valetudinariæ pulmonum dispositionis signa apparent. Hujusce morbi varias adducit *historias*. Ad hujus generis asthma

canur-

curandum medicamenta *antispasmodica*, potius quam *bechica* vel *pneumonica* adhibenda sunt. p. 92. *Millepedes* in hoc affectu egregia præstant.

Art. 1241. Asthma inveteratum difficillime aut vix unquam curatur, magnum tamen a medicamentis juvamen accipit, in deterius vergens, aut *phthisin* aut *hydropem*, aut affectum quemdam *soporosum* vel *convulsivum* minatur. Extra paroxysmum *pectoralia* cum *antispasmodicis* conjungantur. Laudantur *spiritus gum. ammoniac. cum sal. ammoniaco distillat. dos.* a gt. xv. ad xx. *tinctur. sulph.* &c. sed maxime *sp. gum. ammoniac.* vires extolluntur, p. 213. „ De viribus visci arbor. vid. (Art. 389. *Prognosis & Curatio.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1242. Adest in omni Asthmate respiratio frequens laboriosa, & difficilis cum anxietate circa præcordia; adest sæpe tussis, interdum crebra & molesta, interdum non, interdum adest stertor, interdum sine stertore *orthopnœa* laborant. Asthma dividitur in *humidum* & *siccum*, sive in manifestum & occultum; prius expectorationem materiæ purulentæ conjunctam habet, alterum est mere *convulsivum*: verum interdum hi asthmatici, in fine paroxysmi, aliquid licet parum muci emittunt, quod non causa peccans est, sed ex conatu respirationis circa laryngem & fauces aliquid colligitur, quod evacuatur: causa materialis asthmatis *humidi*, aut in pulmonibus est mucus viscidus, vel pus in vomica, empyema, phthisis, &c. vel serum pulmones copiosius inundans, vel sanguis in motu impeditus; aut in stomacho, & primis viis ex cruditatibus, cachexia, &c. *Asthma humidũ & siccum.*

Art. 1243. Probe observandum est: an Asthma *Curatio.*

sit morbus *primarius* vel *secundarius*; si *posterior* respiciendum est ad morbum a quo pendet. In paroxysmo Asthmatis *humidi* optima omnium sunt *vomitoria*, nec est quod exinde metuatur suffocatio; dyspnœam insigniter tollunt; in Asthmate *sicco* quoque extra paroxysmum cum fructu propinantur *cathartica*, in paroxysmo neutiquam conveniunt; malum etenim exasperant. *Venæsectio* locum habet solummodo in Asthmate ex vitio sanguinis orto. *Opiata* in Asmate *sicco* multum conferunt, in *humido* suspecta sunt. In Asthmate *humido*, præsertim in senibus laudatur *syr. nicotianæ*. Succus *raphani* est potentissimum expectorans. *Gum. ammoniacum* est optimum remedium. *Sperm. ceti* ℈j. ad ʒj. in paroxysmo multum levamen adfert. Denique *millepedes* in utroque Asthmate est remedium omnem laudem exsuperans. Pro curando Asthmate *sicco* sive *convulsivo* conducunt in genere *antiepileptica*, *antihysterica*, *antispasmodica* & *opiata*, *cinnabarina*, *sal. succin. castor.* &c.

Pujati sententia.

Duplex Asthmatis causa. *Art.* 1244. Mihi asthma humorale est, cum efficiens causa est obstructio glandularum internæ Pulmonis membranæ a pituitoso humore crassoque. Convulsivum vero cum ejus primaria effectrix causa est convulsio seu strangulatio Trachœæ. Verum sicut spasmus; & strangulatio Trachœæ lympham pulmonicam, nulla cæteroquin præternaturali crassitie, viscididitateque donatam, crassiorem, tenacioremque efficit (spiritus enim densus sputum viscosum facit) sic tenax & viscosa pituita trachœam obsidens, & respirationem impediens, aliquam fibris distentionem inducere non potest. Etenim vel solus

nisus,

nisus, quem difficulter respirando animal exerit, illis irritamento est, ut convulsorio modo afficiantur.

Art. 1245. Ob id in asthmatis quoque humoralis paroxysmo, dum pituitæ anacatharsis promovetur, crispatis etiam fibris demulcendis studendum est. Id tamen iis præstetur, quæ sputum supprimere non valent, qualia sunt leviora anodyna, atque mollientia, quæ spirituosis, & dissolventibus sociata, perbelle utramque absolvunt paginam, votoque respondent. *Curationis ratio.*

Art. 1246. Cæterum in Asthmatis pectorei humoralis paroxysmo tutissimum habet a Medicinis purgantibus abstinere, quantum vero ad phlebotomiam addit: in sanguineo temperamento præditis, vel trachœæ solus pituitosus infarctus ita per pulmones sanguinis cursum comprimit, ut morbus, ratione effectus, sanguinis missionem nedum poscat, sed flagitet. Nihil enim citius liberum illi circuitum per pulmones conciliat, ex probatissimis Practicis, quam venæ sectio. *Quid de purgantibus & phlebotomia sentiendum.*

Meadii sententia.

Art. 1247. Respirationis impedimentis adnumerari debet sanguinis per pulmonem difficilis transitus. Id autem variis modis evenire posse manifestum est, tam scilicet ipsius cordis, quam sanguinis vitio. Cordis vis debilior sanguinem minus propellit; hic vero si forte nimis crassus fuerit, ægrius movetur, & in canalibus suis quodammodo hærens aeris officium perturbat, ac moratur. Plures morbi hujusce causæ enumerari possent, sed istæ præcipuæ sunt, quarum aliæ aliis conjunctæ ineluctabile interdum exitium procreant. *Præcipua Asthmatis causa.*

Art.

Quomodo tollenda. *Art.* 1248. In omni autem ejus genere auxilium est, nisi aliquid prohibet, in sanguinis detractione. Neque id satis est: vomitus etiam, si pituita tenax pulmonem, aut ventriculum gravat, apprime utilis est, & is quidem frequenter repetitus. Alvum laxam habere oportet, quæ catharticis tamen vehementioribus minime solicitanda est; satis plerumque ad hanc rem erit singulis noctibus pilulas dare, ex paribus portionibus pilul. Rufi, & gumm. ammoniac. confectas. Ægro cibis & potionibus flatulentis quibusvis omnino interdicere oportet. Exercitationibus fere ad lassitudinem; & fricationibus præcipue inferiorum partium, & per se ipsum, & per alios, usque ad sudorem fere utendum est.

Remedia in morbi paroxysmo. *Art.* 1249. In ipsis accessionibus ad angustiam levandam faciunt oxymel scilliticum aquæ cinamomi simplici commixtum; allium sive crudum, sive conditum. Sin autem nervorum liquor in culpa sit, gummi omnia graveolentia, in primis lac ammoniaci dictum conveniunt: At meminisse convenit, anodyna remedia, quæ in priore casu pestifera sunt, in hoc plurimum proficere, salibus, nempe, aut spiritibus volatilibus dictis, conjuncta. Inter hujusmodi vero compositiones non alia præstantior est illa, quæ nomine Elixir paregorici prostat.

Præservatio. *Art.* 1250. Quibus vero modis hunc morbum præcavere oporteat dicendum est. Ratio igitur cum temperamenti ægrotantis, tum ipsius morbi naturæ, hic haberi debet. Illud si calidum sit refrigerantia, & acida mitiora tamen postulat; inter quæ præstant acetum, & oxymelita quæcumque. Sin corporis constitutio sit frigidior, calefacientia nonnulla usui erunt; qualia sunt, radix Enulæ campanæ, Zedoariæ, Sagapenum, Myrrha, & consimilia. Vomitum in utro-

que

que subinde ciere oportet, alvumque lenibus catharticis, quæ non nimis solicitent, quale est sal *Glauberi* dictum, subducere. Aqua pro potu commodissima est, adjecto vini paululo.

Quonian autem in omni hoc morbo sanguis plus minus effervescit, huic excandescentiæ nobili illo remedio Cortice Peruviano, iis præsertim temporibus assumpto, quibus recurrere soleat difficultas respirandi, occurrere optimum erit. Et novi quidem illum commisto cinnabari antimonii, nonnumquam insigniter profuisse. *Cortex Peruvianus.*

Art. 1251. Suspirosis quibuscunque auxilio sunt fonticuli super scapulas inusti. A nimis frequentibus sanguinis detractionibus hydropis metus est. Senibus nocet nimia aquæ potio. Exercitationes vehementiores spiritus angustiam faciunt. Magna denique acidorum copia fibrillas nervorum constringendo anhelitum difficilem reddit. Ita modus etiam in ipsa medicina servandus est. *Cautela & monitus.*

Farrago sententiarum.

Art. 1252. Omnium difficilium respirationum facillima *Dyspnoea* est, in qua respiratio frequens & parva, vel frequens & magna sine anhelitu, sine stertore, sine sibilo, cum parva molestia, & sine febre. *Asthma* est dyspnœa difficilius, nempe crebrius, & minus, vel crebrius, & majus cum anhelitu, molestia, stertore, sibilo, sine febre. *Orthopnoea* tertia dicitur, quæ similiter sine febre, sed potest esse major, aut minor, crebrior, aut rarior, quam sit Asthma, dummodo æger cogatur respirare recto situ corporis, non decumbens videlicet, sed saltem sedens. Quodsi causa difficilium respira- *Difficilis respirationis gradus.*

ratio-

rationum eo usque ingravescat, ut suffocet, sive strangulet, prohibeat, nempe, ne ducatur, ac reddatur spiritus, tunc erit suffocatio, vel strangulatio, vel *Apnoea*.

Eadem cum vel sine febre. *Art.* 1253. Etsi carentia febris communis est his omnibus difficilibus respirationibus, poterit tamen etiam febris cum harum singulis conjungi, prout singulæ a diversis morbis procedent, febrim secum ferentibus, vel ipsa difficilis respiratio pulmonis inflammationem sibi necessario sociabit. Si vero peripneumonia, vel pleuritis succedat mortem proximam esse denunciabis. Commune itidem omnibus difficilibus respirationibus est, quod multo difficilius inspiratio, quam exspiratio fiat.

Essentialis vel per consensum. *Art.* 1254. Sicut autem morbi reliqui, ita difficultas spiritus esse potest essentialis, & per consensum: Idiopathica, cum causa in ipso pulmone viget primario, sympathica cum aliunde in ipsum derivatur. Quia vero fieri potest ut causa hujusmodi per intervalla temporum ad pulmonem derivetur, hinc per intervalla recurret Asthma sympathicum, & si quidem recursus derivationis sit periodicus, etiam paroxysmus Asthmatis periodicus erit. Sed & Asthma essentiale potest per intervalla temporis, & periodice recurrere, quoties causa in pulmone generabitur, quæ sensim absumatur, atque ita deinceps vel incerto ordine, vel eodem intervallo temporis seu periodo. *Bellinus*.

Causa. *Art.* 1255. Respirandi difficultatis causa non semper in pulmonibus, & thorace latet, temereque & inscienter multi illuc recurrunt, cum sæpe aut hepar tumens, aut hypochondriaca affectio, aut affectus renalis, aut vitium nervorum a spinali medulla derivatorum ortum præbeat.

Art.

Art. 1256. Usitatum est huic morbo obnoxios, sæpe lectum ingredi non ausos, tantummodo in cathedra, aut super cubile vestibus indutos dormire posse: cujus ratio est, quod corpore stragulis cooperto, & concalefacto, sanguis proinde in motum paulo citatiorem concitus, & fervescens, uberiorem aeris inspirationem requirit, quam per trachœæ ductus coarctatos suppleri queat: nam quo plus sanguinis quaque Systoles, & Diastoles vice pulmones trajicit, eo propter accensionem simulque eventilationem ejus, aer copiosius & celerius ingeri, regerique debet. *Asthmaticorum paroxysmus.*

In omni Dyspnœa ob nervosi generis culpam excitata, pulsus ut plurimum satis fortis ac debito celerior, ac interdum intermittens existit. *Pulsus.*

Art. 1257. Si difficulter spiraverit Asthmaticus venam brachii tundito, etiamsi hydrope laboraverit. *Phlebotomiæ præstantia.*

Art. 1258. Si quis vespere hora somni, sed præcipue post tres, vel quatuor horas somno impensas derepente expergiscatur ingenti Asthmate sive suffocatione correptus, atque aperiat fenestras, liberumque aerem desideret, pro certo habeto illum hydrope pectoris laborare; multo magis si pedes aut manus tumere cœperint, cum faciei nativi coloris recessu; & præ cæteris si accedat torpor seu incipiens paralysis brachii: hujusmodi brachii torpore in aliis quoque pulmonum morbis præsertim Peripneumonia observatur. *Prognosis.*

Asthmaticis dysuria superveniens bonum, cessante de repente dysuria denuo asthmate corripiuntur. Exinde magis confirmatur, quod pluries adnotatum: nempe in morbis pectoris semper ducendum esse ad vias urinæ, natura id mon-

monstrante: nec non magnum consensum esse inter tibias & pectus, pudenda & pectus; morbosque harum partium ad invicem commutari.

Asthmaticis si aposthemata excitentur in cruribus, forsan solvetur morbus. Accessiones frequentiores sunt cœlo frigido & humido; præcipue inter crapulandum. Morbus hic a parentibus, vel ab intemperantia vitæ succedit. In senibus, & quandoque in aliis usque ad mortem perdurat. Frequentius obœsos, & cito marcescentes invadit.

Alia remedia. *Art.* 1259. Asthmate detentum si tussis sicca multum exerceat, cum sensu asperitatis, & acredinis secundum Trachœæ longitudinem exporecto absque stertore tamen, vel sibilo sequente remedio uti laudat Dictionar. Medicinal. Auct. ℞. *Rad. alth. unc.* ij. *fol. consolid. maj. man.* j. *Jujubar. num.* xv. *dactil. exempto nucleo num.* x. *aq.* *Syrupus.* *commun. lib.* iij. *coq. & filtrat. add. sacchar. lib.* ij. *tum ad consist. syrup. iterum coq.* de quo singula hora plenum cochleare ægro exhibeatur, vel cum aquæ cyatho agitatum propinetur. Emulsiones quoque refrigerantes, & demulcentes plurimum conveniunt.

Lactis usus. Si æger capitis dolore, & febre careat lacte vaccino utatur. Ante lactis usum alvo probe purgata per septem, vel octo dies quotidie capiat mane stomacho jejuno lapid. cancror. pulv. ℨj. in vini tepidi cyatho additis etiam Ol. Tartar. p. d. gutt. iij.

Pulvis. *Art.* 1260. Si contra admodum oppressus æger videatur cum respiratione difficili, & stertore, ejus respiratio expedietur sequenti remedio, quod numquam fallit. ℞. Sal. Armoniac. pulv. gr. xx. Croci gr. x. m. & cum vini Rhenani, vel albi cyatho propinetur.

De-

Delicatiores in asthma proni per decem dies quotidie vespere, vel ante lecti ingressum ovum molle sorbeant, cum flor. sulph. gr. x., & flor. benzoes gr. iij. quod remedium sub ingressum exitumque hyems in primis usurpare debent.

Art. 1261. Asthma subinde a stomachi plenitudine gignitur, ut eluonibus accidit, cognosciturque ex acidis eructationibus, vel amaris, vel flatuosis, quo casu Vomitorium semel, vel bis repetitum morbum ipsis in incunabilis opprimit.

Art. 1262. Dantur etiam Asthmata convulsiva ex agitationibus tremoribusque artuum dignoscenda; unde evidens est nervos affici; pro quibus sequens præparatio quolibet opiato præstantior miros effectus præstat, ubi opus sit sanguinis spirituumque perturbatos motus compescere: *Liquor Antispasmodicus.*

♃. Vitriol. virid. lib. sem. quo ad solem vel ignem usque ad albedinem exsiccato f. pulv. atque in vin. spir. rectific. unc. xxx. *infund. in vase vitreo subere, mastice, & suilla vesica probe clauso, & in fimo caballino ad digerendum reponatur per mensem, priori fimo recens subinde addendo. Deinde hoc tempore elapso liquor decantetur, & ad M. B. destilletur usque dum luteæ guttulæ prodeant; tunc enim igne remoto liquor destillatus servetur usui.* Hujus dosis est ad gutt. xij. in vino albo vel jure carnium &c. non solum pro Asthmate convulsivo verum etiam pro Epilepsia & ad somnum leniter conciliandum, atque tandem ubi occasio detur.

Art. 1263. Potio *coffee* omnium maxime certissimeque inflationem mirum in modum cicurat & compescit in ipso paroxysmo. *Musgrave.* *Coffee.*

Art. 1264. „ In paroxysmo diuturniori & pe- *Epispa-*
„ riculoso conveniunt *vesicatoria* præcipue tibiis *stica.*
„ applicata, ex *Hippocratis* præcepto.

Art.

Remedia varia. *Art.* 1265. Remedia sequentia judicio prudentis medici permittuntur. *Flor. benzoin. dos. a gr.* v. *ad* xij. *nitrum saturnisatum. Serum sinapinum. Sp. nitr. dulc. decoct. expectorans. Emulsio asthmatica. Emulsio Brunneri. Expressio asthmatic. expressio milleped. hydromel. Joelis* (in Asthmate *humido*) *lohoch. viride* (in moribundis) *mistura expectorans. Oxymel. asthmatic. Floyeri.*



CAPUT V.

Sive Fasciculus Morborum quintus.

MORBI CORDIS.

Cordis Morbi. *Art.* 1266. COr variis Morbis gravioribus obnoxium esse, & revera affici ex defunctorum sectione satis patet. In Historia Medica occurrunt exempla *vermium* in ipsis ventriculis latitantium, item *calculorum* ibidem repertorum. *Tumores scirrhosi* & id genus alii Cor occuparunt; *apostemata*, *abscessus*, & *exinde sordida ulcera* ipsam Cordis substantiam & auriculas obsederunt. Omnes Cordis Morbos absolute lethales non statim existimandum est; contrarium etenim ex *Bartholomæi Cabrollii* observatione constat. Ipse ego (inquit) præsente *Rondeletio* duo mirabilia satis in duobus cadaveribus exhibui, in uno in basi Cordis ad coronariam *cicatricem* duos latos digitos longam detexi; in altero *ulcus* in Corde latitudine folii myrtini sat profundum. *Observ. Anatom.* 26. In adolescentis cadavere (*inquit Cheselden. Anat.* p. 160.) magnam vim puris in pericardio; & Cor ipsum exulceratum inveni. Et in homine tabi-

tabide mortuo pericardium undequaque Cordi adhærens, & portio ipsius Cordis ossifacta, fere unius digiti lata, reperta sunt.

Art. 1267. Verisimillimum est medicos interdum hallucinari inflammationem cordis, cum peripneumonia confundentes: æquum est enim, ut supponamus, cor inflammatione tentari, secus vix credibile est suppurationes, & ulcera ibidem existere, nisi præeunte inflammatione. Dies melius docebit. *Inflammatio Cordis.*

Art. 1268. Quocirca quoties propria Cordis substantia constitutione aliqua præternaturali afficitur, æque solliciti debent esse medici ac in morbis hepatis, cerebrive, neque negligenda sunt media, quæ aliarum partium Morbis similibus subvenire solent.

Art. 1269. Vermiculos, & in corde, & in capsulis ejus gigni, extra dubium est; & Morbus hic virginibus familiaris est. Noscitur ex puncturis & doloribus Cordis, & convulsio plerumque est signum diagnosticum. *Remedia mercurialia* hic præ cæteris prosunt, immo *argentum vivum* in substantia exhibitum est maxime efficax, *Hartman*. *Remedia ad Vermes.*

Æginetæ sententia.

Art. 1270. Cor si primario affectu fuerit læsum, procul a Medicorum præsidio abest, vitam cum morte subito commutans, quando inflammationes, & ignitas rubedines, quæ erysipelata dicuntur, vehementesque intemperaturas in acutissimis febribus, sanguinis item fluxum, ex levi potissimum sinus cordis vulnusculo experitur. Si autem per consensum afficiatur, ex cerebri, jocinoris, oris ventriculi affectu, sique ex mœstitia, & metu, aliisque compluribus causis, *Morborum cordis differentia.*

ſyncope appellantibus; qui repentinus eſt virtutis caſus, oboritur.

Syncopes a reſolutione, & animi deliquiis; exiguo arteriarum percuſſu, extremarumque partium perfrigerationibus, & circumfluis ſudoribus ſignificatur, quæ ſi validior eſt, nullæ remediorum ſuppetiæ ſuccurrere poſſunt. Virtute vero adhuc, vel tantillum conſtante, nonnumquam ſubvenire datur.

Validæ ad hæc cordis palpitationes ſubinde ex multitudine, aut fervore ſanguinis in eo concepti, oboriuntur.

Cor vero iddem ſuperexcalfactum magnam, & frequentem inducit reſpirationem; refrigeratum autem, exiguam, atque raram.

Lanciſii ſententia.

Duplex cordis palpitationis ratio.

Art. 1271. Duplex cordis vitium memorat: adhæſionem, nempe, pericardii, & ſarcomata valvularum. Ut enim illud frequentius eſt malum apud tabidos, ac præſertim aſthmate vexatos; ita longa diſquiſitione non indiget; nam ſatis eſt notare, obſtructis oſtiolis, unde intra pericardium liquor depluit, ac deficiente prorſus omni humiditate; quæ ambas cordis, ejuſque capſulæ ſuperficies ab adhæſione disjungit, illas inter ſe neceſſario cohærere, atque conjungi: præcipue ſi pericardium breviori orbe (natura, vel ſæpiuſculis contractionibus factum) contineatur, ex quo fiat, ut ſit cordi propinquius.

Igitur ad poſterioris animadverſionem tranſeuntes, ingenue fatemur, hoc ſarcomatum vitium in tot obſervatis cadaveribus, numquam, alias nobis fuiſſe compertum, nec adhuc ex aliorum lectione cognitum, utcumque viderimus hujuſmodi valvulas cartilagineas, oſſeas,

exe-

exesas, phlogosi affectas, aut cum sanguiferis varicosis.

Art. 1272. Alia insuper cordis vitia ex aliorum auctoritate recensendo subjungit: Nota pluribus est, illa per Harveum memorata observatio de carne fungosa, externo cordis cono accreta. Nec ignoramus aliam Joh. Jacob. Martini de exsiccato corde, quod centum tuberculis tota externa superficie obsitum erat. Similiter notatu dignam censemus eam, quam refert Joh. Conrad. Peyer. de corde, cujus inæqualem superficiem carnei veluti lemnisci externe cingebant. Concretiones item Riverius, aliique caruncularum in modum intra cordis ventriculos invenisse referunt, sed quæ polypeam tantum substantiam, non vero sarcoma cum ejusdem cordis carne continuum repræsentabant. *Singulares quædã aliæ cordis affectiones.*

Ballonii sententia.

Art. 1273. Nonnulli existimarunt cordis tremorem, & palpitationem iddem esse. At differunt longe, & ipsa definitione, & aliis multis: Nam palpitatio motus est momentaneus, tremor diu affligit. Savonarola tremorem cordis, & palpitationem confundit cum cardiaca passione. Aliud tamen longe est. *Opiniones variæ.*

Art. 1274. Palpitationis causa aliquando in corde ipso adest, & tum periculosior existit: aliquando a partibus vicinis est, aliquando a remotioribus, ut ab utero, a maligno tibiarum ulcere. Tuberculum in corde, abscessus item, *palpitationis* causa esse potest, multus sanguis obstructionem faciens, intemperies calida, vermes cor vellicantes, subita evacuatio, imprægnatio. Quemadmodum enim mulieres quædam veteribus affectionibus prehendi solitæ, quum *Cordis palpitationis causæ.*

utero conceperunt, iis liberantur, & miraculo absolvuntur, edito vero fœtu repetunt, itaquoque prægnantes mulieres insolentes morbi possunt invadere, ut palpitationes, & Epilepsiæ, dentium dolores implacabiles, & capitis gravitates.

Præter causas commemoratas ipsius cordis inflammatio recensenda est, vel in eo sponte oborta, vel a propinquo pulmone ex peripneumonia communicata; unde animi deliquia facile accedunt. Item adnumeranda, aqua tunica cordis inclusa, si tunica aut humorem putrem, ac male olentem in se contineat, aut lapillos. Item venenata qualitas, spirituosus aut crassus halitus, vel ab arteriis, vel a corpore cordis, aut a pulmone, aut a liene, aliave parte, aut propinquiore, aut remotiores elatus. Adhæsio pericardii corpori ipsius cordis, quod in duobus hydropicis observatum est. Mucus per quamdam colliquationem in cor illabens.

Diagnosis causarum. *Art.* 1275. Si palpitationem, aut inflammatio, aut erysipelas committit, febris ingens adest, pulsus durus, & veluti serratus. Si a venenata aura inferne in cor surgente, fugax est malum. Quum a venenata aura in pestilente statu, præceps virium omnium lapsus est. Quum a muco per modum colliquationis in cor fuso, æger fit anhelosus, parva & densa spiratio est. Vidimus palpitantem affectum ob aneurisma in liene.

Prognosis. *Art.* 1276. Si in corde ipso aneurisma sit, lethalis est affectus; Quæ palpitatio syncopen veram junctam habet, insanabilis est. Quæ ab adhæsu pericardii, lethalis est. Quæ a colliquatione insanabilis; item & ea quæ a venenata aura est. Ideo enim metuendus hic morbus est, quod connatam in se debilitatem, & quasi an-

nexam

nexam syncopen habeat; quæ quidem syncopes morti finitima est.

Art. 1277. Quod præcipua hujus morbi cura in phlebotomia sita sit ad lypothimiam usque, id dumtaxat, intelligendum est eo in casu, quo inflammatio codis adsit, aut apostema ejus imineat, unde mors subita intentetur; in cæteris vero a largis istis evacuationibus temperandum est. *Phlebotomia.*

PALPITATIO CORDIS.

Vvillis.

Art. 1278. Palpitatio Cordis est motus ejus (*convulsivus*) adeo vehemens & immanis, ut non solum tactu manifestius percipi, verum & oculis conspici, imo interdum ad distans quoddam audiri possit. Porro ab authoribus fide dignis narratur ipsas costas interdum effringi, aut in junioribus foras propelli, p. 102. &c. de hoc morbo egregie scripsit *Vvillisius.* *Palpitatio cordis est Morbus convulsivus.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1279. Causæ sunt variæ, aliquando exi crescentiæ verrucales Cordi adnatæ, ossificatio arteriæ magnæ prope cor, vermes in ipso Corde, aut pericardio, abscessus in corde, status sanguinis præternaturalis, palyposæ concrescentiæ, calculi, flatus, ataxia spirituum animalium affectum spasmodicum faciens, (chlorosis seu pallidi virginum morbi, catameniorum obstructio.) *Causæ sunt variæ.*

Art. 1280. Quæ a scorbuto aut affectione hysterica ortum ducit, est curabilis; quæ a reliquis causis ut plurimum incurabilis. Cavendum *Curatio est difficilis.*

 est

est ab *opio*, *venæsectio* in dubium vocatur, (*Galenus* vero, de locis affect. capitis, instat urgente paroxysmo *venæsectionem* omnibus remediis præferendam esse.) Cura aggredienda est *martialibus*, *coralliatis*, *cinnabarinis*, *volatilibus*, & *succinatis*. *Ol. cinam.* laudatur a *Lindano*. *Rosmarinus*, *crocus*, *camphora*, *ambra*, *moscus*, *sal. volat. viperin.* (& alia *viperina*) *castoreum*, verbo uno *antispasmodica*. „ Si diutius protra-
„ hatur, periculum ostendit repentinæ mor-
„ tis. Qui hoc morbo in juventute tentan-
„ tur, nunquam senescunt ex observatione *Ga-*
„ *leni*.

Remedia varia. *Art.* 1281. Medicus peritus de usu sequentium quomodo & quando bene noerit; " *aurum mosaic. cataplasma stomach. emplast. stomach. fotus spirituosus*, *julap. moschat. mistur. hysteric. spirituos. saccul. stomach. tinctur. epileptica*, *hæc ex* Pharm. Fulleri.' Item, *Pulv. ad guttet. sp. C. C. succinat. sp. lavend. comp. &c.* Vide etiam remedia ad singultum (907.)

Meadii sententia.

Cordis palpitatio plerumque a convulsione. *Art.* 1282. Non alienum est adnotare affectionem hanc plerumque esse convulsionem; qua cum cor sanguinem uno nisu non satis propellere possit, vim suam repetere debet: documento sane insigni, motus etiam istos, qui non voluntarii dicuntur, ab animo nostro, regi & mutari.

Illud etiam præsagitionis loco adjungendum videtur; quod violenter infestans, & sæpius recurrens, hoc malum in syncopen tandem, seu fatalem virium defectum plerumque desinit.

Curatio. *Art.* 1283. Tot variis casibus medelam etiam variam accomodare oportet. Illud autem in universis

versis tenendum est, nisi vires sint admodum imbecillæ sanguinem detrahi posse; quo, cum debilior sit ad propellendum vis cordis, minuatur liquoris propellendi pondus. Et quidem non raro a plenitudine etiam oriri non tantum cordis palpitationem, sed & ipsam syncopen, animadvertimus; ita soliti cujusvis fluxus suppressioni, ut ex naribus, & hæmorrhoidibus, frequenter succedit præceps iste vitium lapsus; unde ad præcavendum hoc malum utilissima certe erit sanguinis missio. Vix autem aliæ quævis exinanitiones ferri possunt. Resolutio fibrarum ea, quæ in capite de paralysi sunt exposita, desiderat. Crassior sanguis, qui polypum generat, medicamentis attenuantibus, qualia sunt spiritus volatiles dicti, & gummi graveolentia, emendatur. Vesicatoria autem in primis si sopor urgeat, deficiente animo, optime stimulant, & languentem excitant.

TREMOR CORDIS.

Willisii sententia.

Art. 1284. Tremor cordis est carnium ejus *convulsio spasmodica*, seu potius *trepidatio*, qua fibræ motrices celerrime, ac tantum semicontractæ vices ocissimas, verum abruptas & quasi dimidiatas efficiunt. *Tremoris Cordis descriptio.*

Art. 1285. Ad curam quod attinet, tria remediorum genera maxime proficua esse solent, viz. *testacea*, *chalybeata*, & *sale volatili* prædita. *Curatio.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1286. In tremore cordis pulsus inæqualis est, & languidus, subinde virium ingens pro- *Cum palpita-*

 stra-

tione Cordis frequenter confunditur. ſtratio & imbecillitas juncta eſſe ſolet; & cor tremulo motu vibratur; adeo ut Tremor Cordis pertineat quodammodo ad *lipothymias*: pulſus aliquando eſt vermicularis; pauca apud authores proſtant de hoc affectu ſeorſim; quoniam ordinario cum *palpitatione cordis* confunditur.

Plerumque eſt morbus ſecundarius. *Art.* 1287. „ Eſt potius plerumque *ſymptoma* „ alterius morbi, quam morbus *primarius*; „ ideoque cauſa exquirenda eſt diligenter, & „ morbus *primarius* inveniendus, & cura pari- „ ter inſtituenda.

Farrago ſententiarum.

Cordis tremor in quo differat a palpitatione. *Art.* 1288. Cordis tremor differt a palpitatione, quod hæc majorem cordis partem immo totum cor exerceat; hic quamdam ejus, locum ſæpe mutando, & minorem partem. Ut pluri-mæ cauſæ utriuſque affectus communes ſunt, ita etiam curandi ratio eadem.

Præcipue horum affectio nũ cauſa. *Art.* 1289. Palpitatio cordis potiſſimum, & maxima ex parte, aut ſanguini, aut vaſis cordi appenſis imputanda videtur: Prioris ratio ſatis conſtat, in quantum ſanguine aquoſo, atque ad efferveſcentiam, aut accenſionem minus apto prædito, ut virgines chloroſi laborantes, atque viri, & mulieres cachetici, huic morbo plerumque obnoxii reperiuntur, & inſultum ejus a corporis motu citatiore fere conſtanter pati ſolent.

Cautela. Practici omnes in palpitationi obnoxiis a vehementioribus purgantibus abſtinent, ne humor commotus, aut vapor affatim in cor irruat, idque opprimat.

Diuretica quãdo utilia. *Art.* 1290. Diuretica palpitationi cordis obnoxiis, ubi ex craſſo ſanguine cor hujuſmodi morbo laborat, prohibet *Septalius*, quod exhau-

riant

riant serum sanguinis, huncque crassiorem reddant. In ea vero, quæ ab humore aqueo, & seroso ortum ducit, nihil est, quod facilius vim hujus morbi evincere possit.

In omni palpitatione cordis flatulentum quid adest, & *anemia*. Observari potest in palpitationis vehementi paroxysmo majora esse pulsationum intervalla, & quo longiora hæc sunt, eo violentiores esse istas.

Art. 1291. Venæ sectio, & purgatio quoniam exinaniunt simul & revellunt, optime hic respondent. Sive morbus a nimio spirituum impetu, sive a nimia sanguinis rarefactione, aut cohæsione sit, levamentum certe in singulis casibus a sanguinis quantitate imminuta expectari potest. *Remedia evacuantia, & revellentia.*

Art. 1292. In Palpitatione cordis cave ab opiatis, nisi ea fuerit per consensum. Si ægro gratificandum sit pillulis, aloeticæ non excedant: scammonium & helleborus hinc exulent. Purgatio blanda sit, & per vices in palpitatione per essentiam facta; secus in ea quæ fit per consensum: modo vires ferant, additis semper cordialibus. *Hercules Saxonia.* *Nec opiũ, nec purgantia valida faciunt.*

Art. 1293. Accessionis tempore, si vires non admittunt sanguinis missionem, hirudines, & cucurbitulæ cum scarificatione in usum veniant. Notandum vero cucurbitulas amplas corpore adhuc pleno, cum flamma copiosa, & profunda scarificatione dorso admotas, sanguine in thoracem attracto, vitium hoc excitare. *Saxon.* *Cucurbitulæ quando utiles.*

Extra accessionem, corpore nondum purgato; cucurbitulæ non sunt dorso admovendæ, sed artubus, quandoquidem materiam in partem affectam attrahunt. *Silvaticus.*

Art. 1294. In Palpitatione recenti ac frequenti, vesicatoria magis conveniunt; in antiqua *Cauteria, & vesicantia.*

& ra-

& rara cauteria infernis artubus admota; Præterea in diuturna, & frequenti vesiitatoria, & cauteria applicentur brachiis, si materia defluat a capite; cruribus vero paullo supra vel infra genua, si affectio sit per essentiam. *Mercurialis.*

Corporis labores noxii. *Art.* 1295. Peccante materia crassa, & suffocante, motus non sit laboriosus, nec localis, sed ejus loco sufficiunt extremorum frictiones, deinde blandæ ad pectus. Exercitatio mediocris convenit. Motus animi vitandus præcipue timor. Venere omnino abstinendum. Barba sæpius radenda sic enim spiritus dilatatur. *Matthæus de Gadibus.*

LIPOTHYMIA, SYNCOPE, & Asphixia.

Tralliani sententia.

Syncopes causa. *Art.* 1296. Virium ruinæ, quas Græci Syncopas appellant, subito in ægris oriuntur, aut ex crudorum humorum præsertim os ventriculi gravantium copia, aut ex biliosis, nimiumque tenuibus, & qui facile dissipantur, humoribus; interdum vero etiam, dum ad os ventriculi confluunt, ut hac quoque de causa vires convelli, prosternarique contingat. Quoniam igitur virium ruinæ non una ex causa, sed tum ex crudis, tum ex tenuibus, biliosisque humoribus oboriuntur, videndum est: quomodo horum differentiæ discerni, notarique debeant.

Qui sane ob crudorum humorum copiam in syncopen incidunt; primum sane faciem habent tumidiorem, pallidioremque, os ventriculi totumque ventrem flatibus distentum, adhæc pulsus exiguos, raros, & tardos; insuper ructus

susti-

sustinent acidos, habitumque pituitosiorem repræsentant.

Qui ob biliosos, tenuesque humore syncope laborant hac ratione internosci possunt. Primum sane facies ipsorum squalida est, & sicca; pulsus exigui, inæquales, & inordinati apparebunt, dejectio autem biliosa est, vigiliæ magis quam in aliis urgent, sitisque affligit.

Art. 1297. Curandi sunt qui ex crudorum humorum copia in syncopen incidunt tenui victu, atque omnibus, quæ extenuare possunt. Quamobrem si vires robustæ, & copia, quæ offendit, admodum ampla fuerit; vena secanda erit. Sin autem imbecillæ fuerint, & cruditas multa subsit, frictionibus incumbendum; at frictionem incipere convenit a cruribus deorsum, deinde ad totam spinam, & brachia transeundum est: postea rursus a brachiis ad inferiores partes, & pedes, idque frequentius faciendum est, ita ut virium ratio habeatur, quæ alimento opportuno, & meri potu refocillandæ sunt. *Curatio.*

Contrario modo curandos esse constat, qui ex subtiliorum humorum putredine in syncopen incidunt. Cremor igitur halicæ istis convenit, aliaque edulia, non una vice, sed particulatim & ex intervallis offerenda. Vinum his aquosum dari debet, quale est Cnidium, aut Sareptinum, aut generosum Sabinum.

Art. 1298. Quoniam vero animi quoque defectiones syncopas inducentes ægris contingunt viresque repente dejiciunt, consentaneum est, ut de his quoque generalius disceptemus. *Lypothymia.*

Art. 1299. Qui igitur ob choleram, intestinorum lævitatem, & alias subitas evacuationes animo deficiunt, iis aquam frigidam aspergere oportet, nares comprehendere, os ventriculi perfricare, stomachum ad vomitionem turbare, *Lypothymia ab evacuatione curatio.*

aut

aut digitis, aut pennis inditis, imo, & manus, & crura ligare convenit, ac deligaturæ plures, vehementioresque esse debent, in superioribus quidem partibus si deorsum vergat evacuatio; in imis autem si sursum erumpat.

Ab utero. *Art.* 1300. Quæ ex utero animo deficiunt; eis mulsam potui dato, in qua thymum, aut origanum, aut Pulegium, aut hyssopum decoctum sit. Ac crura potius, quam brachia earum deligare, ac fricare oportet. Quibus sanguis ex utero immoderate profluit, earum mamillis cucurbitas defigere solemus, ita quibus uterus sursum, & ad latus attractus est, inguinibus femoribusque admovemus, & naribus ea, quæ fœtidissimum odorem habent.

Ex corde. *Art.* 1301. Sin autem ex propria facultatis, quæ corpus regit, imbecillitate animæ defectio contingat, quæ intemperiem illarum partium comitatur, unde vires ducunt originem, contrariis curabitur, calefaciendo quidem frigida; refrigerando autem calida: atque in aliis simili ratione. Facultas igitur, quæ vitalis dicitur, ex corde proficiscitur, quam ex obscuris pulsibus cognosci, demonstratum est; quæ autem ex jecore provenit, cruentis dejectionibus, quæ per initia quidem, aquosæ, & tenues, postea vero, amurcæ instar, crassæ fiunt. At quæ ex cerebro trahit originem, quam nonnulli singulari vocabulo animalem nuncupant, ex voluntarii motus imbecillitate cognoscitur.

Ettmulleri sententia.

Art. 1302. Hi affectus differunt saltem gradualiter, non essentialiter. *Lipothymia* est (gravis languor) cum insigni spirituum defectione. *Syncope* est gravius animi deliquium, non multum ab *apoplexia* distans; atrociora adsunt symptomata, ægri inopinato concidunt, sensus & motus abolentur, respiratio vix ulla, aut pulsus, partes corporis frigent & pallent cum sudore frigido. In *asphixia* omnia hæc sunt adhuc graviora, ita ut cum pulsu plane abolito, & aliquamdiu ad sensum cessante, ægri instar mortuorum jacent. *Horum affectuum differentia.*

Art. 1303. Horum affectuum causæ reliquæ, præter evidentes, quales sunt evacuationes nimiæ, balneationes nimis longæ, potus frigidus post corporis incalescentiam, animi pathemata, &c. sunt ut plurimum obscurissimæ, ut sunt *cordis abscessus, polypi, vermes, &c.* *Causa.*

Art. 1304. Indicantur *spirituosa, volatilia,* & *aromatica, ol. cinnam. ambra,* præ omnibus *sal. volat. viperarum, aq. cordial. citr. croc. castor.* (*spir. carmin. sylv.*) externe *sp. sal. ammoniac. ol. succini, fumus succini*; aliquando confert *venæsectio*. *Indicationes curativa.*

Art. 1305. „ In syncope facies in colorem ca-
„ daverosum mutatur, dentes, os, atque manus
„ tam arcte clauduntur, ut vix recludi possint,
„ pulsus fere nullus & vix ulla manifesta respi-
„ ratio, sudor frigidus erumpit, & externa fri-
„ gent: atque his signis diagnosticis ab *apople-*
„ *xia* facile distinguitur. *Syncope.*

Art. 1306. Frequenter ex *polypo* Cordis ortum *Causa.*
„ du-

„ ducit. *Vvepferus* crurum fibroſorum ramos ul-
„ næ longitudinem ſuperantes extraxit a fœmi-
„ na cardiaca *ſyncope* interempta: talem in ju-
„ vene cavitatem venæ cavæ fere implentem re-
„ periit, & in aliis quamplurimis.

Quid agendum, eſt. *Art.* 1307. „ *Sternutatoria* naribus immitten-
„ da ſunt, *cardiacis* & *volatilibus* imprimis in-
„ cubendum eſt, *cucurbitulæ* ſunt affigendæ.

Bellini ſententia.

Accurata horum affectuum differentia. *Art.* 1308. *Syncopes* vox apud *Hippocratem*, & antiquos Græcos in uſu non fuit, & ejus vice utebantur nominibus *lipothymia lipopſichia*, *aſphyxia*, & *apopſytia*, quorum aſphyxia graviſſimum eſt malum, reliqua ejuſdem fere gradus. Circa tempora autem *Galeni* inventa vox *ſyncopes*, quæ ſignificat morbum graviorem lipothymia, & duobus reliquis, Aſphyxia leviorem, & definitur præceps virium omnium lapſus, vel ſi velis, ex vi Græcæ vocis, ſubita virium omnium ſimul reſciſſio. *Lipothymia* autem eſt deliquium animi ſimiliter *lipopſychia*, deliquium animæ, & idem ſonat *apopſytia*. *Aſphyxia* autem eſt deſtitutio, vel privatio pulſus in toto corpore. Demum *Eclyſis*, eſt enervatio, vel exſolutio virium. Eſt igitur Eclyſis omnium horum morborum leviſſimus, gravior lipothymia, lipopſychia, vel apopſytia, his gravior ſyncope, graviſſimus omnium Aſphyxia. Differunt igitur hi morbi ſecundum magis, & minus, nempe majorem, aut minorem virium lapſum, & quidem ſubitum, qui cum pendeat e majori vel minori pulſu, pulſui minimo ſuccedit demum Aſphyxia.

Syncopes diagnoſis. *Art.* 1309. Cum ſyncope conjuncta obſervantur: præceps omnium virium lapſus, reſpiratio ob-

obscura; aut nulla sensilis; pulsus similiter minimus; aut etiam re ipsa nullus, (quibus duobus præcipue; atque unice distinguitur ab Apoplexia; in qua respiratio major, & cum stertore, & pulsus ut plurimum major, & plenus; & ab uteri strangulatione, in qua respiratio tollitur; sed non pulsus; nisi quando etiam syncopem sympaticam producit); nulli convulsivi motus (quo ab Epilepsia distinguitur), pulsus deinum omnino cessat; facies summe pallida est, aut livida: totum corpus, & ad extrema præcipue frigidum: sudor frigidus, ideo syncopticus; præcipue in temporibus, collo, & thorace; color albidus præsertim in labiis: non vident, non audiunt, non loquuntur, subito collabuntur: facies hippocratica; nares, nempe, acutæ; oculi concavi; collapsa tempora; cutis arida circa frontem. Cum desperata est, & confirmata syncopes, collum invertitur ut in strangulatis, & color faciei fit viridis.

Cum autem intorsio colli fiat per motum musculorum, & quidem alterutrius ex contranitentibus; quando in syncope hæc contingit, sive illa sit in latus, sive antrorsum, sive retrorsum, alterius contranitentis resolutio, vel valida convulsio alterius moventis necessario contingit, quod utrumque diversis etiam de causis irreparabile est.

Art. 1310. Qui sæpe & vehementer sine causa manifesta animo linquuntur, ii repente moriuntur *Hipp. Aph.* 41. *sect.* 11. Igitur causa ejus deliquii interna est, atque permanens, licet non semper operans; operatur autem sæpe, & vehementer, igitur per illam frequentiam, ac vehementiam vires imminuuntur, unde tandem etiamsi causa illa non fieret intensior, ad tantam virium diminutionem redigitur æger, ut *Prognosis.*

cau-

causæ illius insultum ulterius sustinere non possit, adeoque ipso statim invadente statim, seu repente moritur. Quia vero causæ morbificæ eo fiunt intensiores, quo vires ægri imminuuntur; ideo eo facilius, & citius fractus ille viribus repente moritur.

Farrago sententiarum.

Animi deliquii causæ. *Art.* 1311. Sectis cadaveribus syncope interemptorum detectum est, plurimos a concreto in ventriculis cordis sanguine, aliove humore ibidem stagnante ejusmodi morbi genere affectos periisse: alios a vermibus, & lapillis: alios a crassis, viscosisque succis in vena cava, & auricula dextra cordis hærentibus: alios ab affuso in pulmones sanguine, alios ab inflammatione pericardii, ulcere, sanieque cor obsidente: & quod majus, a pancreatis, ventriculi, & præcordiorum abscessibus, *Lucas Tozzi*.

Curatio si ex stomachi vitio. *Art.* 1312. Notat *Hartmannus* in lipothymia ex stomachi vitio prodesse primum, quæ vomitum movent, deinde quæ roborant: ut oleum zedoariæ, essentia melissæ cum sp. vin. & aliquot gutt. ol. junip. Id quod observandum in lipothymia ex veneno assumpto, si adhuc ventriculi cavum occupet; imo vomitorium ex pinguibus, & oleosis conficiendum.

In paroxysmo. In omni syncope, confert illico in faciem languentis inspergere spiritum, vel aquam rosarum, flor. mal. aurant. lilior. convall. cæterorumque hujusmodi, vel etiam aquam communem frigidam, excepto quando alvi fluxus adest: ut opportune observat *Matth. de Gadibus*. Tempora, nares, palatum, arteriæ in carpo, & cordis regio inungi poterunt oleo, vel balsamo succini albi, cinnamomi, caryophyllorum, rutæ,

tæ, meliſſæ, citri, de ſcorpionibus Matthioli, aut Magni Ducis; odor etiam Ambari, & Moſchi cito ſuccurrit, in fœminis autem, tum ab his, tum a reliquis rebus odoratis cavendum. Theriaca quoque, & mithridatum opem ferunt, ſi vino veteri, & odorifero diluta propinentur.

Methodus vulgaris commendat ſpirituoſa fortiora, interne propinanda ad ſpiritus, ut dicitur, excitandos, ſed ſanguinem fortius exagitant, ac morbo ſæpe incrementum adferunt. Et licet ad ſenſus revocandos aliquid præſtent, plus tamen vellicationes, frictiones, & punctiones in partibus ſenſibilibus ad hunc ſcopum contribuunt. Sic etiam poſt excitationem vitrum generoſi vini plus analepticæ virtutis præbet, quam omnia balſamica acriora: niſi forte ſpeciali odoris ſuavitate aliquid præſtent.

Art. 1313. Non vana eſt, vulgaris illa commendatio, quod lipothymicis poſt paroxyſmum propinari debeant medicamenta, ſanguinem coagulatum reſolventia: in tali enim ad interiora congeſtione, non tantum ſpiſſitudo ſanguinis inducitur, ſed facile etiam ſtaſes circa viſcera, & febres inflammatoriæ exoriuntur. Natura namque ipſa hanc miniſtrat indicationem: cum profunda illa ſuſpiria, poſt excitationem nihil aliud intentent, quam ſanguinis præcipue circa pulmones, & hypochondria hærentis, diſcuſſionem. *Junkerus*. *Poſt paroxyſmũ.*

Art. 1314. Si a concreſcente ſanguine ſyncopes dependeat, diſſolventia expoſtulantur; qualia ſunt ſp. & ſal vol. C. C. ſal. ammoniac. & viperar. elixir magnanimit. ſp. vini. *Si a ſanguinis coagulatione.*

Art. 1315. Si a vehementibus animi pathematis, ut præcipue contingit in pannico terrore, violenta iracundia, repentino gaudio, ingenti mœrore, poſtquam æger ex inſperſis li- *Si ab animi pathemate.*

quoribus resipuerit, blande in oppositas affectiones deducendus est.

Si a nimia evacuatione. *Art.* 1316. Si ab hæmorrhagiis, irruptionibus, depositionibusque sanguinis, aliorumque humorum evacuationibus lipothymia, aut syncopes procedat, sistendus ille, cum fluit, dissolvendus vero, & per sudorem, si fieri potest, difflandus erit.

Ab aliis causis. *Art.* 1317. Cæterum cum syncopes a variis causis dependeat, illarum ratione etiam diversum curandi modum desiderat. A quacumque causa fiat, urgente paroxysmo sequentia conveniunt: Supinus decubitus, vinum generosum aqua cinnamomi, vel cardiaca quævis: si ex defectu nutrimenti originem syncopes ducat, alimenta potenter restaurantia conceduntur; si malum ab hysterica passione oriatur, remedia convenientia adhibeantur: si a maligna, aut venenata qualitate producatur, alexipharmaca usurpentur; si autem a superpurgatione fiat, laud. opiat. gr. j. prodest. *Verzascha*.

POLYPUS CORDIS.

Malpighii sententia.

Polypus Cordis. *Art.* 1318. Polypi nomen a substantiæ *piscis* similitudine ortum, peculiari cuidam tumori in naribus excitato adaptari cœpit, donec observata quadam in præcordiis luxuriante materia, novus hic Cordis & vasorum morbus jam nunc audit. Figuram sortitur loci in quo generatur. *Ejusdem accurata descriptio.* Moles Polypi major est ut plurimum in dextro Cordis ventriculo, quam in sinistro; in dextro autem color est subalbidus, laridi instar, seu excreti succi, quem vulgo pituitam appellamus, & interdum rubra quædam, vel subnigra stigma-

ta conſperſa habet: in ſiniſtro autem colorem plerumque atrum, & denſiorem obtinet ſubſtantiam. Morboſa hæc excreſcentia ſuam ſtructuram habere videtur, etenim præ ſe fert congeriem ſuperpoſitarum extenſarumque pellicularum, quæ ſubſtantiæ modo nervoſum corpus cum aliquali tamen mucoſitate referunt, & ſi eadem laceretur, ſolvi videtur in oblonga & ſolida filamenta; hæc manifeſtiora redduntur in ejus appendicibus, quæ faſciculi inſtar in fibras quaſi nerveas reſolvuntur. Ex tota concreti ſanguinis mole, grumoſa pars appellata, affuſa licet purpura, multiplicibus lotionibus cum aq. factis, rubicundæ illæ particulæ detergentur, & ſanguis concretus tractu temporis albeſcit, & ejus contexturam plane fibroſam & reticularem oculis certe armatis videre licet; & hæc eſt materia procul omni dubio ex qua generantur Polypi. *Malpighius de polypo Cordis*, p. 158. &c. conſulendus eſt author, qui hujus morbi *ætiologiam* & deſcriptionem longe optimam litteris mandavit. „ De polypis in auriculis & „ ventriculis Cordis hydropicorum repertis (vid. „ *de Hydrop. Per.*

Art. 1319. „ Concreſcentiæ polypoſæ in *apo-* „ *plexia* demortuis frequenter inveniuntur; & „ procul omni dubio plerumque ſunt cauſæ plu- „ rimorum *ſymptomatum* atrociſſimorum, nec- „ non *mortis inopinatæ*, raro deprehenduntur an- „ tequam ægrum jugulent. *Cauſa eſt frequenter mortis repentinæ.*

Lanciſii ſententia.

Art. 1320. Illud plerumque in præternaturali corporum conſtitutione ſolet accidere, ut vitium, quod ſimplex initio morbi fuerat, progreſſu temporis geminetur, & quod a ſolidis *Polypi generatio explicatur.*

incœpit, postmodum propagetur in fluida. Hoc sane evidenter apparet in forti seu valida compressione, vel vinculo ipsarum arteriarum; hæ siquidem affectiones, si diu perseverent, non tantum sanguinis excursum per illam arteriam præpediunt, & morbosam ejusdem liquidi repercussionem inducunt, sed efficiunt, ut tenaciores quædam cruoris partes, cum minus ad reflectionem sint mobiles, agglomerari invicem, paulatimque lateribus arteriæ adhærere incipiant, donec plenior ex novo affluxu facta moles, consimilium particularum, fila referentium, in densum, & fibrosi speciem exhibens corporis, quod polyposum dicimus, coalescat.

Experimentis explicatio illustratur. *Art.* 1321. Probat vero nostrum de generatione poypi assertum, ipsa experientia, quam sæpe in canibus firmavimus: etenim denudatam apud illos, unam ex arteriis Iliacis, cerato filo ante constrinximus; deinde curandum vulnus eorumdem salivæ relinquentes, post 15. aut 20. dies secata per longum arteria, expositam concretionem canalis cavum, ita opplevisse animadvertimus, ut etiamsi soluto vinculo omnis tubo libertas redire potuisset, obstructio tamen ab irruente sanguine postmodum omnino tolli non voluerit; quia nempe substantia polyposa, vel numquam, vel nonnisi longo tempore, seu repetitis pressionibus, & salis volatilis alluvione rursus dissolvi potest.

Polypi cordis ratio. *Art.* 1322. In polypo cordis negligi certe a doctis viris non poterit examen causæ, cur sanguis in ejusdem cordis ventriculis non quidem consueta tenaci densitate, sed friabili, ac diffluente consistentia inveniatur. Hoc sane phœnomenon, ex defectu mixtionis rubræ cum fibrosa, & alba sanguinis parte, quæ intra cordis sinus in polypos coaluerat, deduci posse, cen-

censemus: reliquum enim sanguinis facile difluit fibrarum retinaculo solutum; ut passim contingere videmus, etiam in extracto per venæ sectionem cruore, in quo cum superior pars in albam concrescat gelatinam, inferior, quæ nigra apparet, semper solito fluidior occurrit.

Art. 1323. Polyposas sanguinis concretiones, notatu dignum est, extra corpus ab acidis menstruis tantum dissolvi, ab alkalinis fixis vero, aut volatilibus nequaquam; quod ad dirigendum Therapejam in hujusmodi affectionum curatione plurimum facit. *Quæ polyposas sanguinis concretiones dissolvant.*

Kinps-Macoppe sententia.

Art. 1324. Clariss. & Eruditissimi Viri Caroli Patini describens morbum, litteris ad eum datis talia habet. Quæ ex morbosa Iliade excerpsi hæc sunt: Te scilicet ex valida, & activa constitutione sexagenarium factum, sollicitudinum varietate, ac litterariis laboribus attritum, vitaque sedentaria emollitum, duobus ab hinc annis in faciei pallorem, cacheticum habitum, & aliqualem extremorum emaciationem inclinasse, cum pulsu inæquali, & perturbato, ac dyspnœa præcipue, dum per plana inclinata digrediebaris; Ptyalismo aliquando copioso albo viscidiusculo nulla, vel tenui tussi, nullo dolore aut pondere in præcordiis, vel in dilatatione, aut constrictione thoracis sensibili, nulloque sonitu, aut stertore in respiratione, sed cordis anxietate, tremore, vel levi palpitatione, per vices exacerbaris; quibus affectionibus phlebotomia, catharticis, bechicis, ac sudorificis mederi consilium cum fuerit, in Hypochausto excitato sudore, omnia symptomata exasperata fuisse, ita ut Ortopnoicus summo vitæ discri- *Polypi cordis symptomata.*

 mi-

mine factus fueris; a quo repetita venæ sectione emersus, etsi per viginti circiter dies, symptomata omnia parum relaxari visa sunt, denuo tamen sensibilem cordis palpitationem, respirationem concitatam, anhelosam, ac cum efflatu, uti festinantibus, & suffocatis contingit, cum pulsu continuo inæquale, deficiente, ac recurrente, quibus etiam recrudescentiis repetitam phlebotomiam, quæ sanguinem densæ texturæ, cum crassamento glutinoso ad instar membranæ superextenso, uti in inflammatoriis affectibus apparet, opem tulisse fertur.

Hujus morbi diagnosis difficilis. *Art.* 1325. Quidam te pectoris, aut pulmonis hydrope laborare contendunt, quidam Asthmate humoroso a phlegmate intercepto intra bronchiales fistulas, quidem vero asthmate tantum sicco, & convulsivo. Alii pulmonis lobos vomica, vel crudis tuberculis obsideri, aut ejusdem membranas costis adnatas esse, alii leves arterias crassis humoribus, vel tuberculis obstrui conjiciunt. Nec desunt qui arteriarum aneurisma, vel auctam cordis substantiæ magnitudinem &c.

Instantis mortis signa. *Art.* 1326. „ Sed in dies ingravescente magis dispnœa ortopnoicus tandem omnino factus, triclinio affixus, diem noctemque transigebat. Pedes œdematoso tumore inflari cœperunt; sed ortopnœa ad extremum deducta, assiduis vigiliis, crebrisque suffucationibus, atque intra horar. 24. spatium sævissimis symptomatum insultibus lacessitus frigido pectoris, vultusque sudore, livoreque, VI. Id. Octob. ad meridiem apnoicus, sive exsolutus succubuit.

Anotomica descriptio. *Art.* 1327. „ Aperto cadavere, & ad cor accedentes arteriam magnam, ita dilatatam offendimus, ut aliud cor in pericardio contentum æmularetur, maxime quia tunica disse-

„ cta

„ cta corpus cordi ſimile erueretur, quod nihil
„ aliud tamen erat, quam polypoſa concretio,
„ quæ tendinoſis principiis, brevibuſque produ-
„ ctionibus ſupra ſemilunares valvulas aortæ in-
„ nixa, latiori ventre in laciniatum apicem de-
„ ſinente ad divaricationem uſque arteriæ por-
„ rigebatur. Apertis cordis ſinibus dexter ina-
„ nis erat, ſiniſter ſanguinis infarciebatur gru-
„ mis, columnis tendinoſis ipſius cordis adhæ-
„ rentibus, ut polypi rudimenta viderentur.
„ Siniſtra auricula ita coagulato ſanguine reple-
„ batur, ut ſeroſitas ipſa immixta ſecederet.
„ Pericardium nec flatu nec aqua diſtentum e-
„ rat, imo exhauſtum conſpeximus.

C A P U T VI.

Sive Faſciculus Morborum ſextus.

C R U D I T A S A C I D A & Nidoroſa.

Celſi ſententia.

Art. 1328. STomachum infirmum indicant pal-lor, macies, præcordiorum dolor, nauſea, & nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis. Quæ, in quo non ſunt, is firmi ſtomachi eſt. Nec credendum utique noſtris eſt, qui cum in adverſa valetudine vinum, aut frigidam aquam concupierunt, deliciarum patrocinium in accuſationem non merentis ſtomachi habent. *Stomachi debilitas ex cauſa frigida.*

Art. 1329. At qui tarde concoquunt, & quorum ideo præcordia inflantur, quive propter ardorem aliquem noctu ſitire conſueverunt, an- *Eadem ex cauſa calida.*

tequam conquiescant, duos tresve cyathos per tenuem fistulam bibant. Prodest etiam adversus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare, tum vel ungi, vel lavari assidue, vinum frigidum bibere, & post cibum magnam potionem, sed (ut supra dixi) per siphonem, deinde omnes potiones aqua frigida intercludere.

Ubi cibus acescat. *Art.* 1330. Cui vero cibus acescit, is ante eum bibere aquam egelidam debet, & vomere. At is cui ex hoc frequens defectio incidit, quoties alvus ei constiterit, frigida potione potissimum utatur.

Ettmulleri sententia.

Chylificatio laesa. *Art.* 1331. Morbi plerique, praecipue chronici, a depravata coctione originem ducunt; duo sunt vitia insigniora, cruditatis in coctione, viz. *cruditas acida*, & *nidorosa*.

Cruditas acida. *Art.* 1332. *Cruditas acida* est, quando alimenta abeunt in liquamen acidum fixum plus minus viscidum, nec sufficienter attenuatum, & volatilisatum, fundamentum & origo morborum chronicorum.

Signa cruditatis acidae. *Art.* 1333. Cruditas *acida* cognoscitur ex soda, ructibus acidis & copiosioribus; quae rejiciuntur per vomitum vel natura vel arte, sunt admodum crassa, viscida, ac pituitosa; alvus plerumque adstricta est.

Curatio. *Art.* 1334. Cruditas acida corrigitur *per absorbentia & acidum destruentia, ac aromatica volatilia, nucem moschatam, zinziber, sp. C.C. &c.* Destructo in hunc modum acido, *purgantia* demum adhibenda sunt: nisi enim haec methodus observetur, nihil per purgantia evacuabitur; sed

tor-

tormina & motus convulsivi excitabuntur. Usus *cancrorum fluviatilium* mire proficuus est, ut & *Gelatina*, *C. C.* &c.

Art. 1335. Cruditas *Nidorosa* est, quando alimenta corrumpuntur ita, ut abeant in liquamen putrilaginosum horridi saporis & odoris, & omnino nutritioni ineptum; quod vocatur *Nidor*; exhalant ructus graveolentes *Nidorosi*. Appetitus est index, qui loquitur, & monstrat quasi, quæ sunt assumenda; hinc nobis inculcat *Hippocrat. in aphorism.* quod appetita facilius longe digerantur, quam non appetita. Verum est proverbium; *quod sapit, nutrit.* *Cruditas nidorosa.*

Art. 1336. Ingestio variorum alimentorum ad Cruditatem *Nidorosam* disponit. Masticationem qui negligit, *Arabibus* animam suam odisse dicitur. Conqueruntur ægri de dolore gravativo stomachi duobus horis post pastum, item de ructibus 5. vel 6. hor. post alimentorum assumptionem, iisque non acidis, sed nunc insipidis, nunc putridis, nunc sulphureis, nunc genuinum saporem & odorem assumptorum repræsentantibus; mox post pastum adest rubor faciei, quasi essent ebrii. *Diagnosis cruditatis nidorosa.*

Art. 1337. Cruditas *Nidorosa* ructus habet fœtidos, aut saltem horridos instar ovorum frixorum, aut piscium putridorum; percipiunt imprimis mane saporem peregrinum & abominabilem, quasi cinereum, seu ligni putridi, quem sufficienter exprimere nequeunt. Subinde amaror cum *cardialgia* & aliquali *nausea* percipitur, ex ore & stomacho; quæ vomitu rejiciuntur, sunt liquida, flava, & omnino insipida, aut quodammodo amaricantia, aut insipida dulcia, aut ex amarore dulcescentia; præterea habent alvum sæpius plus solito apertam. „ Cruditas „ Nidorosa juxta veterum principia est *intem-* *Signa cruditatis nidorosa.*

peries.

Intemperies ventriculi calida. „ *peries ventriculi calida*, in qua omnia assumpta mutantur in bilem; signum hujus est sapor tetricus in ore, incipiente vel peracta „ chylificatione.

Curatio. *Art.* 1338. Quoad curam convenit *vomitus* aut saltem evacuatio *per rhabarbarum & tamarindum*; post horum exhibitionem mire conducunt *julapia acidulata*, *succus aurantiorum*, *citrorum*, *elixir proprietatis acid. sp. salis dulcis*, *vitriolata*, &c.

Nota bene. *Art.* 1339. „ Probe notandum est (ut therapia rite instituatur) ægroto incumbere non „ modo remediorum sibi præscriptorum usui, „ ut decet, insistere, sed quod cane & angue „ pejus fugere alimenta sibi noxia, fomitem causis morbificis, & mala exacerbantia. Qualis „ erit diæta, petendum præcipue ex nocentibus „ & juvantibus, in quæ itaque diligenter dirigere oportet medicum.

Flatus. *Art.* 1340. Flatus in stomacho & intestinis fiunt per fermentationem vitiosam ab acido præternaturali in subjecto viscido excitatam. „ In curatione omnem paginam absolvunt *digestiva* „ & *evacuantia* cum victu regulari.

Apepsia. *Art.* 1341. „ Ventriculus corporis *culina* appellari potest: ejus officium est alimenta recipere tanquam in promptuarium, eademque „ concoquere est ejusdem actio primaria; unde „ *apepsia*, *sive indigestio* est totius œconomiæ „ ruituræ indubitata denuntiatio.

Digestio. *Art.* 1342. Digestio est opus simpliciter naturæ, nec arte promoveri potest; opus naturæ saltem adjuvare possumus & fermentum ventriculi corrigere ita, ut in statum naturalem reducatur. Propinanda sunt *vomitoria*, *cathartica*, &c. postea *stomachicis* & *corroborantibus* insistendum est. „ Mirum videtur in quibusdam so-

„ mnum

„ mnum, in aliis exercitium, coctionem prom-
„ ptiorem ac faciliorem reddere, quod tamen
„ monet quotidiana experientia.

Art. 1343. Remedia ſtomachica, & ventriculum roborantia inſigniora ſunt, quæ ſequuntur. *Mentha, abſynth. utrumque, aromata, zedoaria, grana piperis integra deglutita* (ad cruditates *acidas*) *rad. helenii, calami aromat. raphani ruſticani, ari*; *plebeia* quidem, ſed optima *ſtomachica*: *ſuccus cydon.* (cum fumo *ſulphuris* ſervatus,) tincturæ ex *amaris* & *aromaticis* (cum *ol. ſulphuris* per campan. extractæ) pulvis pepticus ex *pelle interiore ventriculi gallinæ*, & tinctura ejuſdem; *chalybeata, cortex Peruvianus, cortex aurant. citr. conditus, item zinziber, & allium conditum, tartarum vitriolatum, tinctura ſacra, elixir proprietatis, aqua gentian. comp. abſynth. comp. ſpiritus menth. ſyrupus cydoniorum, rob. & miva eorundem, ſpecies diambræ, cruſta panis vino generoſo ebria & cum pulv. N. M. caryoph.* &c. *conſperſa*, & ita inſtar ſcuti ſtomacho tepide applicata, &c. **Remedia ſtomachica.**

„ Stomachica alia celebriora & in praxi Londi-
„ nenſi uſitatiora ſunt *Elixir magnum vitrioli*,
„ *tinctura ſtomach. amar. Quincii ad imitationem*
„ *Stoughtoni*; *vel ſequens, quæ præſtantior vide-*
„ *tur*.

„ ℞. *Cort. aurant. ſicc.* ℥j. *rad. gent.* ʒij. *ſem. car-*
„ *damom. min. zedoar. ana* ʒj. *caryoph. croc. ana*
„ ℈j. *cochinel.* ℈ß. *ſp. vin. Gallic.* ℔j. *f. tinctura ſ.*
„ *a.* vel infuſum ſequens.

„ ℞. *Rad. gent.* ʒij. *ſummit. abſynth. Rom. p.* ij.
„ *calam. arom.* ʒiß. *cubeb.* ʒj. *cort. aurant.* ʒiij. *in-*
„ *fund. in aq. bullient.* ℥xx. *colatur. add. aq. abſynt.*
„ *magi comp.* ℥iij. *miſce*; *vel*

„ ℞. *Rad. gent. zedoar. caſſumunar. ſem. carda-*
„ *mom. min. ana* ʒj. *cort. flav. aurant. ſicc.* ʒij. *in-*

„ *fund. in aq. bullient.* ℔j. *colatur add. aq. gent. ma-* „ *gis comp.* ℥ij. *sp. lavend. comp.* ℥ß. *misce.*

„ In omnibus fere imbecillitatibus & morbis „ ventriculi *masticatio rhabarbari* conducit, præ- „ cipue in alvum habentibus adstrictiorem.

„ Item *Electuarium e zinzib. mistura stomach.* „ *& julap. stomach.* Et pro usu externo *Fotus sto-* „ *mach. epithema, scutum, sacculus, emplast. robo-* „ *rans, ex Pharm. Fulleri*, quandoque usurpari „ possunt.

Art. 1344. „ Stomachica debent esse tempe- „ rata, (ut recte annotavit *Vvaldschmidius*) ne „ fortioribus remediis calorem nimium vel au- „ geamus vel extinguamus; & ne fermentum „ reddamus acrius vel debilius, hinc præstat „ pauca dosi & per intervalla remedia *stomachi-* „ *ca* exhibere, quam uno impetu ventriculum „ remediorum mole obruere.

Nausea & vomitus. *Art.* 1345. Nausea & vomitus: in genere vomitus omnis, qui non est *nimius*, ut plurimum est *salutaris*.

Curatio. *Art.* 1346. In omni vomitu unice observetur, ut *alvus*, quantum fieri potest, teneatur *aperta*. Ad vomitum sistendum conferunt *cydoniata*, *syr. & tinct. coral.* præ reliquis *succus cydon. sp. menth. sal. absynth. cum succ. limon.* &c. Externe *decoct. absynthii*, *menth. cort. granator. flor. ros. rub.* &c. in vino rub. coct.; sacculus *croci* ventriculo admotus egregie vomitum sistit, ut & cataplasmata ex *fermento & pulv.* aromaticis. In genere præmissis rite universalibus *stomachica* (1343.) sunt usurpanda; *decoct. fracastor. elect. zinzib. julap. stomachicum, coral. mistur. stomach.*

„ In vomitionibus ab emetico fortiori excitatis „ (*teste Vvaldschmidio*) si detur coch. j. *spiri-* „ *tus vini*, vomitum in momento compescet.

Art.

Art. 1347. Vomitus *cruentus* frequenter a pancreate oritur; quando, scilicet, vasculum ejus a succo acriori corroditur, ex irritatione duodeni partim sursum in ventriculum propellitur, partim inferius defertur, dolor gravativus, & obtusus in superiori lumborum regione, ubi situm est pancreas, præcedere solet. Non raro decipiuntur medici, qui vomitum materiæ *nigricantis* habent pro *cruento*. In vomitu *cruento* Hæmorrhoidum fluxus est salutaris; est enim evacuatio quasi vicaria. *Vomitus cruentus.*

Art. 1348. „ Ipse ventriculus quandoque gra- „ vissimis *Hæmorrhagiis* obnoxius est. Et revera „ vomitus sanguinis a quacunque causa oriatur, „ periculo haud vacat. Nimia sanguinis ejusmo- „ di effusio intra ventriculi parietes, vel extra „ corpus ejectio mortem subitaneam interdum in- „ fert; vel si sanguis in ventriculo extravasatus „ restat, ibidem grumescere solet & corrumpi; „ inde graves *Lipothymiæ* & *suffocationes* crean- „ tur. " *Periculosum malum.*

Art. 1349. Remedia in hoc affectu sunt succus *urticæ*, *sem. hyosciami*, *catechu*; *lap. hæmatit.* cum *blandis acidis*, aut *succ. cydon.* Aliquando etiam pus exernitur, & per vomitum rejicitur. Convenit *antimon. diaphoret. antihect. Poterii*, *sacchar. saturni*, *haustus japonicus* Fulleri, *tinctura antiphthisica*, *&c.* *Remedia ad vomitũ cruentum.*

Art. 1350. Anxietas *præcordiorum* est insignis dolor circa scrobiculum cordis. Malum hoc oritur semper ab affecto plus minus orificio ventriculi sinistro. *Anxietas præcordiorum.*

Art. 1351. Cardialgia est ventriculi orificii superioris dolor admodum molestus, & intensissimus; oritur ex effervescentia succorum heterogeneorum, maxime bilis, unde percipiuntur phlogoses, & insignis ardor. Causæ hujus mali *Cardialgia.*

sunt

ſunt variæ, bilis vel ſucci pancreatici vitia, lumbrici, ulcus orificii ventriculi, &c.

Curatio. *Art.* 1352. Doſis *theriac. Andromach.* egregium eſt *anticardialgicum*. Cura ut plurimum inchoanda eſt cum *vomitorio*, & poſtea *opiata* cum *purgantibus* admiſcenda ſunt. *Tinctur. ſal. tartari a gutt.* xl. *ad* l. *item pulv. teſtac. cum caſtor. oleum amygd. dulc.* eſt maxime efficax; laudatur decoct. ſaſſafr. externe *linimenta*, *empl. e tacamahac. caran. & balſam. Peruv.*,, *Pulvis interioris pelliculæ* ,, *ventriculi muſculoſi gallinæ ad* ℨj. in vehiculo ,, appropriato eſt efficaciſſimum remedium huic ,, malo (inquit *Shaw.*)

Anorexia. *Art.* 1353. Anorexia ſive inappetentia eſt, quando ægri deſtituuntur deſiderio ad alimenta. Ratio habenda eſt morbi alicujus tanquam cauſæ, unde *indicationes curativæ* petendæ ſunt, & poſtea *ſtomachica* (343.) ſunt uſurpanda, &c.

Malacia & pica. *Art.* 1354. Malacia eſt appetitus nimius, unde interdum, plus quam conducit, comeditur. Pica eſt appetitus inſuetorum, ut crudæ animalium carnis, carbonum, calcis vivæ, &c.,, In ,, virginibus *chloroſis Picam*, *viciſſimque Pica* ,, *chloroſin fovere ſolet*. Pica eſt affectus chroni- ,, cus, & non infrequenter ad *hydropem*, *cache-* ,, *xiam*, vel *maraſmum* viam ſternit. Non ſo- ,, lum virginibus accidere ſolet, ſed plerumque ,, gravidis quoque; iis vero non adeo pernicio- ,, ſa eſt. " Hi affectus oriuntur ex depravato ſtomachi fermento; ideoque *evacuationibus*, & *ſtomachicis* ſunt curandi.

Bulimus. *Art.* 1355. Balimus ſeu appetentia canina, eſt voracitas nimia; ægri copioſe deglutiunt alimenta, ſed non comminuunt; eſt affectus plerumque ab extremo ambientis aeris algore progenitus, in cibi faſtidium brevi deſinens. *Appetentia canina* eſt ſemper cum vomitu vel diar-

rhœa,

rhœa, „ Præcipua cura in diæta est quærenda. „ Omnia pinguia, & dulcia temperata illi pro- „ sunt, ut & leniter purgantia. "

Art. 1356. „ Crapula, per quam intelligo id, „ quod nostro idiomate vocamus *a Surfeit*, est „ mala corporis habitudo cum sensu gravitatis „ ad ventriculum, & ægritudine; supervenire „ solent plerumque *Eruptiones cutaneæ & febri-* „ *cula*: Causa usitatior hujus affectus est edi- „ lium vel potulentorum nimia voracitas; in- „ gesta autem non minus qualitate, quam quan- „ titate peccabili lædentia esse possunt; aliæ quan- „ doque etiam sunt causæ, uti potio nimis lar- „ ga frigidæ, vel cerevisiæ tenuis æstivo tempo- „ re, exercitium nimis violentum, fervida ac „ sulphurea aeris constitutio, & similia. Eru- „ ptiones cutaneæ sunt de genere *Erysipelatoso*, „ quod ordinario appellamus *a Rash.* *Crapula.*

Art. 1357. „ In omnibus hisce affectibus, & „ præcipue a Crapula proprie dicta originem du- „ centibus vomitorium, quam primum est pro- „ pinandum, & si febris nondum invaserit do- „ sis tincturæ hier. die proximo exhibenda est. „ Si eruptiones in conspectu veniant, susten- „ tandæ sunt cardiacis, & lenibus diaphoreti- „ cis; potus sit serum lact. vino Canariensi al- „ teratum, & alias infusum salviæ. In habitu „ plethorico, ubi febris intensior fuerit, *phle-* „ *botomia* locum habere potest. *Curatio.*

Farrago sententiarum.

Art. 1358. In morbis ventriculi non minus ea quæ cavere, quam quæ facere oportet proponenda habeto. Et primo quidem, quamquam pituitam viscidam, quæ stomachum gravat, vomitu interdum ejicere maxime necessarium sit; *Vomitiones frequentiores obsunt.*

fre-

frequentibus tamen vomitionibus motum illum naturalem, quo alimenta deorsum pelluntur, invertere, concoctionem ciborum plurimum perturbat, & impedit.

Stomachum roborantia. *Art.* 1359. Appetitum ad cibos acuunt herbarum amararum infusiones, quæ ipsam sæpe concoctionem adjuvant; at metus est, ne longus illarum usus fibras musculares nimis calefaciat. Quocirca acidis quibusdam, præsertim elixire vitrioli *Mynsicht*, illas simul adstringere non raro convenientius est; ea tamen adhibita cautione, ut dum adhuc tenax est, quæ ventriculo inhæret pituita, illis abstineatur. Frequentissimum enim stomachi malum est, quo resolvitur; idque certe fibrarum ejus constrictionem desiderat. *Richardus Mead*.

Cupiditas itemque, fastidium ciborum quid portendat in morbis. *Art.* 1360. Aliqua etiam animadverti circa appetentiam, aut fastidia ciborum possunt. Optimum signum est omnibus in morbis bene sese ægros, ad alimenta, quæ offeruntur, habere. At cibum adversari cœpisse, per longos morbos, & post eos, malum est; itemque post cibi cupiditatem fastidio ejus affici. Nullum leve malum timeri in longa appetentiæ amissione potest, maxime si contractum a frigore id vitium fuit. Æque perniciosum est boulimo aliquem, aut canina urgeri appetentia cœpisse. In hac ipsa desiderium plurimum epularum est, multumque voratur: quod quia onere ventriculum gravat, iterum vomitum extruditur: atque sic levatus homo vorare denuo nova cupiditate incipit, rursumque, ut canis, quod assumptum est, vomit. Sæpe hoc vitium bulimum, & altum soporem, & lævitatem intestinorum, & hydropem, & atrophiam, ipsamque necem intulit. In eodem ægri primum multa fame urgentur, quæ tamen non omnino immo-

moratur, quin enim animus subinde deficit, simulque concidit spiritus, extremaque refrigescunt. Tum profecto in propinquo syncopes est, quam ipsa excipit mors. *Lommius.*

Stomachi vitia non semper ab humorum cruditate.

Art. 1361. Observandum: viscera esse, quæ sanguis non hoc, vel illo sui succo, sed tota sua mole impetere solet; unde concludendum non ab hoc aut illo succo venire impetus, qui viscera illa lacescunt; proindeque istiusmodi impetus ex iis non erunt, qui purgationi obsequuntur. De illorum viscerum numero est stomachus, qui a sanguine una pati consuevit, quidquid illi evenit mali. Saltem a sanguine nasci consueverunt vomituritiones, quibus lacessitur stomachus cum mensibus, & hæmorrhoidibus morantibus aut suppressis incessabilis illi veniat vomendi cupido. Inde quod vix apud vulgus inveniet fidem, a purgantibus finiuntur minus, quam exacerbantur vomendi molimina, quæ sanguinis vacuatio magis, quam humorum evacuatio sedat. *Hequetus.*

Non raro ab imminuta fibrarũ elasticitate.

Art. 1362. Ventriculus cum viscus sit omnium membraneum, nervoso generi universo commodo, aut incommodo in primis est. Hinc ægritudinum fere quarumlibet origines a stomacho nasci, tam vera suspicio est, quam certa fides a solidorum (quæ nervi sunt) vitio maximam morborum partem oriri. Etsi affirmabis alimentum ætate delabente siccandis indurandisve partium staminibus aptum, esse longævitati contrahendæ, vel accelerando senio opportunum, ubi addas incommoda discriminave, quæ ex tardata aut imminuta partium oscillandi vi exsurgunt, causas habebis imminutæ, aut imminuendæ hominum longævitatis, simulque morborum, quibus conflictantur origines; quorum

præcipui sunt: stomachi infirmitas, ructus, flatus, pro quibus exinde corrigendis imminuendisque meri potum series plurimum habent, suumque lac vocitando laudibus extollunt.

Plurima sodæ causa. *Art.* 1363. Morbus quem recentiores Medici *Soda* Galli vero *Fer-chaud* vel *ardor stomachi* vocant, dolor est exurens, vel potius ardor, qui a ventriculi orificio secundum oesophagi longitudinem usque ad fauces extenditur. Hic a diversis quidem causis produci potest, ut ex acida indigestione, ex bile in stomacho congregata, ex hujus visceris inflammatione, vel etiam ex acidorum liquorum abusu: ut Cerevisiæ &c.

Remedia ad sodã essentialem. *Art.* 1364. Prior *Sodæ* species quæ ab acidis indigestionibus producitur eos frequenter corripit, qui Castaneis torrefactis abutuntur. In hac conveniunt haustus copiosi aquæ tepidæ & infus. herb. Thè. Altera species ex acri bile in stomacho congregata proveniens cognoscitur ex oris amaritudine, viscerum ardore, siti &c. Colagoga purgantia ad hanc requiruntur, quibus potus Thè copiosus largusque præmittitur. Tertia species sanguinis emissionem reposcit, Ptisanas & juscula pulli gallinacei &c. Quarta species Potatoribus familiaris, absorbentibus feliciter curatur. Testatur etiam D. *Homberg* lapides cancrorum dicto citius hunc morbum compescere.

Ad symptomaticam. Datur etiam sodæ species, quæ symptomatica est, quia ab uteri, vel jecuris, vel aliorum viscerum inflammatione excitatur. Hujusmodi symptoma ceteris sæpe evidentius in hujusmodi morbis prodit, a quo etiam morbi species indicatur; quare eadem methodo, qua principalis morbus, curatur. Pro omnibus stomachi mor-

morbis rite percipiendis consulatur opus D. *Hecquet: De la Digestion* &c. gallice inscriptum edit. 1730.

Art. 1365. Inter casus oppido raros recenset Morgagnius in Epistolis Anat. Med. Lib. III. epist. 39. §. 14. quem observare contigit eximio Valsalvæ de procidentia ventriculi cujusmodi, sequens est: Mulier gracilis, annorum circiter 40. cum hystericæ affectioni multum esset obnoxia, ejusque præsertim gravioribus paroxysmis, qui convulsivis motibus universum corpus, præcipue autem ventris viscera concutiebant, cumque nonnullos tandem cæterorum gravissimos passa esset; animadvertere cœpit manifestam cum in epigastrica regione depressionem tum in hypogastrica extuberationem. Illa nunquam mutabatur; hæc sæpe intra unum diem. Nam majorem, & prædurum tumorem cum ostenderet; sæpenumero hic repente concidebat. Item cum alimenta sumebantur; hæc eodem usque præcipitari mulier sentiebat, eaque pars inde magis attollebatur, graviorque fiebat ponderis sensus, qui semper ibidem erat: interjectis autem quatuor aut quinque horis dolores acerbissimi, & tormina, & animi defectiones excitabantur. Ægra sæpe querebatur, sibi omnia viscera; sic enim ajebat; e suis sedibus esse prolapsa. Coctiones manifesto vitiatas habebat: febricitabat, erat valde emaciata. Cum tres menses sic, ut diximus, affecta vixisset; decessit.

Ventriculi prolapsus.

In cadavere id inventum est, quod suspiciebatur; ventriculus ad hypogastrium prolapsus, vix ut quatuor transversi digiti inter ipsum pubemque intercederent; pars enim illa ventriculi, quæ gulæ respondet, usque adeo in longum

Causa.

gum producta erat, ut fundus totus esset in hypogastrio. Causa videtur Morgagnio convulsiones viscerum, quæ ventre continentur, quippe quibus eam partem extenuando, eoque longiorem efficiendo, quæ gulæ continuatur, huc usque detractus sit ventriculus. Nec profecto alias causas, quæ hujusmodi prolapsum efficere possunt prætergreditur, quas imo ad duo præcipua capita revocat, viz. ad tractionem ab imo venientem, aut ad compulsionem de summo. „ Trahebatur enim, inquit, in Vesalii „ ægro a gravissimi omenti pondere, in Meryi „ observatione a tenuibus intestinis pene omni- „ bus in scrotum devolutis, aut in prælongum „ alterum saccum, ut in observatione Henrici „ Papen; Compellebatur vero deorsum depres- „ so diaphragmate, aut prægrandi jecure, cu- „ jusmodi in duabus Fantoni Patris observatio- „ nibus aliisque a Valsalva aut a me captis.



CHO-

CHOLERA MORBUS.

Hollerii sententia.

Art. 1366. Cholera morbus est accutissimus, sine febre fere, quæ vel uno die, vel altero, vel certe paucis diebus hominem rapit, substantia corporis effusa, partim assiduis vomitionibus, partim iisdem dejectionibus. *Morbi definitio.*

Hippocrates choleræ siccæ meminit de ratione victus in acutis §. 4. cujus naturam, & curationem ex eo loco intelliges. In humida vero animadvertendum in primis est, ut si fieri potest, vomitus componatur, & relinquatur motus, qui ad intestinum est. Corrupta fere, ac exitiosa materia, quæ excernitur, initio retinenda non est, sed tum primum, cum vires inde concidere videntur. *Et natura.*

Art. 1367. Itaque initio aquæ tepidæ, aquæ hordei, aliquando etiam adjecto momento sacchari, aut mellis, ubi frigida materia est, imperandus est potus ad unc. vj. Quodsi æger borborygmis, & flatibus sollicitatur, cochleare dimidium seminis cumini poterit aqua incoqui. Hac arte fluctuans materia, & ad vomitum incitata repurgatur, deinde sistendo vomitui intendendum est. *Curatio.*

℞. *Julap. rosf. unc.* iij. *succ. granator. unc.* j. *sem. Misce*, & utatur æger brevibus intervallis duobus, aut tribus cochlearibus. Conveniunt & syrrup. Rosat. Myrthin. de cydoniis, de granatis, & similis in causa frigida, in causa autem calida omnino iidem, sed conspersis pulveribus spicæ, cinnamomi, nucis moscatæ, & similibus. Hæc omnia oportet cochleatim assumere brevi-

bus intervallis, & fine aquis. Largior enim potus hic non convenit.

℞. *Santal. rubr. rosar. ana* ʒij. *galliæ moschat.* ʒ *sem. Camphor. gr.* v. *aq. ros. unc.* iv. *acet. unc.* j. *sem. misc.* Panniculi in hac miscella mersi, & expressi, quantum fieri potest frigidi, toti ventriculo applicentur. Potest inungi stomachus oleo rosato, de cydoniis, de spica, de absynth. ut res exigit.

Si æger facile, & assidue vomit. Quodsi nihil contineat æger, prius data aqua tepida, cucurbitulam magnam affiges ventri, & interim dum ea cucurbitula affixa est, cibum exhibebis. Brevibus intervallis cucurbitulam figes, & refiges, & ita nutries.

Consensus est veterum Medicorum dropacismum impositum ventri singulare esse remedium assidue vomentibus. Parabis dropacem ex quatuor partibus picis, & olei cydonior. una, simulque liquatis: super alutam extendantur. Postremo medicamentum calidum ventri applicabis.

Scardonæ sententia.

Choleræ siccæ descriptio. *Art.* 1368. Violenta aeris per superiora, & inferiora cum impetu, & sonoro strepitu eruptio, *cholera sicca* appellatur, quæ tum excitatur, cum particulæ aeris spasmodica fibrarum œsophagi, pylori, & totius canalis intestinorum constrictione comprimuntur, ac carcerantur, mox hisce resolutis libere, ac violenter erumpunt.

Descriptio humidæ. *Art.* 1369. Choleram humidam ventriculi, & intestinorum vehemens dolor, inflatio, distentio, pulsus parvi, frequentes, animi deliquia, singultus, spiratio celerrima, sudores frigidi

gidi, extremorum refrigerationes, eorum contractiones, convulsiones non raro sequuntur.

Art. 1370. Cholera certis temporibus recurrens, quæque declinationibus febrium supervenit salutaris. Ceterum acutissimus morbus est, atque 24. hor. spat. hominem interficit. *Prognosis.*

Art. 1371. In cholera sicca ol. amygdal. dulc. f. i. r. e. ad unc. v. cum laud. liq. gutt. vj. vel x., nec non *clyster. ex decoct. fl. Chamomil. cum furfure unc. vj. ol. lil. alb. violar. ana unc. j. sem. philon. roman. vel Theriac. ʒij. sæpius injecti eximiam operam præstant. Vinum maturum, lene, odoriferum, calidum quotidie bis exhibeatur. *Curatio siccæ.*

Art. 1372. In cholera humida jusculum pulli ægro ad libras per intervalla tepidum propinetur. Clysteres eodem tempore injiciantur ex eodem jusculo add. syrup. portulac. lactuc. violar. Post quatuor vel quinque hor. sequens mixtura exhibeatur: ℞. Aq. menth. e succ. flor. chamomil. Theriac. ana unc. j. aq. cinnamom. el. ʒij. syrup. berb. ʒvj. Laud. liq. cydon. gutt. x. m. Extrinsecus Emplast. ex theriaca, vel sequens Ceratum ventri applicetur. ℞. Cerat. Tachamac. unc. sem. Camphor. Opii ana ʒ sem. dissol. camph. & opio, cum sp. vin. reformetur ceratum pro usu dicto. *Curatio humidæ.*

Art. 1373. Quid non præstant interdum, ubi de ægro fere conclamatum est, aquæ perquam frigidæ potiones? Uti nimirum initio morbi aquæ tepidæ, ita decursu ejusdem frigidæ mirum in modum conferre visæ sunt. *Quid faciendũ in extremis.*

Sydenhami sententia.

Art. 1374. Malum ex se cognoscitur: adsunt enim vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate, & angusta per alvum dejectio; ventris ac intestinorum dolor vehe- *Choleræ morbi descriptio.*

mens, inflatio, & distentio, cardialgia, sitis, pulsus celer cum æstu, & anxietate, nausea, artuum contractura, extremorum frigiditas, animi deliquium, &c. „ Bilis supra infraque magno impetu prorumpit, primum liquidior, „ pallida, & subflava; dein crassior, majoremque colorem exhibens, flavum scilicet, prasinum, cœruleum aut etiam nigrum.

Methodus medendi. *Art.* 1375. Pullus tenerior elixetur in aq. font. cong. circiter iij. *hujus decocti* cyathos plenos exhauriat æger, eodemque tempore injiciatur *enema* ejusdem liquoris semel atque iterum, vel ad 3^a, 4^tam ve vicem; his addi possunt *syr. portulac. lactuc. violar.* &c. Exantlato hoc eluvionis penso detur *paregoricum*. Si vires ægri exhaustæ fuerint, & valde debilitatæ ante adventum medici ita, ut extrema frigescant, recto cursu ad *laudanum* confugiendum est. Vix ultra *Augusti* limites evagatur.

Ettmulleri sententia.

Prognosis. *Art.* 1376. In genere qualiacunque symptomata fortem ac deleteriam antimonialem purgationem, aut helleborum album sequuntur aliudve catharticum, ea similiter obvia sunt in cholera. Cholera, quæ sponte sua sine causa manifesta externa corripit ægros, ut plurimum est funesta. Est malum peracutum intra 24. horas, biduum, vel triduum, jugulans; periodum fere observat tertianariam, ita nempe ut de 3^io in 3um diem moveatur, seu plus minus exasperetur; quo magis excrementa a *statu naturali* recedunt, eo periculosior. Cholera aliquando est *epidemica* & *lethalis*.

Remedia qualia. *Art.* 1377. „ Remedia petenda sunt ab *Art.* de „ *vomitu*, de *diarrhæa*, &c. causa morbi, si in-

„ veniri

„ veniri possit, bene pensitata. Vires decocti „ *rad. ipecacoan.* tentari merentur. Vid. *dysen-* „ *teriam*.

Farrago sententiarum.

Art. 1378. Cholera duplex est, una in qua humores pravi sursum, deorsumque cientur; altera sicca, in qua flatulenti spiritus acerrimique proritatio est. *Morbi species, & curatio cum cautionibus.*

In cholera suppressio prodeuntium mala est, quia cruda sunt. Oportet itaque si facile ac libenter exeant, permittere, sin minus, ea incitare.

Si vires ægri exhaustæ fuerint, & valde debilitatæ ante Medici adventum, ita ut extrema frigescant, recto cursu ad Laudanum confugiendum est.

In Curatione Choleræ cumprimis humidæ, cave ne ab initio talia adhibeantur, quæ fluxum humorum acriorum, & præter naturalium omnino cohibent, secus si feceris, recidiva morbo suo periculosior metuenda est.

Cavendum etiam a purgantibus fortioribus ne ignem igni addamus, cum & lenissimi cathartici operatio magis perturbet, & novos tumultus excitet.

Anodyna & Opiata aut parce, aut plane non sunt propinanda, ubi vires jamdudum ex toto sunt prostratæ, ne somno lethali accedente Medicus ægrum enecasse videatur.

Gonagram medicamentis repressam, spretisque fonticulis cholericos motus lethales fecisse observavit *Prevotius*.

In cholera humida ubi major irritatio quam humorum impetus isque minor quam copia est, pharmaca ne sint multum adstringentia, sed medio-

diocriter laxantia, & aliquo modo roborantia. *Rhod. in analect. ad Septal.*

Cholera ficca diuretica, non admittit, inquit Capivaccius, & fi vires ægri imbecilles fint Narcotica minime perfert, quæ fi omnino exigantur leviora fint.

Hippocrates 4. de rat. vict. in acut. Choleræ ficcæ medellam defcribit per ufum clyfterum, vini meracioris, olei, & lactis Afinæ, præter, fomnum quæ hujufmodis ægris conferre dicit. Rufticis familiare eft allium coctum cum ruta: quæ nifi profuerit, etiam enemata ex iifdem parata conveniunt. Cæterum laudatur a *Sylvio* fp. nitr. in aqua fœniculi, & fyrupo menthæ; itemque fpiritus carminativus ab eodem defcriptus.

ALVI RETENTIO.

Æginetæ fententia.

Alvi quotidiana egeftio ad valetudinem facit.

Art. 1379. Prifcis quibufdam ad valetudinem tuendam abunde vifum eft diebus fingulis alvum, & vefcicam citra reprehenfionis notam recrementi fufficienter, pro cibi potufque fumpti multitudine, exonerare. Alvo fuppetias ferebant terebinthina, inftar olivæ, fub fomnum devoranda exhibentes. Si vero acrius alvum fubducere animus eft, exiguum Rhei Barbarici admifcebimus.

Remedia alvum emollientia.

Art. 1380. Conveniunt etiam alvo emolliendæ ova forbilia, ex oleribus beta, malva, jus cochlearum, & hæc fortaffe fatisfaciunt. Validiores in hac re vires habet, mercurialis in aqua cum falibus elixa, & comefta, & jus ejus epotum, fimiliter & fambuci folia, polypodii-

que radicis duo denarii salsamento inspersi, aut cum ptisana deglutiti. Ejusdem classis est serum lactis ad trium aut quatuor heminarum mensuras cum sale & melle sorptum.

Jus quoque veteris gallinacei, tam per se, quam cum binis crici denariis acceptum alvum emollit. Aloen interim a cena, quæ trium vicerum magnituvinem æquet, assumere expedit. Saluberimus itidem fuerit Epithymus cum vino post frugalem cenam epotus. Verum si quis vehementiore evacuatione egeat, veris tempore epithymi drachmam ex oximelite hauriat.

Ettmulleri sententia.

Art. 1381. Alvi retentio cum sit pertinacior, frequentius est causa mille malorum, dolorum abdominis variorum: interdum nauseæ & vomitus, affectuum capitis, cephalalgiæ, vigiliæ, vertiginis, &c. „ Familiaris est spleneticis, ne„ phriticis, hystericis, arthriticis, literatis, „ scorbuticis, &c. *Alvi retentio causa mille malorũ.*

Art. 1382. convenit *oleum amygd. dulc.* vel per se vel in jusculo ad ℥ij. vel iij. *decoct. tamarind.* in sero lactis; *gum. ammoniacum. Aurum fulminans* cum extracto *hellebor. nigr. sal. gem.* in clysteribus ad ʒiß. vel ʒij. multum laudatur ad fæces induratas fluxiles reddendas; item clysmata oleosa *ex ol. lini, ol. raparum, ol. oliv.* &c. In alvo pertinaciter obstructa conducit balneum ex *emollientibus* & linimenta. *Curatio.*

Boerhaavii sententia.

Art. 1383. Vires tartari crudi in medicina optimæ sunt, cremoremque & crystallos superat viribus ad abstersionem primarum viarum; *Tartarus crudus.*

vix

vix sua indole *secundas vias* ingreditur, ob crassitiem & indissolubilitatem, nec invenit tantum liquidi in illis, quantum ad sui solutionem requirit. Si autem humoribus alcalinis occurrit, solvitur penitus, non a liquido, sed a solo alcali occurrente, qui duo sales faciunt tunc optimum salem dissolventem; si vero dissolvitur ab aqua, est adeo crassus ut per pannum non transeat, nec hinc transeat per lactea; & si forte solvitur a bile, aliove forsan liquore, non agit ut Tartarus, sed ut sal neuter, vel sapo: hinc multos morbos ex vitio pituitæ, & vitio primorum viscerum egregie tollit, debet vero dari ad drachmas sex ex jusculo recenti. *Angelus Sala, chymicus candidissimus*, qui integrum tractatum, ubi sua arcana, cunctis medicis desiderata, revelat, de viribus tartari scripsit; laudat illum in colicis doloribus, diuturnis obstructionibus primarum viarum, hystericis, podagra, &c. Sed dabat ad unciam unam, unde purgabantur per duos aut tres dies; hoc continuabat optimo cum successu, nam non intrat sanguinem, sed pondere & stimulo optime agit; ergo reliquam massam sanguinis non turbat, sed saltem alvus diluitur, & emollitur fæx, cum alia purgantia post operationes suas relinquant semper alvum adstrictam.

Quomodo præcavenda est. *Art.* 1384. „Novi plures ventri constipationi „obnoxios curatos fuisse diluculo, & hora prius „assueta citius lecto assurgendo: quantum enim „a perspiratione solita adimitur, tantum ad „alvum lubricandam additur." *Willis.* „Qui „alvum habent sicciorem (inquit *Waldschmidius*) nunquam se mane studiis applicare de„bent, vel foras procedere, nisi alvum prius „deposuerint; vult enim sæpius moveri alvus „segnior.

Art.

Art. 1385. „ Quibus, dum sunt juvenes, (inquit *Hippocrates*) alvi sunt humidæ, iis senescentibus siccantur; quibus vero, dum sunt juvenes, alvi sunt siccæ, his senescentibus humectantur. Melior est autem in juventute alvus fusior, in senectute adstrictior. Obstructo inferiore ventre (inquit *idem de flat.*) in universum corpus flatus discurrunt. *Aphorismus.*

Art. 1386. „ In act. philosoph. N°. instantiam singularem habemus cujusdam hominis nomine *Phelips*, qui per plures annos non nisi semel in 19. vel 20. diebus alvum exonerabat, nihilominus, quoad cætera bene se habuit: obiit tamen vigesimum tertium agens annum. *Historia.*

ALVI FLUXUS.

Art. 1387. „ In genere quod ad alvi fluxum attinet, aliquando cibi nondum cocti aut imperfecte cocti per alvum dejiciuntur, & appellatur *lienteria* vel fluxus *lientericus*; aliquando chylus excernitur & dicitur *cæliaca*, aliquando humores excrementitii, bilis, pituita, &c. excernuntur, & vocatur simpliciter *diarrhœa*; postremo quandoque dejectiones sunt sanguinolentæ cum vel sine intestinorum exulceratione, & appellatur *dysenteria*. *Alvi fluxus in genere.*

DIARRHOEA.

Art. 1388. „ Diarrhœa est frequens & copiosa per alvum materiæ tenuis, aquosæ, mucosæ, pituitosæ, spumosæ, adiposæ, biliosæ, nigricantis &c. excretio, ab intestinis proveniens, aliquando cum, aliquando sine excrementis, frequenter, sed non semper torminibus stipatur. *Definitio.*

Phy-

Philumeni sententia.

Ex Tralliani lib. VIII. cap. 5.

Alvi profluvium. *Art.* 1389. Alvus tum in febribus, tum citra febres profluvio laborat. In febribus autem difficilior ejus curatio, animadversionemque, & conjecturam diligentem requirit. Nam inter initia natura aliena salubriter evacuare consuevit, ipsa nimirum natura ad superfluos, incommodosque humores rejiciendos undiquaque cogente. Id autem alias in statu morbi, alias in declinatione contingit, nunc quidem cum magna profusione humorum, subitaque & critica, qua febres solvuntur, sæpe vero paulatim, & multis perseverat diebus, & pene in ipsa declinatione consistit. At tali occasione profluvium, aut sisti non debet, donec ipsa se natura componat, & ad integram perveniat sanitatem, aut motus ejus adjuvari, nam si quis ventrem constringere volet, magnam excitabit ægritudinem.

Venter non statim sistendus. *Art.* 1390. Vidimus enim ventrem initio affectus ad quartum quintumve diem profluxisse, & postea fluorem, aut per se, aut medicamenti auxilio substitisse, unde ægri in magnum periculum inciderunt, ita ut Phrenitici, aut Letargici efficerentur, aut perniciosæ in eis parotides excitarentur. Quare initio ea, quæ corporis commodo, atque utiliter excernuntur, minime reprimere convenit, ne materia in aliam conversa partem, supradictos affectus generet, sed ad statum usque contemperari cibis debent.

Lac in alvi profluvio. *Art.* 1391. Ubi vero diutius jam profluvium perseveraverit, non modo superflua evacuans, sed

ſed etiam habitum colliquans, vireſque conſumens, tunc ſane eis reſiſtere medicamentis debet. Lac igitur in toto affectu, ſi febris non urget, caprinum, aut bubulum tepidum, recens mulctum, aut coctum ad ignem, ita ut ſemper agitetur, donec ad tertias redigatur, potu auxiliatur, quod etiam ſi per ſilices fluviatiles ignitos, & candentes ferri laminas in ipſo extinctas coctum fuerit, potui datum juvat. Alii etiam mel in eo coquunt, atque ſic propinant, ſpuma vero dum lac coquitur pinna, aut cochleare auferri debet. Quoniam autem in febribus lac purum aſſumptum plus noxæ, quam commodi adferre ſolet, quarta pars aquæ lacti miſcenda eſt, coquique una ad dimidias debet, atque hoc modo exhiberi.

Art. 1392. Ubi corpus abunde jam evacuatum ſit, ipſumque profluvium adhuc perſeveret, fotus ex oleo, & vino adhibeatur; ſit autem oleum omphacinum, aut roſaceum, aut melinum; efficacius his eſt myrtheum, tertia aut quarta vini parte admixta. *Fotus.*

Art. 1393. Potui vero aqua pluvialis bene cocta exhibeatur, ſed nec ante cibum, nec cum hunc æger aſſumit; nec vero univerſa, ac una vice, ſed paulatim, & modice dari debet. Quodſi quinque folii herbæ radices ſimul incoquantur præſtantiſſimum fiet auxilium, item ſi rubi radices ſimul incoquantur, magis alvum adſtringent. Nonnulli plantaginis ſemen contritum, & acinos ſiccos in pulverem redactos, integroſque, aut ſorba detrita ſimiliter admiſcent. Vinum in declinatione, hoc eſt inflammatione remittente, & febri confidentius dandum eſt, auſterum, vel alia vina adſtringentia quæ diverſis locis naſcuntur, experimentiſque probata ſunt. *Potus ſtipticus.* *Ex vino.*

Mea-

Meadii sententia.

Diarrhœa quomodo curanda. *Art.* 1394. Ventris fluxus non difficulter coercetur. De illo loquor, qui sine febre est, nam ubi hæc adest, num morbum solvere poterit, deliberare oportet. Cum sola autem cita alvus exercet, satis plerumque erit, assumpto semel, vel bis vino ipecoachanæ ventrem rhabarbaro aliquoties purgare; deinde aromaticis, adjuncta creta aut bolo Gallica intestina roborare.

Ettmulleri sententia.

Ventriculus præ omnibus est corroborãdus. *Art.* 1395. In cura diarrhœæ ex quacumque causa *stomachus* est corroborandus; & *sudorifera* cum *absorbentibus* sunt admiscenda. Diarrhœa oleosa & pinguis (si non ex assumptis) ex colliquefactione pinguedinis corporis oritur.

Curatio. *Art.* 1396. In omni diarrhœa potus debet esse parcus. Ad ventriculum restituendum convenit *vinum ustum cum aromatibus*, *vinum absynth.* & maxime *cydoniata*, & externe *fotus*. Sistendus est effervescentiæ humorum impetus; hoc facto, cessat diarrhœa. Decoctum *rad. tormentil.* egregium est in omni diarrhœa & dysenteria, tam *benigna* quam *maligna* & omnibus aliis medicamentis præcellit. *Fructus cydon.* & speciatim *mespillorum*, *eorumque miva* maxime laudantur; *gelatina C.C.* in potu ordinario soluta est admodum specifica in diarrhœis *epidemice* grassantibus, ut & *gum. Arab.* (in decoct. alb. solut.); si adsint *tormina* vehementiora & *tenesmus*, convenit enema *ex lacte tepido* & *theriac. Androm.*

Diarrhœa habitualis. In diarrhœis *habitualibus* per longum tempus durantibus conveniunt interne imprimis *martialia* & *aromatica* stomacho grata, imo *thermæ*.

Diar-

Diarrhœa pertinax & diu durans *radice Ipecacuanhæ*, quemadmodum *Dysenteria*, debitis intervallis aliquoties repetita curanda est, non neglectis interim aliis appropriatis remediis.

Baglivi sententia.

Art. 1397. Mœror nihil aliud frequentius producit quam Diarrhœas, quæ, diu persistente mœroris causa, evadunt incurabiles, iisque demum superveniente febre erratica & atrophia, ægrotantes e medio tollunt. Ad iram pariter diarrhœa supervenit dummodo ingens fuerit ira.

Farrago sententiarum.

Art. 1398. Una die fluere alvum sæpe pro valetudine est, ac etiam pluribus, modo intra septimum diem conquiescat. *Prognosis.*

Cum alvi profluvium in vetustatem incidit, tum si ultro vomitus accedit, id ipsum compescit. Ita sudor diarrhœis superveniens morbum sistit.

Perniciosæ sunt diarrhœæ in morbis pectoris, sunt etiam infestæ puerperis, & infantibus. Quæ vero materiam porraceam, & viridem efferunt, vel mortem, vel diuturnum morbum significant, potissimum in acutis.

Art. 1399. Semper observandum est, an diarrhœam febris comitetur: hujus enim habenda erit ratio: non quod curationem variet, sed quod de causis diarrhœæ certiores nos faciat. Observationes practicæ docuerunt per vomitum felicissime curari quandoque diarrhœam, & dysenteriam.

Bonum si diarrhœa iræ, & Ictero superveniat, & si hæc non superveniat, febris saltem accedat.

Curatio diarrhœæ non incipienda, per adſtringentia, nam introducerent viſcerum, & inteſtinorum obſtructiones difficile ſolubiles, quibus tandem ſuccedet hydrops pertinax. Carnium eſus auget alvi fluxum, cave igitur ab iis quantum poteris.

Spontaneas ſcorbuticorum, aut ab errore externo natas diarrhœas repentina adſtringentium exhibitione noli inhibere, ni hypochondriorum intumeſcentias, reſpirationis difficultatem, aliaque mala incurrere velis: idem de diarrhœa dentientium, & variolarum confluentium cenſendum.

Memini me aliquoties diuturnas diarrhœas, adſtringentibus aliiſque remediis incaſſum tentatas, curaſſe, dum ſingulis diebus per triduum mane vomitorium darem, licet nulla ſigna docerent aliquid circa primas vias hærere, quod ſtimulo ſuo alvi fluxum faceret. *Schombergius.*

In diarrhœis habitualibus per longum tempus durantibus conveniunt interne in primis martialia, & aromatica ſtomacho grata, imo Thermæ.

Specificum noviter repertum. *Art.* 1400. Præter Ipecacuahnæ radicem ad diarrhœas ſiſtendas cortex arboris cujuſdam ab incolis litus Coromandeliæ in India Orientali, ubi frequenter ſoboleſcit, *Conessi* dictæ ſpeciem *cadogapalæ* Horti Malabarici plurimum referentis ab Act. Academiæ Edimburgicæ Tom. III. art. 4. valde celebratur, ex quo pulverato una cum ſyrupo cortic. aurantior. fit electuarium ad drachmam dimidiam quater in die ægro exhibendum, quod per tres, vel quatuor dies tantum continuare ſatis eſt; nam prima die alvi fluxum augere ſolet, altera fœcum colorem mutat, tertia denſiores facit, ut deinceps naturalem ſibi vindicent conſiſtentiam.

Art.

Art. 1401. Indusium laneum magnopere conducit ad curandam diarrhœam *habitualem*. *Vvainvvrigt*. Ut & *equitatio* seu *vectio in rheda*. *Fulleri med. gymnast.* Observandum est, appetitu & concoctione salvis, vix unquam nocere diarrhœam.

Art. 1402. Narrat D. *Vvalker* in obsidione *Derriæ Londinensium* nupera milites eo redactos fuisse, ut compositionem quandam ex *sebo & amylo* liberaliter sumpserint, unde non modo nutrimentum, sed & medicamentum egregium habuerunt, nempe diarrhœæ *curativum* in his, *prophylacticum* in illis, idque miraculose & infallibiliter.

Art. 1403. Opium (sagaciter observante *Cockburn*) parum aut nihil facit in cura *Diarrhœa serosæ*; & revera res, si propius illam inspiciamus, & ad calculum accurate vocemus, ita se habere videtur. Opium plerumque dolorem sedat, & somnum conciliat, & dejectiones rariores reddit, sed tamen copiosiores sunt & æque tenues ac liquidæ, ut ante, &, quod probe notandum est, magis fœtentes.

Art. 1404. Remedia sequentia quandoque prodesse possunt, *laudan. liquid. cydoniat. cataplasm. stomach. epithem. stomach. fotus astring. saccul. stomach. decoct. catechu*, *comp. decoct. fracastor. decoct. sistens*, *elect. corynth. enema de malicorio*, *expressio rosar. mistur. coral. elect. ad diarrhœam*. *Remedia varia.*

LIENTERIA & COELIACA.

Art. 1405. Lienteria & Cœliaca videntur esse diarrhœa cum insigni apepsia seu coctione ventriculi depravata conjunctæ; ideoque earum cura partim cum diarrhœa convenit, præcipue quoad evacuantia in principio propinanda: hic *Lienteria & Cœliaca.*

etenim super alia quotcunque radix ippecacuan. & rhabarb. locum habent, nec omitti debent.

Aretæi sententia.

Lienteriæ diagnosis. *Art.* 1406. Si a torminibus, & a perlatis valdeque profundis superiorum intestinorum ulceribus cicatrices crebræ, crassæ, solidæque contrahantur; stercora ex his deorsum liquida ab alibili indiscreta prolabuntur. Intestinorum enim raritas, per quam sursum versus alimonia discurrit a cicatrice interclusa est. Homo igitur nutricationis inopia laborat, & pallor est, & infirmitas. Affectus hic, qui ab cicatrice fit *lienteriæ* cognomen accepit.

Alias vero intestina cicatricis expertia sunt, sed præ debilitate retinere non possunt alimentum elaboratum, quod proinde chilosum subterfugit.

Ab aliis morbis aliquando producta. *Art.* 1407. Morbus longus, & malus habitus, qui decumbere non cogit lienteriam peperit. Aqua intercus nonnumquam in hanc ægritudinem fœliciter commutata est, ex malo scilicet in malum, sed melior est successio.

Prognosis. *Art.* 1408. In hoc morbo si non stabilis, sed levis momenti purgatio fiat, simplex a cibis vomitus morbum solvit.

Cœlii Aureliani sententia.

Causa hujus morbi. *Art.* 1409. Ventriculosa passio quam Græci *Cœliacam* vocant, generatur ex antecedenti indigestione continua, vel tumore vehementi, aut dysenteria. Sequitur in hac passione constitutos varia stercorum egestio, qualitate, & colore nunc tenuis ac soluta, nunc aspera, & inæqualis, vel constricta, & nunc alba, nunc similis uri-

næ

næ camelorum, nunc flava, & spumosa, nunc prasina, vel livida, aut nigra, aut purulenta, aut sanguinea, cum gravi fœtore, & rugitu intestinorum, atque in exitu sonitu: & post effusionem factæ veluti scatentis stercoris vesciculæ: & nunc jugiter nocte atque die, nunc coacervatim, sed interjecto spatio, ut per diem bis vel semel, aut interpositis uno, vel duobus diebus, aut eo amplius: & nunc cum tensione, atque ventositate, & tormento, vel dolore aut singultu, considente atque conducta cute, quæ ventrem circumtegit, attestante siti, & ipsius ventris fervore, & levi in interioribus torpore frigido. *Signa & symptomata.*

Sequuntur etiam vigiliæ, fastidium cibi, & aliquibus plurimus appetitus, virium debilitas, pallor subalbidus, & nunc febres, dehinc corporis odor teter plurimus, ut etiam quæ suis manibus tetigerunt, computrescant, & difficile careant odore concepto: tum vultus inflatio atque pedum. Quibusdam etiam dysenteria congeneratur. Est autem passio solutionis, & aliquando stricturæ complexa.

Art. 1410. Cum recens fuerit passio adhibita requie, & quantum vires permiserint, abstinentia, somnus curandus erit, atque sitis, & lanis mollibus venter contegendus leviter oleo hispano præunctus, vel melino, aut rosaceo, aut murtino, aut lentiscino oleo. Facies quoque aqua tepida relavanda: tum cibus dandus: ut alica ex aqua frigida, panis etiam solus, aut cum eo ova, item pultes ex oryza, vel alica, aut farre, aut milio. Clysteres injiciantur, & potui dabitur aqua frigida, & si febris absit, etiam vinum. *Curatio.*

Art. 1411. Passione in diuturnitatem abeunte ora ægrotantium spongiis ex posca frigida ex- *Symptomatum curatio.*

 pres-

pressis reficere convenit, articulos ligare, & stomacho cataplasma constrictivum imponere. Æger frequentius cibo nutriatur, & si accepta non tenuerit, erunt secundo offerenda, adhibita simul articulorum fricatione, cucurbitaque ori ventriculi infixa, & si fieri potuerit, etiam a tergo inter scapulas. Si vero dolor occurrerit, & singultus ob ardorem, atque sitim, fomentis utendum est, & cataplasmatibus, & spongiarum vapore, & olei injectione, quo possit medicaminibus vexatio celerius obtundi. Perseverante incendio etiam calida, & oleo, & lacte sunt injiciendi. Sudoribus prodeuntibus refrigeretur æger, iidemque aspergini bus, & congruo cibo cohibeantur.

Morbo insistente. *Art.* 1412. Ac si plurimo tempore ulceratio perseveraverit, cum corporis debilitate, atque fastidio, vitanda erit frequentia medicaminum sive injectionum, sive potionum. Decoctionem tantum lenticulæ secundo, vel tertio, per singulos injiciemus dies, qua sufficienter intestina coercentur, & latenter corpus nutritur. Tum vino leni, atque carne volantum, vel marinorum utendum.

Morbo gravius insistente. *Art.* 1413. Si solutio fuerit urgentior frigidus convenit locus ægrotanti, & supina jacendi positio, & requies. Erit denique persuadendum, ne quoties fuerit in egestione commotus illico ventrem facere festinet, sed quantum potuerit resistendo differat. Injiciatur per clysterem succus plantaginis, aut polygoni, vel intybi, aut uvæ lupinæ, aut sempervivæ, aut mespilæ, malvæ, aut oryzæ, aut decoctio mali punici, &c. Item lenticulæ decoctio: aut licium Indicum cum lacte. Dehinc apponenda ex palmulis epithemata, & malo cydonio, & balaustio, & alumine, & horum similium.

Eti-

Ettmullerii sententia.

Art. 1414. Lienteria est alvi fluxus, in quo assumpta prout fuere ingesta, aut parum immutata per alvum egeruntur. „ Dolor ventriculi „ est Lienteriæ comes indivulsus, & ægrotum „ *post pastum* semper magis excruciat, donec alvum exoneraverit. Urina est pauca & valde „ colorata. „ Lienteria *scorbutica* est malum periculosum curatu difficile, & facile recidivans; ad *cachexiam* & *tabem* disponit. *Lienteria quid.*

Art. 1415. Inprimis stomachus præ omnibus est *roborandus*. *Rhabarbarum* propinari debet; *coralliata* & *cydoniata* valde laudantur; in genere omnia in vomitu usurpata hic conducunt. „ Stomachica simpliciora & paratu faciliora (in- „ quit *Vvaldschmidius*) sæpius plus præstant, „ quam composita: v. g. *nux moschata condita*, „ *zinziber conditum*, *vitellus ovi* cum aceto co- „ ctus, *vinum absynth.* ex *mastiche* parata, &c. *Curatio.*

Art. 1416. Cœliaca est alvi *chylosa* excretio, quando assumpta digeruntur quidem in stomacho, sed digesta sub forma *chylosa* cum excrementis excernuntur; ventriculus ut plurimum est salvus, & appetitus, sed hoc non semper; per alvum excreta sunt albicantia vel grisea, aut saltem pallida. Est malum satis grave & periculosum. *Cœliaca quid.*

Art. 1417. *Aromatica blandiora & amara* apprime conveniunt; *astringentia* malum axasperant. „ *Deobstruentia* procul omni dubio indi- „ cantur, & martialia cum *amaris*. Præmissa *tinct.* „ *rhabarb.* dosi una vel altera, elegantem puel- „ lam ab hoc malo diutius laborantem liberavi „ cum tinctur. *mart.* & vino amaro sequenti; „ ℞. *Rad. zedoar.* ℈j. *gentian.* ʒiiß. *cort. aurant.* ʒiij. „ *vvinteran.* ʒij. *myrrh. pulv.* ʒj. *flor. cham.* p. ij. *Curatio.*

„ *centaur. min.* p. j. *N. M. ana* ℈j. Infund. frigide *in vin. alb. Hispan.* ℔iv. coletur usus tempore. „ Forestus valde commendat pulverem *pelliculæ interioris ventriculi gallinæ* in Cœliaca passione; ut etiam pulverem *integræ nucis moschatæ* in vitello unius ovi exhibitum in Lienteria.

Tozzi sententia.

Horum fluxuũ causæ. *Art.* 1418. Quando cibus indigestus egeritur, vitium ventriculi, & succorum dissolventium designatur. At vero si mutatus in chylum dejiciatur, malam potius secretionem denotabit, provenientem a succorum in tenuia intestina confluentium defectu, vel inertia, unde purior chyli portio ab inutili minime secernatur; vel etiam ex obstructis, obduratisque glandulis intestinorum, lacteisque tubulis purioris chyli ingressum impedientibus. Num autem ab hac vel illa ex prænarratis causis dependeat, sedulus Medicus ex adjunctis aliis, tum symptomatis, tum ægritudinibus conjiciet.

Prognosis. *Art.* 1419. Quanti periculi sint ejusmodi fluxus satis perspectum est ex eo, quod inde vires sensim labascant, & corpus universum contabescat; ideo si alium effectum præsertim chronicum consequantur, lethum prænunciant, vel ventosam hydropem vel cachexiam. Ab externis vero causis exorti, crudis videlicet & fugacibus alimentis minus mali portendunt, nam sponte sua salubriter terminantur.

Curatio habita ratione causarũ. *Art.* 1420. Pro ratione causarum iidem variam medellam admittunt. Si a ventriculi languore, & succorum fermentatione, dissolutioneque provenerint, expostulantur roborantia, & succos eosdem acuentia; si ab inflammatione, ulcere, acribusve humoribus ventriculus ad depo-

positionem ciborum proritetur, huc revocanda sunt, quæ inflammationi curandæ, & humoribus corrigendis, educendisque conferunt. A secretione læsa conveniunt, quæ bilem acuunt, & augent, ut sunt amara ex aromatibus selecta. Obstructionem viarum lactearum, humoresque glandularum, & villosam crustam intestinorum crassiorem redditam emendant deobstruentia, & attenuantia, simulque si opus sit evacuantia. Aromata optima sunt, quæque potissimum subamara sunt; vitentur vero oleosa, & pinguia, itemque acida.

Art. 1421. Externe confert Emplastrum ex Tacamacha, mastiche, stypticum Mynsicht, Jo. de Prochyte, ex crusta panis cum succo, vel pulvere menthæ, & absynth. mastiche, & nuce myristica, ol. insuper, & essent. inde elicitæ valde prosunt. *Externa.*

Art. 1422. Cibis interea ægrotus minime gravetur, sed pauca exhibeantur, sæpius tamen, & grata ventriculo. Liquor expressus ex carnibus assis, cum aromatibus, & succo cydoniorum, vel cerasorum laureorum subacidorum conditus salutaris est. Aliquando memini sanatum vidisse Lientericum graviter affectum sumpta halece salita aceto inspersa. *Victus ratio.*

Farrago sententiarum.

Art. 1423. Lienteria est nimis celer, alimentorum ea forma, qua assumpta sunt, per alvum excretio, vitio retentricis, & expultricis ventriculi, & intestinorum facultatis proveniens. Cœliaca est celer esculentorum, & potulentorum ex ventriculo ad intestina transitus, quo illa chyli, aut cremoris specie perfluunt. *Jonstonus.* *Definitio.*

Remedia varia. *Art.* 1424. Lienteriam ex abrasa villosa intestinorum crusta provenientem insanabilem, reputat *Sylvius*; cum nulla medicamenta norit, quæ crustam illam renovare valeant, & quidem talem, quæ transitum concedat chylo ad lacteas vias propellendo. Contra vero lienteriam in sene Saccharo rosato sanasse fatetur *Forestus*.

Amatus Lusitanus feliciter curasse lientericum sacchar. rosato cum theriaca, & succo cydoniorum in formam electuarii testatur. Commendatur ab aliis mithridatum ad ʒj. cum croci martis ℈. sem. hepar lupi magnificavit *Hartmannus* cum eodem mithridato, additis magisterio corall. C. C. usto & mastiche. Ab electuario item ex baccis juniperi secundum descriptionem Paracelsi, & Croco Martis magnum juvamentum, non raro prodiit.

Remedia quæ ad alvi profluvia hujusmodi commendat Auctor Dictionarii Medicinalis, ita se habent. Si alvi fluxus plurimum non infirmaverit ægrotantem, qui nec a febre, nec inappetentia exerceatur, relinquendum est, ut per tres, vel quatuor dies sponte sua componatur, tum sequenti modo purgabitur. ℞. *Rhab. gr.* xl. *conf. ros.* ʒiij. *misc.*

Opiatum. Si vero æger viribus exhauriatur, & alvi fluxus septimum, vel octavum diem prætergrediatur, tunc. ℞. *Conf. Cynorrhod. cortic. citr. condit. ana unc.* ij. *Ocul. cancr. pp.* ʒj. *ros. rub. pulv. rhabarb. torrefact. ana gr.* xl. *antihect. poter.* ʒj. *sem. bacc. querc. pulv.* ʒj. *misc. & cum syrup. absynth. q. s. f. opiat. de quo capiat æger quotidie mane ad magnitud. juglandis.*

Aliud. Ubi habitualis alvi fluxus evadat, & in lienteriam mutetur, sequens opiatum præstat. ℞. *Chin. chin. unc.* j. *coral. rub.* ʒij. *conf. cynorrhod. unc. sem. opii gr.* xij. *syrup. cydonior. vel granator. q. s. m.*

f. m. f. Opiatum, de quo capiat æger quotidie mane ℨj. *f.*

Ut vero ingravescentes hoc casu colici dolores compescantur: jubendi sunt clysteres ex jure capitis vervecis, bis vel ter per diem reiterandi. Cæterum animadverti debet, crebriores injectiones in alvi fluxu magis magisque intestina laxare, atque prohibere, ne eadem naturalem suam elasticitatem recuperent. Hujusmodi itidem morbi rad. Ipecacuanhæ granis xxxv. sanantur. *Nota bene.*

DYSENTERIA.

Celsi sententia.

Art. 1425. Tormina ex intestinorum intus exulceratione, *dysenteriam* Græce dictam, faciunt. Cruor cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis fœcibus excernitur, interdum simul quædam carnosa descendunt. Frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano est. Cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur, atque eo quoque tormentum intenditur. Idque post tempus aliquod levatur, exiguaque requies est, somnus interpellatur, febricula oritur, longoque tempore id malum cum inveteraverit, aut tollit hominem, aut etiam (si finitur) excruciat. *Dysenteriæ descriptio.*

Art. 1426. Oportet in primis conquiescere, siquidem omnis agitatio exulcerat; deinde jejunum sorbere vini cyathum, cui contrita radix quinquefolii sit adjecta, imponere cataplasmata supra ventrem, quæ reprimunt. *Curatio.*

Art. 1427. Si vetustior morbus est, inferioribus partibus tepidum infundere, vel ptisanæ cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel me- *Quæ facienda si vetustior.*

dul-

dullam cervinam, vel oleum, vel cum rosa butyrum, vel cum eadem album crudum ex ovis, vel aquam, in qua lini semen decoctum sit, vel si somnus non accedit, vitellos cum aqua, in qua rosæ floris folia cocta sint. Levant enim dolorem hæc, & mitiora ulcera efficiunt, maximeque utilia sunt, si cibi quoque secutum fastidium est. Themison muria dura quam asperrima, sit utendum memoriæ prodidit.

Auxilia ab aqua frigida. *Art.* 1428. Si pluribus diebus nihil remedia alia juverunt, vetusque jam vitium est, aquæ bene frigidæ potio assumpta ulcera adstringit, & initium secundæ valetudinis facit; sed ubi venter suppressus est, protinus ad calidam potionem revertendum est. Ac si sanguis profluat, cibi potionesque esse debent, quæ adstringant.

Sydenhami sententia.

Dysenteria. *Art.* 1429. Dysenteria cum rigore & horrore aggreditur, calor sequitur; & deinde ventris tormina cum dejectionibus mucosis, quibus progressu temporis intertexuntur sanguinis lineamenta quædam cum dolore insigni; sanguine aliquando destituuntur, & nihilominus (modo frequentes sint dejectiones cum ventris torminibus & colluvie mucosa) recte vocabitur dysenteria. Si sanguis sincerus evacuetur, vita ægri periclitatur.

Methodus medendi. *Art.* 1430. *Venæsectio* quamprimum celebretur, & exhibeatur haustus *paregor.* eadem nocte, deinde *catharticum* lene bis repetitum, & *paregoric.* hor. 4. vel 5. post sing. purgationes; potus ordinarius sit *lac coctum cum aq. tripl.* vel *decoct. alb.* Si morbus præfractior sit, detur *laudanum* 8. quaque hora etiam in majore dosi, & injiciatur enem. ex *lacte vaccin.* & *theriac. Androm.* ℥ß. ubi vires *venæsectionem* non patiuntur, detur sin-

singulis matutinis bolus ex *rhabarb.* ℥ß. cum *q. s. diascordii* & *paregoricum* hora somni.

Infantes eodem modo tractandi sunt diminuta dosium quantitate. Methodus in *cholera morbo* in hoc quoque laudatur, ut & *diæta lactea.*

Vvillisii sententia.

Art. 1431. Quamvis dysenteriæ vocabulum communi acceptatione alvi fluxum cruentum, sicut diarrhæa humoralem denotat; tamen morbus *Londinensis* anno 1670. Dysenteria appellabatur, incruenta licet. Fuit affectus ille subitaneus & frequenter absque manifesta occasione invadens; laborantes cum vomitu immani & sedibus crebris & aquosis cito in maximam debilitatem inque spirituum horrenda deliquia & virium omnium prostrationem redigebat. Novi plures pridie satis sanos, & valde robustos, intra xij. horas morbi hujus tyrannide adeo dejectos, ut cum pulsu debili & exili, sudore frigido, &c. jamjam moribundi viderentur, & quidem non pauci ab eo cito interibant. *Dysenteria incruenta.*

Art. 1432. Pro curatione hujus morbi nulla *evacuatio* juvabat; verum remedia tantum *cardiaca*, eaque calidissima commoda fuerunt, in tantum, ut *sp. vini* cum sacchar. parum deflagratus remedium populare & quasi *epidemicum* fuerit, atque in tali Dysenteria fere semper proficuum: etsi in altera cruenta indifferenter usurpatum sæpe noxium deprehenderetur. Ego exhibui satis feliciter *theriac. androm.* ʒiß. cum *julap. cardiac.* & ventriculo placentam ex *pane tosto* & *theriac.* illinito vinoque generoso immersam applicari jussi, aut loco *theriac. Androm.* pulv. seq. ℞. *Pul. e chel. cancr. comp. e contrayerv.* *Curatio.*

ser-

serpent. virg. ana ℥j. *cinnam. rad. tormentil. ana* ℥ß. *croc. cochinel. ana* ℈j. *dos.* ℈ij.

Dysenteria cruenta. *Art.* 1433. De descriptione dysenteriæ vere *cruentæ Londinensis* vide authorem, *pag.* 49. laborantes haud cito interibant, quin plures septimanas, imo interdum menses sanguinem quotidie in magna copia excernebant, &c. In his dejectiones fuerunt liquidæ, & sanguine diluto tinctæ, instar loturæ carnium, in aliis crassiores cruore saturatæ, ac insuper muco albicante; & non raro membranarum frustis refertæ, & de remediorum formulis consulendus est auctor p. 50. & 52.

Ettmulleri sententia.

Tres differentia. *Art.* 1434. Dysenteria est diarrhea cruenta. Hujus morbi tres sunt differentiæ. 1. Quando sine intestinorum vitio mero motu & impetu naturæ ex plethora sanguis bonus excernitur tanquam in fluxu *hæmorrhoidali*, scorbuticis familiaris est. 2. Quando sanguis tenuis & aquosus loturæ carnium simlis excernitur, fluxus *hepaticus* dicitur, sed revera a vasis hæmorrhoid. internis provenit. 3. Tertia species dysenteriæ est, quando ob vitium intestinorum spasmodicum cum insignibus torminibus, & cum muco albescente, hinc cum purulenta materia *sanguis* ejicitur, atque hæc κατ' ἐξοχὴν dysenteria appellatur, diarrhea cruenta tormentosa; reliquæ species fere semper sunt absque torminibus. Est vel *benigna* sine febre & contagio, vel maligna cum febre & maxime contagiosa. In gradu acerbissimo *carunculæ*, (signum ut plurimum lethale) quæ excernuntur cum materia purulenta, quid sint, explicatu obscurum est; non enim nisi in Dysenteria diuturniori fit intestinorum excoriatio, & forsan exulceratio aliqualis; adsunt

Caruncula cum materia purulenta.

ali-

aliquando *aphthæ*, & inteſtina ipſa *gangræna* afficiuntur, ex qua fere omnes, qui Dyſenteria laborant, moriuntur. „ Omnes qui Dyſenteria „ moriuntur, (*teſte Vvaldſchmidio*) *ſphacelo* pe-„ reunt, ipſis inteſtinis *ſphacelatis*; quod ob-„ ſervatur triduo ante mortem, ubi ſitis non „ magis urget, & extrema frigent.

Art. 1435. Cura inchoanda eſt cum *opiatis* & *ſudoriferis* & *abſorbentibus*, præmiſſa tamen doſi *rhabarbari* ſemper in Dyſenteria *benigna*, in *maligna* vero eadem methodus obſervanda eſt, ac in aliis febribus continuis *malignis*; tinctura *bezoardica* laudatur. *Aſtringentia* in principio malum exaſperant, in declinatione locum habent cum cautela. *Venæſectio* & *clyſteres* non conveniunt. Summa habenda eſt ratio *ſtomachi* externis & internis, uti in quibuſvis alvi fluxibus. Priapum *cervi* tanquam ſpecificum extollitur. Semper propinetur *gelatina C. C. pulv. cran. human.* & *uſnea*. *Album græc.* pro pauperibus eſt inſigne remedium, item ſuccus *heder. terreſt.* & *cydoniata*, *lac chalybeatum*, in quo *rad. ſymphit.* maj. coctum fuerit, *gum. Arab. trag.* &c. ſed præ omnibus *ſacchar. ſaturni*, & *viperina* (in Dyſenteria *maligna*.) *Balſam. Peruv.* aut *terebin.* in *clyſtæribus* aliquando eſt proficuum. *Oleum lini* præſentaneam præſtat operam. Accurate diſtinguendus eſt *flux. dyſenter.* & *hæmorrhoid.* *Curatio.*

Meadii ſententia.

Art. 1436. Semper igitur ut ad curationem veniam, primum ſanguinem mittere expedit, deinde vomitus utiliſſimus eſt, quem vino ipecacuanhæ non ſemel, ſed ter quaterve, interpoſito biduo, vel triduo elicere optimum eſt. *Curandi methodus.*

Inter has exinanitiones, & etiam poſtea, adhiben-

hibenda sunt medicamenta, quæ fluxum cohibeant, & simul membranulas exulceratas sanent. Neque ullum remedium mihi compertum est, illo præstantius, quod ex confectione cardiaca, & bolo Gallica, adjuncto extracto Thebaico componitur; ita nimirum, ut illorum singulorum scrupulus unus, hujus granum unum ter in die sumatur.

Neque inutiles sunt infusiones in anum maxime ex jusculis pinguibus, addita theriaca Andromachi; aut saltem electuario e scordio; vel ex decocto albo, adjiecto amylo; vel loco illius julapio e creta, adjunctis, ubi opus fuerit, extracti thebaici granis duobus, aut tribus.

Notandum. Illud denique animadvertere ex usu erit, malum interdum corporis habitum efficere, ut hæc omnia parum proficiant. Illis in casibus, non omissis ceteris, ea, quæ humores emendant, in usu vocare oportet; & quidem rhabarbarum, adjuncta mercurii sexies sublimati exigua portione, iteratis vicibus dare convenientissimum erit.

Vomica accedente. *Art.* 1437. Præter hæc incommoda, vomica etiam interdum, sive suppuratio interna, in ventriculo nascitur. Hoc quidem raro fit, non semel tamen accidisse vidi; cum magnam profecto sanguinis simul, & purulentæ materiæ copiam evomebat æger. Terret sane iste casus, at plerumque tamen non magnum periculum adfert; iisque adsumptis, quæ membranas exulceratas conglutinent, in primis balsamo Locatelli, redit sanitas.

Farrago sententiarum.

Prognosis. *Art.* 1438. Qui Dysenteria pereunt omnes fere ex sphacelo intestinorum pereunt: patet id tri-

triduo saltem ante mortem, nam extrema frigescere incipiunt, pulsus sunt exiles, & inæquales, sitis non urget, nec dolor in affecto loco, & nonnulli paucis ante mortem horis in delirium cadunt.

Dysentericis vomitus biliosus in principio malus est. Si singultus progressu accedat lethale est: si angina itidem lethale. Aphtæ vero, & difficultas deglutiendi mortem iminere denunciant.

Observandum est, intempestive suppressa dysenteria quosdam in Epilepsiam incidisse, alios in pleuritidem, alios in insaniam &c.

Si in dysenteria adhibueris Opiata, & altero mane color oculorum ægri est mutatus, certo non superabit morbum: si vero color oculorum immutatus remaneat, indicium est, ægrotum posse reconvalescere.

Art. 1439. Temerariam ac sine ratione ab aliquibus usurpatam consuetudinem improbat *Alexander*, qui statim Opiata ingerunt, hæc enim ad tempus quidem humores cohibent, verum, & caput afficiunt, & vires infirmant, & postea fluxum incitant, quamobrem eorum usum, nisi urgente necessitate, prohibet. *Ab opiatis principio cavendum.*

Art. 1440. Quantum ad remedia: corticem quemdam luteum, amariusculum, stiptycum anno 1713. ab Americæ regionibus primum in Europam delatum, & Simarubam dictum Acta Academiæ Regiæ Scient. Parisien. ad ann. 1729. celebrant; ubi enim D. Jussicu Universitatis Parisinæ Medicus observat pro dysenteria hujus corticis ʒij. in suffic. quantitate aquæ decocti, tertiam partem singula dosi haustam efficacius agere, quam si isdem in substantia assumeretur. *Specificū nuper repertum.*

Farrago sententiarum.

Remedia varia. *Art.* 1741. „De viribus rad. *ipecacoan.* est res „nota ; sed præstat ejus *decoctum* propinare , „quam *radicem* in substantia. In Dysenteria *se-„rum lactis* fere specificum ; *Bagliv.* 242. & ali-„bi. *Radix ipecacoanhæ* præter vim *vomitoriam*, „quam obtinet , *sudores* copiosos excitare so-„let. Atque in hoc (inquit D. D. *Freind*) quan-„tum ego conjectura assequi possum, præcipue „consistit egregia illa in Dysentericis affectibus „virtus , quam sibi præ aliis vomendi instru-„mentis vindicat. Grassante Dysenteria (inquit „*Dolæus*) hoc unico medicamento plus centum „feliciter curavimus, *oleo*, scilicet, *amygdalar.* „*dulc.* cum succo *citri* commixto , sæpius de die „assumpto, præmisso tamen *rhabarbaro* tosto ; „*diaphoretica semper* interponi debent in hoc „morbo curando , inter quæ eminent *tinctura* „*bezoardica* & *mistura simplex* . *Nux moschata* „est egregium *antidysentericum* : prosunt *gela-„tin. C. C. ol. rhabarbari*, *cydoniata*, &c. Fungo-„sa substantia nuclei lobos in nucibus & sepa-„rans exsiccata & pulverisata in vino exhibita „modica quantitate exercitum *Anglicanum in* „*Hibernia* gravissima Dysenteria medicorum o-„mnium solertiam eludente laborantem felici-„ter liberavit. Raii Hist. plant. *J. Aubrey* com-„municavit . Repetitis experientiis (inquit „*Towne* in Tractatu de Morbis *Barbadæ*) se-„quens electuarium in Dysenteria successu fe-„licissimo exhibui : ℞. *Conserv. ros. rub.* ℥iss. „*sperm. cet.* ʒj. *cer. flav.* ʒiij. *ol. amygd. dulc.* ℥ß. „*syr. e cort. citr. q. s. m. f. elect.*

Alia nonnulla. *Art.* 1742. „Sequentia quandoque locum ha-„bent, *cataplasma stomach. decoct. Fracastor. ene-*

„*ma*

„ *ma balsamicum* (expetitissimum plane reme-
„ dium) *enema de malicorio* ; *enema ad tormi-*
„ *na* ; *epithema stomach. fotus ad colicam* ; *fotus*
„ *stomach. tinct. rhabarb. Sennertus* de hoc morbo
„ copiose & pulchre scripsit.

TENESMUS.

Art. 1443. Tenesmus in genere est assidua cupiditas per alvum egerendi ; parum , mucosum , aut viscosum , aut cruentum aut purulentum , aut nihil omnino excernitur ; pars affecta est intestinum rectum aut sphincter musculus . Tenesmus producitur a Dysenteria , hæmorrhoid. verm. ascarid. calculo in vesica , &c. Fotus *lactis tepid.* (cum *flor. sambuci* incoct.) tenesmum lenit . *Enem. emol. cum lumbric. terrest.* &c. incoct. est exoptatissimum remedium ; item enema ex *jure carn. vervecin.* &c. *Tenesmus.*

Art. 1444. Fluxus *hepaticus* veterum est merum non ens , est enim fluxus *hæmorrhoidalis* e venis hæmorrhoid. vid. *Dysenteriam.* *Fluxus hepaticus.*

Art. 1445. Conveniunt remedia *hæmorrhagias* supprimentia , imprimis *martialia*. Decoct. *e lignis* (cum *aq. calcis*) *gelatina C. C.* item *passulæ majores* , &c. *Remedia varia.*

Æginetæ sententia.

Art. 1446. Si Tenesmus a copia stercoris in recto intestino impacti producatur , clysteribus acrioribus , verbi causa ; mulsa adjectis salibus ; aut aliquibus quæ per os assumpta emolliunt (cujusmodi Damascena , aut ficus ; mercurialis , serum lactis) excreto stercore illico desinit. *Pro ratione causarũ curandi ratio.*

Si citra ejusmodi causam prompta hæc egerendi sine effectu voluntas eveniat , lenire in-

 flam-

flammationem hordeacea polenta calida, & aspergınibus ex vino, oleo myrtino, aut rosaceo, aut omphacino lumbis, ac pectini applicatis, competit.

Mucosa, quæ intestinum rectum obstruunt, mulsi quoque infusione abstergito, muriaque non raro indita, id quod res expostulat, ipsa perficit. Satis vero sunt salis ℥vj. cum aquæ calidæ hemina.

Mitigantur præterea dolores, & distentiones insessu fœnugræci, aut malvæ, aut seminis lini. Quidam etiam sæpius hanc insessionem usurparunt. ℞. Rub. myrti, cytini, lauri, & cupressi viridium æquales portiones in aqua decoquuntur; est autem *Marcellium*.

At si in profundo inflammatio, & irritationes torqueant, frumentacei cremores una cum quibusdam stypticis percocti, ab infernis infundendi sunt. Oleum vero dulce immissum, atque plurimis horis detentum, dolorem discutit.

Farrago sententiarum.

Remedia varia.

Art. 1447. Dysenteriæ assiduus comes Tenesmus esse solet, quo tam crebriter coguntur patientes desidere, irrito sæpissime conatu, ait *Lucas Tozzi*. Inter dysenterias eumdem refert *Galenus*, cui curando vix æque præstantius remedium datur balsamo sulphuris *Sylvii de le Boë*, si cum terebinthinæ venetæ spir. oleoso, vel succini, anisive oleo rite fuerit comparatum, ac per se solum, vel aliis admistum, & podici inditum.

Suffimentum ex Thure commendat *Matthiolus*: additque præterea *Forestus* mastichen, semina myrti, & flores rosarum punicarum arefacta-

ctarum. Suffitus conorum abjectis præsentissimum remedium dicitur a *Rumle*.

Interne vero, oleum mastiches ad guttas aliquot in aqua menthæ, plantaginis vel pulegii subito Tenesmum solvere, notat Hartmannus. Auctor vero Dictionarii Medicinalis observat, cum tenesmo quandoque internum ani dolorem conjungi admodum molestum, cui sequenti clystere optime auxiliatur. ℞. *Fol. vel flor. sicc. sambuc. flor. verbasc. alth. ana man.* j. *aq. lib.* ij. *capit. pap. alb. num.* ij. *coq. simul & colat. fit ad usum clyster.* vel etiam satis est, singulo bihorio pulp. cass. unc. sem. assumere, nam unica die hujus ope remedii morbus cessat.

Interdum vero ab hoc morbo, dolor ventrem cingens excitatur, quo mucosæ excretiones redduntur, nonnullis striis sanguinis tinctæ, cum frequenti desidendi conatu, unde vel nihil omnino, vel pauca mucositas tantum deponitur. Hoc autem casu clyster supra laudatus confert ter in die reiterandus, vel balnea mane, & vespere per horam integram adhibenda, mirifice juvant; quibus usurpatis bini cyathus aquæ mannæ hauriuntur, quæ hujusmodi est. ℞. *Mann. elect. unc.* ij. *aq. lib.* ij. *dissolut. manna de colat. quinque vel sex cyathus quotidie propinantur*. Hujus equidem remedii virtus in hæmorrhoidibus internis, nihil omnino effundentibus, egregia præstat.

Art. 1448. Quando sedato dolore, & inhibita fluxione ulcus superest, primum idem detergendum decocto hordei, hydromelite, melle rosato; tersum deinde exsiccandum est cum gall. ros. rub. oryza torrefacta, in aqua chalybeat. coctis, in qua dissolvitur bol. sang. dracon. Clysteris minima sit quantitas: scilicet ad lib. sem. quia ultima intestini pars tantum abluenda. *Si ulcus remaneat.*

 Un-

Ungitur autem ulcus unguento populeo, albo *Rhazis*, cui camphora additur, si ulceri phlegmon sit conjunctum.

Phlebotomia, an instituenda. *Art.* 1449. Quoad venæ sectionem, ea mihi, inquit *Franciscus Calmette*, in isto affectu videtur minime omittenda, initio præsertim, & ipso morbi augmento: imo si febris quandoque adsit, aut intemperies viscerum, & sanguinis calida, aut plethora, viresque vigeant, ut fere semper accidit, iterum, atque iterum celebranda venit, sic namque humorum acrimonia, & calor contemperatur, & eorumdem ad intestinum rectum descensus, & fluxus cohibetur; quodsi ab ulcerato, eroso, aut inflammato recto intestino, aliave quacumque de causa stranguria, sive mejendi difficultas supervenerit, venarum hæmorrhoidalium apertio per hyrudines erit utilissima, sicut & balneum.

COLICA BILIOSA.

Sydenhami sententia.

Colica biliosa *Art.* 1450. Colica Biliosa est intestinorum dolor atrocissimus præ cæteris omnibus, intestina nonnunquam quasi injecta fascia constringit; nunc in punctum contractus quasi terebello perforat: subinde remittitur dolor, mox recrudescit paroxysmus, quem æger præsentiens vultu miserabili atque ejulatu, ceu præsentem, exhorret & aversatur. Sub initio hujus morbi non ita certo ad unum aliquod punctum determinatur dolor, acque in ejusdem progressu, neque tam crebra est vomituritio, neque alvus ita pertinaciter catharticorum vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eo obstinatius in puncto figitur, vomituritio succedit frequentior, & major

alvi

alvi adstrictio, donec tandem ab ineluctabili horum symptomatum vi totalis peristaltici intestinorum motus inversio (nisi maturius quis tulerit suppetias) atque *iliaca passio* procuratur. Quæ hoc morbo excernitur materia, sincera si fuerit atque ἀμιγὴς, viridis aliquando, aliquando etiam flava, aut insoliti cujusdam coloris spectatur.

Art. 1451. A *nephritide* sic distinguitur. 1. Dolor nephriticus fixus in rene est, & ab eo ad testem exporrigitur secundum longitudinem ureteris, Colicus vero vagus est & cinguli instar medium ventrem affligit. 2. A pastu Colicus dolor augetur, nephriticus potius imminuitur. 3. In Colico dolore ab excretione per alvum & vomitum majus levamen emergit, quam in nephritico. 4. In dolore nephritico urina primum clara & tenuis, postea aliquid subsidet, & tandem arenulæ aut lapilli excernuntur; in Colica urinæ initio crassiores existunt. *Quomodo a nephritide distinguitur.*

Art. 1452. Ad curam rite instituendam *sanguis e brachio* paulo liberius quamprimum educatur, & post horas iij. vel iv. *anodynum* exhibeatur: postero die *catharticum lenitivum* & interposito die uno ad tertiam vicem propinetur. *Aqua epidem. mirab.* vel quæcunque alia *cardiaca*, postquam longo morbo vires plurimum exhaustæ fuerint, aliquando mirum in modum juvat. Equitatio, quemadmodum in pluribus morbis chronicis, quod maximum est præstat, hæc quoque cæteris non proficientibus curationem nonnunquam absolvit. „ Aliud exercitii „ genus in hoc affectu equitatione longe efficacius in *Barbada* habemus (inquit *Towne*) „ viz. *navigationem circa insulam*. Vidit quosdam „ in deploratissimo infirmitatis statu, cum aliam „ qualemcunque gestationem ferre non potue- *Methodus medendi.*

 „ runt,

„ runt, hac ratione, ultra quam quod credibi-
„ le est, restitutos.

Purcelli sententia.

Morbi descritio. *Art.* 1453. Colica est dolor ventris atrocissimus, quandoque totum abdomen occupans, aliquando ad unum punctum determinatur cum cruciatu quasi terebrante, interdum de loco in locum immutatur, nonnunquam videtur sensatio tanquam viscerum cum funibus simul correptorum; intumescit aliquando totus venter ita, ut quasi disrupturus esset; alvus ut plurimum clausa est, urina pauca redditur; atque hæc sunt symptomata usitatiora; accidunt etiam aliquando graviora: febris, in ore sapor acidus vel amarus, vomitus, ructus, urinæ ardor aut suppressio, icterus, pulsatio magna in abdomine, sensus frigoris in eodem, umbilici intus retractio, vel protrusio ejusdem extrinsecus, materia flava vel viridis per alvum ejecta sine levamine, excrementa alvina lævissima & ventosa, instar stercoris bovini, urinæ supernatantia. Colica frequenter in *paralysi*, *epilepsia*, *arthritide*, *hydrope*, *rheumatismo*, aut *tabe* terminantur. Dolores Colici sunt aliquando in *peritonæo*, qui frequenter lethales evadunt, ut etiam in *pancreate*; vide loco *p.* 27. & 30. *Spigelius* affirmat se nullum unquam dissecuisse ex Colica mortuum sine intestinorum inflammatione.

Causæ variæ. *Art.* 1454. Causæ colicæ frequentiores sunt: cruditates, flatus, alvi adstrictio, humores acidi in sanguine, bilis acrimonia, herniæ, abscessus interni & latentes, ulcera, cancri, &c. concretiones lapidosæ in pancreate, hepate, liene, intestinis, vel ventriculo, insertio ductus cholidochi in ipsum ventriculum (vel pylorum,)

luxa-

luxatio cartilaginis xiphoidis, constitutio aeris maligna, unde Colica *epidemica*, affectiones nephriticæ, & postremo obstructiones & tumores strumosi in glandulis intestinorum (& mesenterii) Colicam producunt; hi dolores sunt magis fixi, diuturni, nec adeo acuti; *cathartica* & *enemata* minus prosunt. De structura & situ *coli* vide locum part. 66.

Art. 1455. Curatio inchoanda est cum *venæsectione*, si adsit calor insignis vel inflammatio, vel febris vel ingens humorum affluxus. ℞. *Decoct. capit. ovin. vel pedum vitulin. vel intestin. vervecin.* ℥x. *ol. oliv.* ℥iij. *m. f.* enema. In frigidioribus enema *ex ol. oliv. vel lini & vino Canarin.* item cum *ol. rut. cham. junip.* &c. cum fructu injiciuntur. Si hæc alvum non subducunt, ad fortiora deveniendum est. N. B. sed notatu dignum est, experientia abunde testante, quod immediate post *venæsectionem* clysmata vel *lenissima* promptius operabuntur, quam fortissima ante sanguinis missionem. In acerbissimis torminibus cum vomitu, &c. *Laudan.* gr. iv. vel v. in *clystere* dolorem in instanti leniunt, quum idem remedium per os nullum omnino afferat auxilium. In Colica *habituali* pannus laneus mollis & subtilis immediate supra cutem ventris continuo gestandus; a *Galeno* & aliis multum laudatur tanquam fomentatio perpetua. „ Virtutes *aquarum sulph.* „ *Bathoniens.* (extra paroxysmum) *equitationis*, „ &c. sunt satis notæ. Commendatur jusculum „ *cancrorum fluviatilium*: & *radix allii* pro pau„ peribus. Interdum exhibeo *oleum seminum ani„ si* larga quantitate viz. a gr. 40. ad 100. in „ pauco saccharo vel aliter cum magno levami„ ne, præcipue in colica a causa frigida otiun„ da. Semen anisi vocatur ab Helmontio *sola„ men intestinorum*.

Curatio.

Nota bene.

Colica habitualis.

Ba-

Baglivi sententia.

De aphonia & Paralysi ex colica. *Art.* 1456. In Colica Biliosa succedit frequenter *aphonia*, & vox rauca, & per totum fere morbi decursum durat. In Colica pertinaci si sudor copiosus & universalis superveniat labefactis & resolutis viribus, brevi *paralysin* expectato: cave igitur ne *opiata* copiosius in ea exhibeas.

Remedia nonnulla. *Art.* 1457. Antidotum Colicæ est *chamæmelum*, à quacunque causa oriatur. Quando *opiatis* uteris, semper adde *castoreum*, nam & opii narcosin corrigit & doloribus medetur. In pertinaci malo conducit iter aliquod, ut corpus plurium dierum *equitatione* excitetur, fibræque mesenterii longo dolore laxatæ pristinas resumant oscillationes ad morbosas impuritates e mesenterii sinu eradicandas expellendasque. Valde prodest *semicupium* in graviori casu & in ipso ileo.

Vvillisii sententia.

In colica mesenterium primario afficitur. *Art.* 1458. Pars primario affecta in Colica videtur esse *mesenterium*, quod est valde sensile, & humorum nervosi generis affluxionibus plurimum obnoxium, & hinc dolores lumbares atrocissimi, in quantum scilicet nervi quidam insignes lumbares mesenterii plexum nerveum maximum ingrediuntur. Transitus a Colica ad *paralysin* indicio est materiam morbificam non per arterias, sed nervos deferri, ejusque sedem non esse intestinorum tunicas, sed *mesenterii* plexus nerveos.

Curatio. *Art.* 1459. ℞. *Fol. malv. utriusque mercurial. parietar. ana m.* iv. *flor. sambuc. cham. melilot. ana m.* ij. *caput vervecin. discissum;* coquantur in *q. s. aq.*

font.

font. colatura usurpetur pro fotu cum stuphis laneis calidissime intinctis & expressis, atque vicissim applicatis, repetendo quoties dolores intensius urgebunt. *Omentum agninum aliave brutorum viscera calentia* abdomini imposita & subinde mutata dolores interdum mire sedant. Præ aliis quibuscunque remediis, aquæ *acidulæ minerales ferratæ* æstivo tempore per mensem epotæ, juvamen maximum conferre solent, & reliqua alterantia longe superant. *Tinctur. antimon.* & *succini* locum habent.

COLICA HYSTERICA.

Sydenhami sententia.

Art. 1460. „ De Colica Hysterica apud nullum authorem uspiam legimus, audivimusve„ ante accuratissimum *Sydenhamum*. „ Imprimis cavendum est, ne symptomata fœminis hystericis familiaria ab aliis, quos sæpe æmulantur, morbis diagnosis errore putentur oriri. Colica *hysterica* biliosam nonnunquam mentitur, comitem habet dolorem circa cordis scrobiculum, regionem ventriculi & paulo inferiorem; sequuntur humorum viridi aut flavo colore per vomitum ejectiones & animi dejectiones maximæ, post diem unum vel alterum facessit dolor, a levissima vero animi commotione revocatur. *Colica Hysterica. Morbi descriptio.*

Art. 1461. Cura radicalis a cap. de *hysterica passione* petenda est. Nec *venæsectio* nec *catharsis* locum habent; nam malum exasperant, immo nociva sunt ipsa *enemata lenissima*; quippe hic morbus a spirituum *ataxia* potius quam vitio humorum nasci videtur; Ideoque præmissis aliquot haustibus *liquoris possetici*, iisque per vomitum rejectis, statim ad *laudanum* confugiendum *Curatio longe diversa quam colicæ biliosæ.*

dum eſt, & in uſu ejus perſiſtendum. Aliquando tamen in fœminis ſanguineis humorumque copia oppreſſis vel phlebotomia vel catharſi vel utraque, *anodyno* via aperienda eſt. In *icterum* interdum tranſit, qui plerumque ſponte ſua ſenſim faceſſit; ſin longas moras nectat, remediis *ictericis* fugiendus eſt; obſervandum ſolummodo occurrit, quod e catharticis *rhabarbaro* ſolo utendum.

COLICA PICTONUM.
vulgo *de Poiton*.

Colica Pictonũ. *Art.* 1462. Colica *Pictonum* eſt ſpecies quædam, quæ degenerare ſolet in *Paralyſin*, & motus omnimodam manuum ac pedum depravationem, quam hoc nomine *Riverius* in cap. de Colica indigitat; & apud *inſulas Caribum* notiſſima eſt, utpote quæ magnam vim hominum infeſtat. Hunc dolorem atrociſſimum ſanat *balſamum Peruvianum* frequenter ac magna doſi exhibitum, viz. gr. xx. xxx. vel xl. ſacchar. albo inſtillatum bis vel ter in die: at *paralyſis* huic remedio haud cedit. *Galbanetum* pro uſu externo. *Balſamum Peruvian.*

Tovvnei ſententia.

Colica nervoſa. *Art.* 1463. Colica nervoſa ſeu convulſiva eſt affectus adeo frequens in *Inſulis Caribienſibus*, ut in numero morborum *Endemicorum* jure merito habenda ſit. In medicorum ſcriptis *Colica Pictonum* nuncupatur, quia *Pictavii* eſt frequentiſſima; in inſula vero *Barbadæ* vulgo audit *the dry Belliach*. Inter univerſas calamitates humanum genus affligentes, ne una quidem tanta acerbitate homines excruciat, ac hæcce Colica. Frequenter malum inchoare ſolet in uno puncto

cto ventris, indeque latius diffunditur, ita tamen, ut omnia viſcera, a pyloro ad anum uſque, ad iſtum locum, tanquam *ad miſeriarum commune centrum* miro cruciamine contrahi videantur. Omnimodi ſentiuntur dolores, urentes, lancinantes, mordentes, pungentes, &c. Multifariæ hujuſmodi torturæ ægrum exercent, ad dies fortaſſe 8. 10. vel 14. alvus interim pertinaciter conſtipata eſt, urina pauca, vires fere exhauſtæ, extrema frigida; adſunt etiam ſudores gelidi, præcordiorum anxietates, animi deliquia, angores, deſperationes, & ſimilia donec tandem dolorum atque ægritudinum oneri ſuccumbit.

Art. 1464. Cauſæ præcipuæ hunc morbum atrocem producentes ſunt acerborum ac immaturorum fructuum comeſſatio, nimia liquoris pernicioſiſſimi ingurgitatio, quem vocant *Rum-Punch*, ex ſpiritu ſacchari ardentiſſimo & ſucco limonum ſylveſtrium, & compoſitum (vid. Tractat. de Venenis in fine) & inclementia aeris nocturni itinerantibus, ſi ante crapulam edormiverint, &c. Ceſſante aliquanto doloris vehementia ægrotus perturbationem quamdam per ſpinalem medullam ſentit, qua brachiorum ac crurum nervis propagata, imbecillitate ſtatim ſenſim afficiuntur, indies creſcente, donec brevi *in paralyſin confirmatam* deſinit. „Unde *Willisius* conjecturam fecit tranſitum a Colica ad „paralyſin indicio eſſe materiam morbificam „non *per arterias*, *ſed nervos* deferri, ejuſque „ſedem non eſſe inteſtinorum tunicas, ſed „*meſenterii plexus nerveos*. *Cauſa.*

Art. 1465. Methodus medendi hunc morbum graviſſimum & paralyſin præcavendi, a catharſi primario incipienda eſt, ad pertinacem alvi adſtrictionem ſubigendam. In hunc finem cathartica *Curatio.*

tica leniora forma liquida frequenter repetita optime conducunt; fortiora spasmos adaugere solent, & *Ilei* periculum intentare. Verum propter affectiones intestinorum spasmodicas consultum erit imprimis *Paregoricum* propinare. Opiata paralysin accelerare nonnulli opinantur; sed longe errant; indubitata experientia doctus larga manu illa non modo innocue, sed semper cum fausto successu exhibui. Sequenti methodo cum prospero eventu frequentissime processi: ℞. *Pil. Matth. gr.* viiij. *vel* x. *castor. gr.* iv. *opobalsam. q. s. f. pil.* statim capiend. deinde elapsa semihora, ℞. *Mannæ opt.* ℥ß. *crem. tart.* ʒij. *syr. rosar. solutiv.* ℥j. *f. mistura* in haustul. tepid. juscul. avenac. sumenda & 3is horis repetenda, donec alvus soluta fuerit, in intervallis *pil. Matth.* gr. iv. exhibere soleo, vel, si vomitus vehementius urgeat, sequentem haustum ℞. *sal. absynth.* ℈j. *opii purissim. gr.* j. *vel gr.* iß. *aq. menth. fort.* ℥j *syr. limon.* ℥ß. *m.* Enema quoque cum balsamicis 4. quaque hora injiciendum est; sequens etiam fotus abdomini usui esse potest; ℞. *Fol. cham.* ℥iij. *bacch. junip. laur. ana* ℥j. *coq. in aq. font.* ℔v. *ad* ℔iij. *sub finem addendo sem. carui, fœnic. anisi ana* ℥ß. *colatur. add. opii* ʒj. *sp. saccar.* ℔j. *m. Semicupium* doloribus mitigandis quandoque nonnihil prodesse observatum fuit. Morbi vehementia in hunc modum subacta ad purgantia efficaciora, *mercurialia* scilicet, deveniendum est; ℞. *Colomel. pil. coch. min. ana* ℈j. *opobalsf. q. s. f. pil.* mane sumend. & quotidie repetend. donec dolor penitus remiserit, & alvus satis solubilis evadat. Deinceps *balsamum Peruvianum* ad ℈ij. vel ultra 6. quaque hora sacchar. crystal. instillatum vel aliter exhibeo, & rarissime spem meam fefellit. Est & aliud insigne medicamentum apud nos divini numinis favore in hac in-

sula

sula sponte productum, nempe *Pisselæum Indicum*, huic malo valde proficuum, prædicto balsamo adhuc efficacius, nisi quod quibusdam stomacho non adeo gratum sit; dosis ℨij. ter in diem per longum tempus, donec morbus penitus subigatur. Nec datur præstantius remedium pro usu externo quam dictum *Pisselæum*, cum æquali vel dupla quantitate *sp. sacchari* commistum; pro vertebris dorsi & artubus illinendis, quandocunque paralyseos sit levissima suspicio: hæc vero cum formata sit & confirmata, nulli remedio, quod scio, cedit; nisi forsan *aquæ Bathonienses in Anglia* tanto malo succurrere valeant. „ Immo in ipso casu valere novi. *Pisselæum indicum.*

DOLORIS COLICI species.

Æginetæ sententia.

Art. 1466. Colon crassioris intestini pars a dextra iliorum parte oriens in modum zonæ ad sinisteriorem excurrit. Cruciatus in eo pluribus de caussis suscitantur immensi, aut enim propter crassum pituitosumque humorem, qui intra ipsius tunicas insidet, aut propter spiritum etiam crassiorem, ac turbidum inclusum, aut propter inflammationem intestini, aut propter acres, vique mordaci vellicantes succos. *Colicæ descriptio.*

Art. 1467. Quibus itaque crassus pituitosusque humor cruciatum infert, his dolor per universum funditus epigastrium diffunditur, præcipue vero, ubi sensu coli situm terebra perforari autumant. Torsiones hos circa umbilicum excrutiant: ructus item, & nauseæ, vomitionesque variæ, sed in primis pituitosæ: alvus graviter impedita adeo nihil excernit, ut ne flatus *Ex pituita.*

qui-

quidem præterlabi queat. Excretum autem quandoque oletulum, veluti bubulum cernitur leve, & spiritu refertum. Præcedunt hæc vero maxime gelidorum, craſſique humoris eſculentorum frequens uſurpatio, ſatietas, cruditas, otium, & id genus alia.

Ex flatu. *Art.* 1468. Qui vero dolorem flatulento ſpiritui acceptum referunt, extenſionis potius ſenſu torquentur.

Ex inflammatione. *Art.* 1469. Qui autem ob inflammationem tormenta ſentiunt, loci fervore deprehenduntur, quem febris haud ignava comitatur, una cum ſtercore lotium retinetur, pulſus ventrem perturbat, ſitis, æſtus, ec nauſeæ infeſtant, vomitioneſque bilioſæ potiſſimum, quæ nihil malum ſublevant. Ea quidem ut uno verbo loquar, omnium infeſtiſſima eſt colicarum affectio, quæ in gracilioris inteſtini morbum, quem Ileon Græci nuncupant, tranſitum minitatur.

Ex acredine. *Art.* 1470. His qui propter acres, & mordaces afficiuntur humores, perinde atque cum ſubeſt inflammatio, corpus æſtuat, ſitis, & vigilia moleſtant. Febriunt autem omnino, aut paulo minus illis. Lotium acre emittunt, & bilioſum dejiciunt; ſæpenumero in alvi dejectione plurimum torquentur, & eduliorum potuumque excalfacientium uſu gravius irritantur.

Curatio viſciditatis. *Art.* 1471. Medendum itaque doloribus, qui ad gelidos tenaces & ſpiſſos humores referuntur, non admodum calorificis, quia ab his in flatulentum magis ſpiritum rediguntur humores. Quare alvus prius oletulo clyſteribus exonerata, oleum in quo elixum ſit cyminum, aut ruta cum adipe anſerino, vel gallinaceo, vel radicum ſylveſtris cucumeris decocto, myrrhæque denario, melle, & ſicyonio oleo injiciendum eſt. Quia & oleum commune infuſum non raro pituitam vi-

vitream extrahit, infestantemque protinus dolorem sedat. Perseverante cruciatu clyster præmemoratis adjiciendus est, resinæ terebinthinæ unc. j. sive opopanacis ʒj. aut galbani ʒiv. bituminis tantumdem cum nitri ʒj. & ol. rutacei unc. v. vel plus. Potioni absynth. & cyminum æquis portionibus, aut panax cum aqua, vel castorei, vel anisi, piperisque ʒj. cum oxymelite præbetur. Quodsi cruciatus his remediis non cedunt, potionandi sunt confectione quæ e tribus piperum generibus constat, vel theriaca. In vehementioribus tormentis mediocriter mitigantibus præsidiis utendum est: cujusmodi censentur e castorio confectus pastillus, cum per superna, tum per inferna immissus, & alia ejusdem generis medicamenta, nam quæ vehementer torporem afferunt cavenda sunt, quod diuturniorem affectionem reddunt, & tormenta paulisper leniunt. Pituita vero jam attenuata hiera amarulenta, vel globulis hujusmodi purgare expedit. ℞. Aloes, euphorbii, cocci gnidii puri, scammoniæ, ana ℈ij. m. f. pilul. Victus adhæc ratio calidior, & aridior convenit; a primordio quidem morbi præferenda est inedia; mox inde acriora manducanda: ut poma tosta, apium, asparagus, allia cruda &c.

Art. 1472. Ubi vero flatulentus spiritus dolorem suscitaverit, post enemata quibus flatus discipantur potionesque, cucurbitulæ etiam per quam ingentes succensæ, & inanes universo ventri impactæ, nonnumquam satis adminiculi præstiterunt. *Curatio flatulentiæ.*

Art. 1473. Quodsi intestinum inflammatio torquet e cubito sanguis detrahendus est; si vero mictionis difficultas exercet, vena a mallelo secanda est, & jampridem enumeratis utendum remediis, exceptis acribus, & vehementer expur- *Curatio inflammationis.*

purgantibus. Lenientes potius infundi clysteres debent. In oleum quoque descensus commendatur. Cucurbitulas interim utiliter adglutinabimus. Victus sit tenuis usque ad inflammationis solutionem.

Curatio acrimoniæ. *Art.* 1474. Quodsi acres & mordicantes succi cruciatus pepererint, oleum per alvum infundetur, in quo elixatum sit fœnogræcum, aut althea, cum molli adipe recenti anseris; vel gallinæ, vel cremore quoque ptisanæ, cum rosaceo, & lini seminis quoque liquore. Potionandi vero sunt antidoto ex aloë amara. Lavacris ex aquis dulcibus danda est opera. Cibis utendum sorbilibus ex chondro; seu ptisana, piscibusque saxatilibus. Si dolor admodum violentus laborantem exerceat, iis etiam, quæ stuporem inducunt, utendum.

Colica epidemica. *Art.* 1475. Mea quidem sententia, colica ægritudo, quæ nostra ætate incrudescit, ex talibus humoribus (tenuibus, nempe, & mordacibus) nascitur; cum ab Italiæ quidem finibus incœperit, per pleraque alia Romani Imperii loca instar pestiferæ contagionis grassatur; unde non paucis quidem in morbum comitialem, aliis vero in membrorum resolutionem incolumi sensu, nonnullis autem in utraque delapsis, magna pars eorum qui in comitialem ceciderant, e vivis excesserunt. Quorum vero morbus in paralysin transierat, plerique evaserunt. Hinc intelligimus a Paulo Ægineta ipso cognitam eam fuisse colicam quæ postmodum *Pictonum*, vocata est.

Ett-

Ettmulleri sententia.

Art. 1476. Dolor punctorius & terebrans acerbissimus sentitur in hypochondrio sinistro, aliquando sed rarius in dextro, in utroque colon facit angulum satis acutum in curvatura; dolor contorsionis, lacerationis, & vagæ lancinationis oritur ex spasmodica intestinorum contractione, & plerumque adest in Colica nephritica; dolor rodens & vellicans vermes indicat, dolor pulsans intestinorum inflammationem. Mulieres interdum sub difficili mensium fluxu patiuntur tormina gravia abdominis, quædam post partum (& ante etiam aliquando) dolore Colico laborant, in utroque casu plerumque ex abdominis & intestinorum *convulsione*. *Colica biliosa, &c.*

Art. 1477. In omnibus intestinorum torminibus tam humorosis quam convulsivis habitualibus, quoad causam antecedentem, respiciendum est inprimis ad *acre acidum* plus minus *austerum*; plus minus *viscidum*, ex stomacho ad intestina delatum, adeoque ab assumptis vel vitiosis, vel vitiose digestis eo distributum, vel in plexibus nerveis mesenterii, vicinisque locis membranosis pertinaciter hærens, & a quacunque causa externa excitatum. *Ad causam antecedentem respiciendum est.*

Art. 1478. In Colica hysterica sensus globi, in abdomine moti, quem mulierculæ & medici ignorantes pro uteri habent motu; est *plexus centralis mesenterii maxime convulsus*, in viris quandoque accidens. Attendendum est præ omnibus, an Colica sit *humorosa*, an *convulsiva*, an sit *accidentalis* vel *habitualis*, an sit *scorbutica*, *hysterica* vel *alia*. Clysmata terebinthinata in Colica *convulsiva* sunt optima. *Semper attendendum est, ad speciem Colicæ.*

Art. 1479. In Colica *humorosa*, ubi pertinaci- *Curatio.*

ter hærent ſtercora, convenit enema ex *ol. ſem. lini* & *raparum* & *ſal gemmæ* ad ℥j. vel ij. alias enema emolliens & carmin. ex *urina pueri* in affectibus inteſtinorum *flatulentis*, etiam cum *terebinth.* aliquando. Si dolor Colicus ſit nimis acerbus, prius eſt mitigandus, quam *purgantibus* proritetur alvus. *Ol. amygd. dulc.* & *ſperma ceti* in Colica *convulſiva* eſt remedium proficuum, & *gum. ammoniacum* in *humoroſa*. Succus expreſſus *ſtercoris equini* eſt præſentaneum remedium contra Colicam, p. 1061. (vide locum) ſpeciatim in Colica *convulſiva*. Decoctum *flor. cham.* in quacunque Colica maxime laudatur, tanquam ſpecificum, & pene infallibile remedium, *ſacchar. ſaturni* eſt remedium ſingulare. Pro uſu externo *ol. cham. ſuccini*, *junip. ol. petræ*, *galbanum*, *empl. fotus*, &c. vid. locum p. 181.

Diagnoſis ex urina, &c. *Art.* 1480. In Colica, ſi urina ſit tenuis, & aquoſa morbus eſt ut plurimum *nephriticus* (aliquando *hyſtericus*;) ſi valde colorata, *ſcorbuticus*; ſi reſpiratio ſit difficilis & præcordia perturbentur, *hyſtericus*. In graviori caſu clyſma ex *fumo nicotianæ* eſt remedium dolorem mitigans & alvum laxans.

Foreſti ſententia.

Vires ſal. gemmæ. *Art.* 1481. In Colica ſtercoracea aut a pituita viſcidiore nunquam obliviſcatur medicus *ſal. gemmæ*: nam hoc expertiſſimum eſt ad reſolvenda ſtercora & mucilagines craſſas; *Foreſt.* l. xxj. vid. etiam Meſſ. med. ſpargyr. ſub tit. *ſal. gem.*

Remedia varia. *Art.* 1482. „ Conſulendus eſt *Boerhaave* in his „ affectibus (uti in fere omnibus) tanquam ora- „ culum. ♃. *Flor. cham.* miß. *coq. pauliſper in aq.* „ *brion. comp.* ℥iv. *in colatura diſſolv. ol. mac. per* „ *expreſſ.* ʒß. *ſyr. de mecon.* ℥ß. m. f. hauſtus cali-

„ de

„ de sumend. ad dolores leniendos in praxi no„ stra frequentissime. Decoct. *fol. malvæ* pro pau„ peribus præcipue in colica *nephritic. Vvaldschmidii* experientia constat, *arenas calidas* in sac„ culo regioni ventriculi impositas vim habere „ dissolvendi ac discutiendi. *Allium condit. zin„ zib. condit.* (in frigidioribus) *empl. e bacc. laur. „ e Cymin.* &c. *Pharm. Lond. Enema colic. enem. „ hyster. enem. tereb. fotus ad colic. fotus spirituo„ sus, mistura hyster. spirituos.* „ sunt remedia usu comprobata.

Farrago sententiarum.

Art. 1483. Quoniam Mesenterium pars est, valde sensilis, & humorum nervosi generis affluxionibus plurimum obnoxia, morbi Colici sedes merito in eo statuitur. In ea vero colica, in qua inæqualis distentio, & adstrictio ventris, rigidorumque musculorum contractio adsunt, denotatur nervos potius, quam intestina in eadem affici. *Colica mesenterica.*

In Colica biliosa succedit frequenter Aphonia, & vox rauca, & per totum morbi decursum durat; hæc vox rauca in febribus a bile ortis apparere quoque solet, unde numerari poterit inter diagnostica morborum a bile, sive a salino-sulphureis, & adustis massæ sanguineæ particulis. *Nota bene.*

Art. 1484. Colica Pictonum ab ea, quæ pictorum dicitur plurimum differt, quamvis ob vocabuli similitudinem vulgo confundantur. Ea pictorum a causticis colorum veneficorum pulvisculis conterendo, vel pinsando in auram, & respiratione in os raptis, qui cum saliva mixti in stomachum, & intestina descendunt. Plurimi enim colores sunt ex arsenico, cinnabro, *Colica Pictonũ & plumbea.*

auripigmento, &c. Tertiam item colicæ speciem nonnulli faciunt, quam plumbeam colicam dicunt, quia vitrarios, plumbi ductores, Bractearios, Specularios, & qui circa plumbi, & mercurii mineras operam impendunt corripit non minus, ac Pictores, sed nos hanc eamdem omnino cum ea Pictorum facimus.

Colicæ & Arthritidis consensus. *Art.* 1485. Arcanus quidam ac inexplicabilis consensus observatur inter morbos ventris, & cutis. Dolorem colicum vidimus mutatum in arthriticum, & contra dolores arthriticos, per supervenientem colicam, aut Diarrhœam solutos. Hinc quadrat illud Hippocratis: Alvi laxitas cutis densitas; cutis raritas alvi densitas; ideo observamus in praxi, quod diuturnæ Diarrhœæ irritis aliis per diaphoretica promptissime sanari solent. *Schombergius.*

Prognoses. *Art.* 1486. Non retineri excrementa, dolorem locum mutare, nec non & intermittere salutem brevi promittunt. Dolor colicus quandoquo transit in abscessum, & aliquando in hydropem.

Si dolor colicus fixus est, & febris adest in abscessum terminari solet, quia ab inflammatione intestinorum proficiscitur, non ita vero si de loco, in locum mutatur.

Affirmat Spigelius se nullum unquam dissecuisse ex colica mortuum, sine intestinorum inflammatione, quæ indicatur præsertim a dolore pulsante cum febre; dolor contra rodens, & vellicans vermes ostendit.

Quando remediis non allevatur dolor, sed figitur in parte, & vomitus post vomitum insequitur, & sudor frigidus oboritur, partiumque extimarum perfrigeratio, ad extremum perventum est. Nihil facilius colicæ supervenit quam paralysis: cave ne opiata copiosius in ea exhibeas:

beas: solet enim post opiata magnus sudor supervenire, & exinde paralysis.

Art. 1487. Quando opiata utuntur in colica, semper addendum castoreum, nam & opii narcosin corrigit, & doloribus medetur. Ante usum opiati semper enema injiciendum; diaphoretica cum opiatis optimum quoque effectum obtinent. *Remediorum cautela.*

Notatu dignum est, experientia abunde docente, quod immediate post venæ sectionem clysmata, vel lenissima promptius operabuntur, quam fortissima, ante sanguinis missionem. In acerbissimis torminibus cum vomitu &c. Laudani gr. iv. vel v. in clysmate dolorem in instanti leniunt, quum idem remedium per os nullum omnino afferret auxilium.

In Colica vomitoria, aut numquam aut cautissime propinentur, ne in passionem iliacam degeneret. Purgantia vero bene cedunt, præsertim si nulli adsint vomitus, nec febris, denturque in forma liquida. In hypochondriacis curandis cavendum a purgantibus fortioribus drasticis, quæ si non valde nocent, nihil tamen efficiunt, quia sennata, & blanda laxantia subjecta hæc facillime contra movent.

Pectori, & intestinis omnia frigida sunt inimica. Caveas igitur ab eis in talium partium affectionibus. Dolor colicus fere semper mitescit in semicupio. In Paresi & colica fugiantur thermæ, quia contracturam inferunt. Antidotum autem colicæ est, chamæmelum a quacumque causa demum oriatur. Valent contra aquæ medicatæ ex chalybe, & nitro &c. Hæ enim liberaliter epotæ copia, & pondere, & aperiendi (h. e. incidendi) vi, mucorum illam viscositatem abripient, e qua dolor propagatur. Virtutes item Aquarum Sulphurearum, Bathonien-

ſium &c. extra paroxyſmum, equitationis &c. ſatis pateſcunt. Pro pauperibus juſculum cancrorum fluviatilium, & radix allii commendantur. Equitatio demum colico dolore vexatis eſt neceſſaria.

Conſtat arenas calidas in ſacculo regioni ventriculi impoſitas vim habere reſolvendi, & diſcutiendi, tum etiam in colica habituali pannum laneum, mollem, & ſubtilem immediate ſupra cutem ventris continuo geſtatum, perpetuæ quaſi fomentationis locum tenere.

Remediũ ſingulare. *Art.* 1488. Memoratu dignum eſt, quod in Volum. IX. commercii Epiſtolici ſub titulo *lettres edificantes & curieuſes* proſtat. In magni Mogolis Imperio pro quavis colicæ ſpecie annulus ferreus, diametrum ſeſquipollicis gerens adhibetur, quo ad ignem excandefacto ægri ſupino ſitu decumbentis ita umbilico imponitur, ut umbilicus ipſe centrum annuli referat. Vix ac ardorem experitur æger annulus removetur, ſicque reiteratur applicatio donec colicus dolor conticeſcat. Repentina enim revulſio, quæ hoc in caſu ab inteſtinis peragitur brevi tempore colicos dolores abigit.

Colica Pictorũ curatio. *Art.* 1489. Pictorum colica purgantibus curatur, narcoticis, edulcorantibus, ſero lactis, & aquis mineralibus.

Methodus Pariſina pro omni colica. *Art.* 1490. Methodus qua omnis generis colica in Charitatis Xenodochio Pariſiis curatur, ita ſe habet. ℞. *Diaphœnic. unc. ſem. diaprun. ſolut.* ℥ij. *ſyrup. nerprun. unc.* j. *diſſolvant. omnia in apozemat. purgant. unc.* vj.

℞. *Fol. ſen. pulp. coloquint. ana* ℥ij. *decoct. emollient. q. ſ. coq. & colat. add. diaphœnic.* ℥ij. *benedict. laxativ. unc. ſem. mel. mercur. unc.* ij. *f. clyſter, cui ſecundum indicationum exigentiam addi poteſt, ol. nuc. vin. emetic. ana unc.* ij.

℞.

℞. *Pulp. coloquint. num.* ij. *vin. opt. lib.* ij. *coq. & colat. add. ol. nuc. unc.* v. *m. & f. duo clysteres intervallo quadrihorii successive injiciendi.*

De Dolica Nephritica in sequentibus verba faciemus.

ILIACA PASSIO.

Celsi sententia.

Art. 1491. Ileon modo supra umbilicum, modo sub umbilico dolorem movet. Fit ex alterutro loco inflammatio, nec alvus, nec spiritus infra transmittitur. Si superior pars (tenuioris intestini) affecta est cibus, si inferior stercus per os redditur: si utrumlibet vetus est, adjicitur periculo vomitus biliosus, mali odoris, aut varius, aut niger. *Ilei descriptio.*

Art. 1492. Remedium est sanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admovere, non ubique cute incisa; id enim duobus, aut tribus locis satis est. „ Distinguendum autem „ est a quibus caussis Ileon oriatur, siquidem „ ubi inflammatio adest, ut in omnibus inflam- „ mationibus a sanguinis missione auspiciendum „ est, at si a crudis crassisque humoribus fiat, „ tum a vomitione, aut purgatione per inferio- „ ra injectis, aut enematibus, aut inditis glan- „ dibus erit; quare apposite subdit Celsus „ ex cæteris spiritum evocare abunde est. *Curatio.*

Tum animadvertere oportet quo loco malum sit; solet enim contra id tumere; & si supra umbilicum est, alvi ductio utilis non est, si infra, alvus, ut Erasistrato placuit, ducatur. Ducitur autem percolato ptisanæ cremore cum oleo, & melle, sic ut præter ea nihil adjiciatur. Si nihil tumet duas manus imponere oportet, supra

supra summum ventrem, paulatimque deducere. Invenietur enim mali locus, qui necesse est renitatur, & ex eodem deliberari poterit, ducenda necne alvus sit.

Commune est, cataplasmata admovere, eaque imponere a mammis usque ad inguina, & spinam, ac sæpe mutare: brachia cruraque perfricare, demittere totum hominem in calidum oleum. Si dolor non quiescit, etiam in alvum ex parte inferiore tres, aut quatuor cyathos calidi olei dare„ nec fuerit, inutile si in eodem „ aliquid fœnugræci, seminis lini, aut radicem „ althææ cum modico aquæ ad aquæ consum-„ ptionem decoquantur„. Ubi per hæc consequuti sumus ut jam ex inferiore parte spiritus transmittatur, offerre potui mulsum tepidum non multum, nam ante magna cura vitandum est, ne quid bibat. Si id commode cessit adjicere sorbitionem.

Victus ratio. *Art.* 1493. Ubi dolor, & febricula quierunt, tum demum uti cibo pleniore, sed nec inflante, neque duro, neque valido, ne intestina adhuc imbecillia lædantur, potui vero nihil præterquam puram aquam. Ac postea etiam vitare oportet balneum, ambulationem, gestationem, cæterosque corporis motus; nam facile id malum redire consuevit, & sive cum frigus subit, sive aliqua jactatio, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur.

Ettmulleri sententia.

Iliaca Passio. *Art.* 1494. Ileos sive Iliaca Passio est motus peristalticus intestinorum inversus cum dolore circa umbilicum intensissimo; excrementa alvina motu retrogrado per os ejiciuntur ex obstructione alvi contumaciori. Appellatur *Convolvu-*

lus

lus & *Chordapson*. Quoties in sequiori sexu morbum Iliacum observare contingit, *Herniam* adesse tuto fere prædicare possumus, quamvis ob exilitatem ipsæ patientes non observare soleant. Opinio de convolutione intestinorum est falsa; ingressus vero superioris intestini in inferius, & contra, est satis frequens. Dubium est an inflammatio intestini sit causa obstructionis ejusdem vel contra. Morbus gradatim progreditur, in principio nil descendit per inferiora, abdomen sensim durescit, & tumet, ægri nauseant & vomunt primo ingesta, deinde recrementa flavescentia (& pituitosa) & tandem excrementa alvina. Adsunt lipothymiæ & anxietates inexplicabiles, sudores frigidi (extremorum frigus) urinæ suppressio; vires languescunt, singultus supervenit, qui prodromus est convulsionis, & epilepsiæ, & ipsius mortis. Plures intereunt, quam convalescunt. Si dolor sit acutissimus, & subito sine causa manifesta deficiat, signum est gangrænæ.

Art. 1495. *Venæsectio* celebranda est in initio, si adsit febris vel insignis calor. *Cathartica* sunt fugienda. quoniam vomitoria evadunt; non prius securitas promittenda est, quam sequitur alvi profluvium sponte vel arte provocatum. Ægri *analepticis* & *cardiacis* sunt sustentandi. *Ol. amygdal. dulc.* cum jusculo pingui, item *Sperma ceti* in decocto *raparum*. Deglutitio *globulorum* aut *argenti vivi* nil prodest, sed potius malum exasperat, ubi adest intestini inflammatio, gangræna, vel hernia, vel ingressus intestini superioris in inferius. *Dos. argenti viv.* est ℥iij. vel iv. ad ℔ß. & amplius, & exitus ejus per clysteres omni studio promovendus est; aliquando non ante aliquot dies redditur, interdum *salivationem* movet. „ Exemplum affert *Curatio.*
„ ali-

„ alicujus mercurii ℔ij. per octiduum in cor-
„ pore habentis & convalentis, sed non sine sa-
„ livatione excitata. Mulieri in sectione de
„ Lumbricis infra memorandæ gravissima pas-
„ sione iliaca correptæ enema lacteum statim
„ injiciendum præscripsi, & elapsis duabus ho-
„ ris haustum hypnoticum capiendum: & dein-
„ ceps post duas alias horas largam dosin pil. ex
„ duobus cum calomel. ℈ß. hæc nihil proficie-
„ bant; die proximo excrementa alvina per vo-
„ mitum ejecta sunt; largam quantitatem olei
„ amygd. dulc. in brodio tenui potandam jussi,
„ & linimentum ventre illinendo usurpandum,
„ & sub noctem enema cum vin. benedict. ℥iv.
„ injiciendum; nihilominus nihil per inferiora
„ descenderat, sed jugiter sursum omnia. Die
„ 4. sudores frigidi superveniebant, viribus fere
„ exhaustis; itaque argenti vivi ℥iij. propinavi
„ & trihorio post tres alias uncias; elapsa de-
„ inde hora una vel altera *ingentem lumbricum*
„ evomebat & bis per inferiora purgata est, &
„ in futurum alvus satis soluta manebat; argen-
„ tum vero vivum (quod mirum videatur) non
„ ante finem 7. vel 8. dierum redditum est;
„ nihil tamen mali mulieri exinde obveniebat:
„ hæc enim etiam nunc post quatuordecim an-
„ nos vegeta vivit. „Omentum ovis recens ma-
ctati calide in abdomen impositum mirum in modum dolorem lenit; laudatur etiam cataplasma *ex pomis putridis Borsdorffianis* cum tantillo *croco*, vel ex *stercore ovillo* cum lacte cocto;

Sennerti sententia.

Miserere mei. *Art.* 1496. Barbari superioribus sæculis Iliacam Passionem *miserere mei* vocabant, quoniam malum est commiseratione dignum; in hoc morbo

bo clysteres; imo & glandes vomitu rejiciuntur ob motum intestinorum inversum, ideoque aliquando intestinorum viæ in ileo non penitus præcluduntur. Signum hujus morbi proprium est, quod nihil descendit per inferiora; accidit plerumque vomitus bilis & pituitæ, frigiditas totius corporis, dolor plurimus, spirandi difficultas, &c. & morituris sudor frigidus. Omnis Ileus periculosus; rarissime convalescunt, qui stercus per os ejiciunt.

Art. 1497. Venter foveri debet *decoct. emol.* & *linimentis* inungi. Oleum *amygd. dulc.* & *jufcula pinguia* ore sumenda sunt, & quamvis semel atque iterum talia vomitu rejiciantur, continuandus tamen est eorum usus ad fibras relaxandas. A tribus potissimum causis exoritur, ab inflammatione, ab aliis tumoribus & exulceratione, & denique a fæcibus induratis, de quibus singulatim consulendus est author. p. 429. *Curatio.* *De causis consulatur author.*

Barbette sententia.

Art. 1498. *Fabricius Hildanus* observavit principium & originem hujus affectus fuisse circa *Intestinum Cæcum*; ego vero existimo valvulam in principio coli primum ex intestini cæci inflammatione adeo contrahi & constringi, ut plane nihil permeare possit. In omnibus fere hoc affectu extinctis dissectis accuratiores invenerunt, vel intestini gangrænam, vel tenuis intestini coarctati ingressum in partem proximam flatu prius turgidulam. Si gangræna jam aderit, cognoscitur ex eo, quod dolor statim cesset. *Omentum* & etiam *ipsa intestina* ex vivo animali quam calidissime abdomini applicari possunt multo cum levamine. Convenit *venæsectio* initio, si malum *Causa proxima.*

ab

ab inflammatione oriatur; „ Immo in corpori-„ bus robustis nunquam omitti debet.

Gangræna morti causa. *Art.* 1499. „ Plures ab ileo defunctos aperui, „ & intestini cujusdam inflammationem & sphacelum fere in omnibus, & morbi & mortis „ causam fuisse deprehendi, *Willis*. Sæpius in „ hoc morbo defunctis (inquit *Dolæus*) intesti-„ na plane vacua invenimus; unde manifestum „ est sæpius spiritus animales peccare.

Sydenhami sententia.

Methodus medendi. *Art.* 1500. Ventriculus primo loco præ omnibus corroborandus est, & vomitus, si fieri possit, sistendus; ideoque *sal. absynth.* cum succo *limon.* præscribo (subinde) sumend. intermediis vero temporibus exhibeo coch. aliquot *aq. menth. stillat.* sine alio quovis additamento. Dum hæc fiunt *catulum viventem* nudo ventri indesinenter accumbere jubeo, dolore hoc modo profligato, exhibeo *Pil. coch. maj.* ʒj. *in aq. menth.* dissolut. quam etiam *aquam* (quo certius vomitus recursum prævertam) toto catharseos tempore injungo. Victus sit tenuis per totum morbi decursum, & decumbat æger in lecto, donec convalescat. Usum *argenti vivi* & *globulorum* author minus probat.

Curatio. *Art.* 1501. In hoc affectu quotcunque cathartica propinaveris, ea statim emetica fiunt; ideoque *vena brachii* tundenda est & *fumus nicotianæ* (de hoc vid. *Fulleri* enema *oleos. amar.*) in intestina inflandus est quam validissime (omnium enematum, quæ mihi innotescunt, hactenus efficacissimum esse duco) ideo quoque post moram aliquam reiterari potest. Hoc successu carente, necesse est *catharticum fortissimum* exhibere;

bere, sed præstat hora una aut altera *paregoricum* propinare, ut sub *laudani* tutela *catharticum* retineatur, & suo munere defungatur. Sched. mon. p. 48. De usu follis, &c. vide enema *oleosum amarum Fulleri*. *Fotus ad colicam*, *fotus spirituosus*, *mistura corallata*, omnia ad colicam quandoque in usum veniunt. Demulcendis doloribus conveniunt semicupium. In Ileo *stercore vaccæ* quam recentissimo universa ventris regio emplastretur; hoc etenim remedio, aliis nihil proficientibus, viam intestinorum aperui (*inquit Zacutus Lusitan. in praxi admiranda.*)

Art. 1502. „Infans vix semestris à nativitate „perfecte valens & vegetus subito in gravissima „ventris tormina lapsus est; subsecutæ sunt „vomitiones enormes, nihil omnino per inferiora descendente, præter exiguum sanguinem. „Ad infantulum succurrendum omnem operam „ac studium navavi; sed frustra; nam triduo „expiravit. Abdomine aperto intestina omnia „usque ad inferiorem Ilei parte flatibus valde „distenta invenimus; & jejunum leviter inflammatum: jamque paulo inferius morbi sedes „in conspectum venit: portio etenim Ilei, *sex* „*digitos longa*, (quod prodigiosum erat in subjecto tam parvulo) in *coli* cavum, *cum mesenterio adjuncto*, collapsa est; pars affecta in tumorem attollitur tunicis intestinorum incrassatis, nigricantibus, gangrænosis, & quibusdam in locis sphacelatis per totius involutionis tractum, unde intestinorum *oppilatio insuperabilis*, quæ instar Polypi visa est. En luculentum exemplar *Passionis Iliacæ* perfectissimam morbi ideam complectens in infante „nondum semianniculo; quod rarissimum esse „credo. *Historia.*

Ruy-

Ruyschii sententia.

Passionis Iliaca causa. *Art.*1503. Medici quidem de Iliacæ passionis, vulgo *Miserere* dictæ, Natura, & causa nequaquam conveniunt, cum alii videantur intestina tenuia in nodum, & circumvolutionem contorqueri, alii contra impossibilem hanc intestinorum revolutionem credant quousque mesenterio adhærent, quare ubi mesenterium putrescat id tantum possibile habent. Mihi autem animadverti ad ea, quæ in cadaverum dissectione, observavi, persuasum est, quod pro certo affirmari liceat, in atonia quadam seu elasticitatis fibrarum intestinalium defectu iliacam affectionem consistere, a qua tum vomitus frequentiores, & alvi segnities, tum sæpissime atroces cruciatus non minus quam repentina mors proficiscatur.

Hujusmodi elasticitatis defectus in fibris intestinalibus producitur, 1o. a nervorum ad eadem intestina euntium obstructione, qui si non omnino, ex parte quadam tamen obturati, spirituum animalium influxum ad tenuia præsertim intestina impediunt, quæ proinde inertia remanent & motu suo peristaltico carent. 2°. Eadem atonia interdum producitur ab intestinalis ductus obstructione, ob induratas fœces, vel os aliquod magnum, durum, ingestum vel etiam ob quodvis aliud solidum corpus circumjectum. 3°. Hujusmodi morbus oritur aliquando a portione quadam intestini in proximam immissa, vel quod immissio hæc ab inverso motu peristaltico ortum ducit, vel quod a convulsivo quodam motu peragitur, vel quod a nimia dilatione portionis cujusdam intestinalis fistulæ expeditur, vel etiam a nimia contractione ejusmodi portio-

tionis; unde fit, ut portio latior capax evadat contractiorem minoremque portionem recipiendi, & diversis intestinorum motibus adjuvantibus altius admittendi. 4°. Cognovi etiam hunc morbum ab intestini contractione oriri, cum idem interdum, adeo contractum invenerim, ut nisi ægre admodum digiti annullaris extremitatem admitteret, a qua constrictione fœcum, flatuumque transitus intercipiebatur. 5°. Sæpenumero strangulatus intestinorum in hernia, quæ intestinalis proinde dicitur: hunc ipsum morbum facit, 6o. atque demum inter ejus causas inflammatio intestinorum merito recensetur.

Quæ anotomicis rationibus probantur.

Art. 1504. A nervorum obstructione affectionem hanc produci supra innui, nec immerito quidem, cum id ipsum in muliere amstelodamensi viri litterarum studiosi conjuge evenisse non dubitem, quæ postremo alvi omnimoda stypticitate, & continuo vomitu correpta, absque eo quod aut febre, aut dolore multo vexaretur his symptomatis confecta, brevi vitam cum morte commutavit. Bis etiam in cadaveribus vidisse recordor, intestina tunc a proprio munere desistere, cum ab induratis fœcibus obturarentur. Nec dubitare licet, ut tertio monui, morbum hunc interdum ab intrusione portionis cujusdam angustioris in latiorem ejusdem intestini produci, cum bis publice id ipsum ostendissem, prima nempe vice in filio cujusdam Pistoris, altera in hominis cadavere, quando extractis intestinis eadem per longum aperui. Ii dum inter vivos agebant, pluribus morbis obnoxii fuere, in primis vero torminibus quotidie una, vel altera hora a prandio recrudescentibus. Tertium hujus rei exemplum in cadavere iterum offendi, quod coram Cl. Viro D. *Joachimo Schradero* peritissimo Chirurgo secavi.

Monui præterea hunc morbum a contractione intestinorum oriri, quod profecto inter secanda cadavera aliquando reperii, ubi eorum intestina adeo contracta occurrebant, ut vix minoris digiti extremitatem reciperent. Si ergo hoc in casu excrementa duritiem quamdam subeant, & si retenti flatus exitum non nanciscantur, utquid mirabimur inflammationem supervenire, & ex vehementia dolorum subito interimi?

Van Schvvieten sententia.

Ileum ab inflammatione febris præcedit. *Art.* 1505. Quam maxime attendendum est, ad signa, quæ inflammationem in hoc morbo præsentem docent, quæ satis evidentia sunt, ita ut peritus Medicus hic falli nequeat. Ubi ab inflammatione fit, tunc solet febris plerumque præcedere, quæ per horas aliquot tantum affligens in hunc morbum desinit, ut *Sydenhamus* optime notavit: idemque in pleuritide, angina, aliisque morbis inflammatoriis pariter observatum fuit; nempe febrim per aliquod tempus præcedere, & dein sequi inflammationem in hac illave parte corporis.

In ileo convulsivo febris sequitur inflammationem. *Art.* 1506. Ubi vero absque febre prægressa intestinorum convulsio sævos dolores produxerit, tunc inflammatione nata, febris sequitur. Simul tunc adsunt omnia illa symptomata, quæ & febrim acutam continuam, & inflammationem comitari solent; sitis nempe, calor, & reliqua; in primis vero debilitas summa. Verum omnia hæc symptomata adsunt in initio morbi, & cum subito in perniciem tendat, nisi succurratur illico, mutantur, & cito in contraria fere abeunt: calori magno succedit frigus, dolor cessat, pulsus antea durus, & fortis, fit debilis, intermittens, celerrimus tamen, quod optime Aretæus notavit.

Adest

Adest quandoque tanta constrictio ani, ut clysma injici nequeat; quod symptoma pariter *Aretæus* notavit, uti & *Hippocrates*.

Art. 1507. Ex his intelligi potest, quare in alio loco *Hippocratis* legatur: *At si remisso volvulo, febris illum prehenderit, desperatus est, fortassis enim etiam soluta alvus inferior interficiet.* Si enim a spasmo valido volvulus natus perstiterit diutius, sequitur inflammatio, quam febris comitatur quidem, sed cum citissime tunc soleat gangræna sequi, remittit, imo integre cessat dolor brevi, & tunc gangrænoso intestini affecti loco non amplius resistente contentis, illa per alvum ruunt, & moritur æger; non quidem ob hanc alvi evacuationem, sed ob gangrænam intestini. *Prognosis.*

Art. 1508. Si absque inflammatione, ut ait *Aretæus*, sed ob corruptionem aut validum frigus ileus provenerit, venæ sectione omissa, ad flatus evocandos cuminum, & ruta adhibeatur, simulque oleosa, & mollia externe ac interne usurpentur, non vero spiritus illi simplices vel compositi aromatici sp. vin. parati, quibus officinæ luxuriant, quia licet a solo spasmo absque inflammatione dolor abdominis oriatur, minime tutum est, audacter similia sumere; quia semper periculum est, nisi subito levent, quod pessime nocere possint. Licet enim ab inflammatione morbus non duxerit originem, convulsionem tamen intestinorum flatus creantem inflammatio facile sequi poterit. Longe tutius est leniora talia aromata remedia, ut semina quatuor calida majora, aut minora dicta in officinis, aquæ infusa dare; tunc enim vix nocebunt unquam. Verum ubi ex signis novimus inflammationem adesse, tunc etiam ab his abstinendum est. *Curatio.*

Vidi octava hora jam lethalem ileum, dum sex uncias spiritus ex seminibus levistici destillati miser æger hauserat.

Farrago sententiarum.

Colica ab Ileo differentia. *Art.* 1509. Hoc vitii genus omnium quæ intestinis insidiantur acutissimum est, & nisi resolvatur intra septimum diem occidit.

Magna Colicæ, & volvuli cognatio est, non parum tamen etiam differunt; colicæ enim natura præcipue in dolore consistit, & ad colicam satis est, insignis intestinorum dolor, etsi alia symptomata non adsint: Ilei vero in primis in defectu expulsionis per inferiora, & inverso naturæ ac facultatis expultricis in intestinis motu. Licet enim vomitus in Colica accidat, tamen non ita violentus est in Colica, ut in Ileo, neque omnia alimenta, multo minus excrementa per os rejiciuntur, id quod Ileo accidit, in quo etiam clysteres, & glandes ano immissi superiora versus trahuntur, & per os rejiciuntur.

An in tenuibus, an vero in crassis intestinis, causa Ilei consistat, alii aliter sentiunt, verior est sententia plerumque in tenuibus consistere, quæ ob venarum copiam, & sanguinis abundantiam facilius inflammantur, & natura sua angustiora sunt. Quandoque tamen etiam crassis affectis hoc malum generari potest, cum causæ omnes, quæ ileum producunt, etiam in crassis reperiri possint.

Prognosis. *Art.* 1510. Etsi Ileus alius alio periculosior sit, exitialem tamen ut plurimum esse experientia constat, præsertim is, cui accedit vomitus materiæ fœculentæ; & ex hoc nulli evadunt. Qui periculum effugiunt, his vel causa fuit fecum retentio, vel enterocele, vel flatus exitum supra vel infra non inveniens.

Ilia-

Iliaca passione laborantes alii celerius, alii tardius moriuntur; quibus ab inflammatione malum ortum ducit, intra quatuor dies moriuntur. Si alvi fluxus spontaneus superveniat, aut acuta febris æger brevi moritur. Facilis item est transitus Ilei in stranguriam, & vice versa. Si flatus multi, & fœtidi pedendo erumpant, mors ostia pulsat. Minus periculi esse solet, ubi dolor locum mutat, quam ubi fixus una in sede consistit.

Art. 1511. In hoc morbo omnia purgantia etiam leniora per os exhibita fugiantur, quia motum intestinorum inversum, atque adeo vomitum augere possunt; fugiantur quoque opiata, si suspicio inflammationis adsit, alias gangrænam, & sphacelum inferunt. *Remedia varia.*

Paræus se multos ab Ileo desperatos ab imminente morte liberasse refert, haustis scilicet argenti vivi in aqua sola libris tribus. Tanta vero mercurii quantitas valde pertimescenda est; in casu igitur desperato satius est minorem quantitatem exhibere.

Hinc cautius præcipit *Meadius* aliis auxiliis nihil proficientibus, argentum vivum bibendum præbeatur libræ minimum pondo, quod repetere etiam plerumque opportunum erit; nam duplicem quidem usum hic præstat; partim pondere suo inversum intestinorum motum restituendo, partimque lubricitate excrementa alvum opplentia emolliendo, & deorsum propellendo. Idcirco diu tardare hoc experimentum non debet, quoniam metus est, ne, quod non raro fit, inflammationi superveniat gangræna, qua corruptis intestini tunicis, in abdomen effunditur ponderosum metallum.

LUMBRICI.

Æginetæ ſententia.

Lumbricorum ſpecies. *Art.* 1512. Tres ſunt omnium lumbricorum differentiæ; una quidem tereti forma ſecundum craſſitudinem eſt; altera vero latiore, unde latos nominant; tertia eorum quos aſcaridas nuncupant.

Art. 1513. Lumbrici igitur teretes formam nemini obſcuram continent, quoniam hi reliquis frequentiores ſunt. Accidunt vero lumbricos teretes habentibus: morſus inteſtinorum, & ventriculi, tuſſes non magnæ, aridæ, & irritantes, quibuſdam etiam ſingultus. Dormientes palpitant, & ſine ratione experrecti eriguntur. Nonnulli cum vociferatione expergiſcuntur, ſed rurſus in ſoporem ruunt. Pulſus inæquales ſunt, & augentur febres abſque ordine, quæ cum extremarum partium algore ter quaterve interdiu vel noctu præter rationem invadunt.

Eorum diagnoſis. Infantes ſupervacue mandunt, & linguam temere exerunt, dentibus ſtridunt, oculis connivent, ſilentium amant, excitantibus indignantur, ſuffunduntur malæ rubore, atque rurſus mutato colore liveſcunt, atque hæc quidem per exigua intervalla. Non paucis vero venter etiam multas eſculentorum corruptiones excernit, atque tympani inſtar inflatur.

Lati lumbrici ſigna. *Art.* 1514. Latus lumbricus eſt intraneæ ſuccingentis inteſtina membranæ, in corpus quoddam inſtar animalis mobile (ut ita dicam) permutatio, quod per partes interdum redditur, plerumque totum ſimul excernitur, incredibilem longitudinis ſpeciem exhibens; diſſolutus vero non coaleſcit. Comitatur eum, qui affectus

eſt,

est, corporis gracilitas, pulsusque imbecillitas, cum inæqualitate; sed infallacissimum indicium est, si cum alvi excrementis quædam semini cucurbitæ similia excernantur. Abundat quandoque in non febrientibus, quandoque febricitantibus per diuturnas ægritudines accedit, continuos stomachi morsus inferens, appetitusque ad cibos intemperatos.

Art. 1515. Ascarides lumbricorum species sunt, vermibus persimiles, qui in extremo intestini recti, & musculi anum stringentis initio, sphinctere Græcis appellato, consistunt, vehementem his partibus pruritum inferentes. *Ascaridum signa.*

Art. 1516. In India etiam, regionibusque supra Ægyptum animalcula quædam viva lumbricis similia, dracontia ab animalis specie nuncupata, in musculosis corporis partibus, puta brachiis, cruribus, suris: in pueris etiam in lateribus sub cute consistunt, aperteque moventur. Deinde ubi diutius extremum aliquod dracontii remanserit, locus suppurat, & aperta cu-e foris progreditur. Dracontii principium si rahatur cruciatus excitat, maxime quando dirumpitur, *Soranus* autem non animal aliquod præcipuum; sed nervuli alicujus substantiam dracontium esse autumat, opinionem dumtaxat animalis, eo quod moveatur, inducentis. *Dracunculorum descriptio.*

Sennerti sententia.

Art. 1517. Lumbricorum tres sunt species frequentiores, viz. *teretes* sive *rotundi*, *lati*, & *ascarides* (ex ovis insectorum oriuntur); aliquando sed rarius vermes anomali ejiciuntur, cornuti scilicet, hirsuti, quadrupedes, multipedes, bicipites, tricipites; cauda bifurcata præditi, &c. *Vermium species variæ.*
„ Præter vermes intestinales, sunt & alii, omnes

Vermes in variis corporis partibus.

„ fere corporis partes incolentes, uti vermes „ *dentales*, *gingivales*, *rhinarii*, *pulmonarii*, *cardiaci*, *sanguinarii*, *urinarii*, *cutanei*, *umbilicales*, *helcophagi*, vermes in *hepate*, in *saliva*, „ &c. Sed hi omnes non nisi in statu morbido „ inveniuntur.

Teretes.

Art. 1518. „ Lumbrici teretes sunt frequentissimi & satis noti, Lumbricis terrestribus similes, nisi aliquantum albidiores sint.

Lumbrici lati descriptio.

Lumbricus latus, tænia a *Plinio*, *Platero*, &c. appellatus, est instar fasciæ duarum vel trium ulnarum, aliquando longior „ geniculis transversis per totum divisus. *Nicolaus Andry* affirmat unum esse tantum in „ corpore, unde *solium* appellatur. Ast Mr. *Hageunot* tæniam in ventriculo felis aliamque in „ duodeno reperiit. Memoir. de l'Acad. Vol. xvii. „ p. 484. Et Mr. *Geoffroy* tæniam in tinca pisce „ duos pedes & amplius longam observavit. „ Hist. de l'Acad. Vol. xiv. p. 50. hunc Lumbricum in cane ipse vidi tres circiter pedes longum; ideoque in aliis animantibns præter hominibus generatur.

Latus lumbricus.

Art. 1519. Latos Lumbricos qui habent, appetentia cibi nimia laborant, ac nisi cibus offeratur, dolor & morsus in ventre percipiuntur, &c. Certissimum vero signum est, quod cum alvi excrementis corpuscula quædam *cucurbitæ* seminibus similia excernuntur. Hi difficulter necantur; commendatur *rad. filicis* ad ℥j. & decoctum *corticis rad. mori*.

Remedia ad lumbricum latum.

Art. 1520. Ad *latos* Lumbricos educendos adhiberi debet *vomitus ex oleo*, non ex *radicibus*, & alia die *clystere* utendum admixta *nitri* parte vel *salis*; danda etiam *aqua salsa* potui, aut *glycyrrhizæ radicis* decoctio, aut similiter incocta *glycyrrhiza*.

Art.

Art. 1521. „ Ascarides sunt tenues Lumbrici, „ filorum particulas referente, qui in parte in„ feriori crassorum intestinorum, & juxta sphin„ cterem musculum residere solent. *Ascarides.*

Art. 1522. „ Signum pathognomonicum *asca„ ridum* est pruritus in ano vix tolerabilis; æ„ grotantes aliquando *syncopen* patiuntur, & fre„ quentissime *tenesmum*. Ad *ascarides* facit ex„ perimentum Aetii, suppositorium scilicet for„ matum e *carne veteri salita*, pinguedine de„ rasa. *Remedium singulare.*

Fulleri sententia.

Art. 1523. Ascarides sunt quidem gens pusilla, sed expugnatu difficillima; namque licet omnes ad unum enematis vi exterminarentur, nova tamen & numerosa proles ab ovulis in recto depositis mox nascetur. Ideoque non tanti erit parentes solos proscripsisse; nisi insuper & natos, & semina etiam ipsa radicitus extirpentur, & ejiciantur. Hocque optime fiet, si postquam ascarides jam disparuerunt, non statim a remediis absistamus; sed tertiis quartisve diebus per aliquot vices; ac deinde semel in hebdomada hujusmodi deturbantia enemata repetamus; quod nemo authorum hactenus notavit. Ideo minime dubitandum est *enema amarum* seq. ℞. *Rad. serpent. virg. contus.* ℥j. *pulp. colocynth.* (*in nodulo ligat.*) ℈j. *herb. tanacet. summit. sabin. ana* M℔. *coq. in aq. font. p. s. ad* ℥vj. *colatur. add. ol. hyperic.* ℥ß. *ol. absynth. chym.* ʒß. *spec. hier. picr.* ℈ß. *m.* singulis noviluniis injectum, & per aliquot menses repetitum, ascarides interrempturum, exterminaturum, & funditus deleturum prodesse. *Ascaridum curatio.* *Enema amarum.*

Art. 1524. „ A Lumbricis vomitus, cardial„ gia, syncope, singultus, vocis privatio, tor- *Symptomata a lumbricis.*

mina

„ mina intestinorum, capitis dolores, sopor gra-
„ vis, deliria, mœror, tristitia, febres, angi-
„ na, pleuritis, & alia innumera gravia sym-
„ ptomata.

Remedia vermifuga varia. *Art.* 1525. „In genere *amara* fere omnia sunt „ *vermifuga*. Privatim pulv. *cort. aurant. mercurialia*, *Æthiop. min. merc. dulc.* &c. *muscus corallin. ens veneris*, *semen Santonici* in vino clareto est anthelminthicum insigne. *Floyer.* Decrescente luna vermes sunt aggrediendi. *Pulv. colocynthid.* cum *felle bovin.* subact. cum gut. aliquot *ol. absynthii* umbilico applicatus, Lumbricos pellit. Ad *ascarides* necandos enemata cum *colocynthid.* incoct. *mercurialia*, &c.

Baglivi sententia.

Vermes anomala & insolita symptomata sæpe pariunt. *Art.* 1526. Quod ut plurimum homines ex improviso, & sine ulla causa manifesta, & signis alios morbos comitantibus, in subitum vitæ discrimen incidunt, & cadunt veluti *apoplectici* cum extremitatibus frigidis, pulsu exilissimo (qui fere semper signum est vermium latentium uti & singultus) aphonia, quandoque improvisa mania, tunc de vermibus dubitandum, in tali casu nil potentius est, quam statim dare cum brodio gr. xij. *merc. dulc.* & gr. v. *scammon. sulphurat.* in adultis. In pueris vero minoretur dosis, vel potius detur *mercurius crudus* ad magnitudinem pisi cum brodio, nam erit ad miraculum. *Chesneau.*

Nota bene. *Art.* 1527. „ Probe notandum est, quod nullum tam peregrinum sit symptoma, tamque „ Δαιμωνιακὸν, quod vermes excitare non possint. „ Horrenda quidem symptomata quandoque a „ vermibus exoriuntur, ut non raro ex incantatione produci vulgo credantur. Periti me-
„ dici

„ dici multa adſtantium admiratione cacodæmo-
„ na non raro ejiciunt.

Art. 1528. „ In praxi quotidiana horrenda „ hujuſmodi ſymptomata a vermibus excitata „ vidimus. Homo quinquagenarius ſubito in „ graviſſimam *Epilepſiam* lapſus eſt, & intra de- „ cem dies ſex vel octo violentiſſimos inſultus „ cum horrendis ſpaſmis paſſus eſt; deinde in „ *maniam* incidit per diem unam aut alteram, „ & poſtremo in *moriam* & fere omnium rerum „ *oblivionem*. Die 16. Lumbricum mortuum ex- „ crevit, & ſenſim priſtinam ſanitatem nactus „ eſt, niſi quod *memoriam* nunc biennio poſt „ nondum integre recuperavit. *Ex vomibus epilepſia, mania, moria.*

Art. 1529. „ Adoleſcentula quædam febre ver- „ minoſa laborans ſtupendis motibus convulſivis „ correpta eſt, unde *viſum* penitus amiſit, & „ luce orbata ad quatriduum manſit, interim a „ ſpaſmis fere libera; die 5. alius paroxyſmus „ convulſivus ſupervenit, & acies oculorum re- „ ſtituitur. Exhibita erant medicamenta antiſ- „ paſmodica, & præcipue anthelminthica, Æ- „ thiop. mineral. & calomel. &c. Vermes com- „ minuti & contriti excreti fuerunt, & puella „ convaleſcebat. *Cæcitas.*

Art. 1530. „ Alia puella ex Lumbricis inte- „ ſtina incolentibus primo raucefcit, & febre „ acutiſſima laborabat; poſt paucos dies vocem „ penitus amiſit, & ad dies aliquot muta reman- „ ſit; & cum omnia ſymptomata mortem in „ propinquo eſſe monſtrabant, aliis vermifugis „ minus ſucurrentibus, exhibui *decoctum folio-* „ *rum hellebori nigri* fere in ipſo articulo mor- „ tis; vermes quamplurimos excrevit, & con- „ valuit. Ejuſdem remedii ope plures, qui in „ extremo vitæ diſcrimine fuerunt verſati, re- „ ſtitutos vidi; & longa experientia didiſci hel- *Obmuteſcentia.*

„ lebo-

„ leborum nigrum *optimum esse & certissimum* „ *vermifugum in tota pharmacorum familia.*

Lumbricus umbilicalis. *Art.* 1531. Ex Historia Medica abunde constat Lumbricos nonnumquam ventriculum, intestina, hypochondria atque inguina perforare & foras prorepere. Plusquam viginti abhinc annos ex umbilico pueri octennis exulcerato *Lumbricum teretem* 6. vel 7. digitos longum propriis manibus evulsi; post Lumbricum coch. j. vel ij. *puris flavi* effluxerunt, quod excrementa alvina non olebat. Ulcus non temere sanandum esse judicavi; ideoque foramini turundam adaptari jussi, ut materia purulenta quotidie evacuaretur; per septimanam & diutius pus ubertim effluebat, sed indies minori quantitate; deinde post triginta dies sine ullo incommodo ulcus exsiccatum est, & puer integre restitutus. Utcunque tamen proximo anno in *ascitem* lapsus est, a qua causa nescio; ex hoc etiam morbo remediis appropriatis illum feliciter liberavi, & etiamnum sanus ac vegetus vivit.

Lumbrici ex inguine prodeuntes. *Art.* 1532. Fœmina quadraginta quinque annos nata, robusta, & laboribus assueta, dolore colico quandoque obnoxia, alias sana; circa quatuordecim abhinc annos tumorem habuit *in inguine sinistro*, ovum gallinæ æquantem, quem *herniam* esse ipsa credebat; durabat enim integrum annum ante disruptionem. Interea circa dictam periodum fœmina *ileo* correpta est, de quo alibi infra, a cujus morbi cruciatibus ac immani vomitione, &c. ruptus est *tumor in inguine*, & effluxit tenuis humor flavescens, turpethi mineralis colorem æmulans: advocatus est chirurgus, qui stylo immisso largam cavitatem detexit; foramen sensim spongia præparata dilatatum est, & magna vis prædicti humoris indies evacuatur; die 10. in foramine apparuit *Lum-*

Lumbricus vivus, quem chirurgus coram astantibus detraxit, figura, colore, & magnitudine Lumbricis intestinalibus omnino similem. Post duas vel tres septimanas eductus est *alius Lumbricus* priori non dissimilis, nisi quod aliquanto rubicundior esset. Vermifuga interne propinabantur, & *decocta anthelminthica ex fol. hellebor. nigr. aloe, sem. santonic.* &c. in ulcus sinuosum injecta fuerunt. Tribus circiter mensibus sanatum est ulcus, & mulier, adhuc viva, ex illo tempore bene se habuit.

Art. 1533. Si quis de *Lumbricis umbilicalibus & inguinalibus* plura velit, *Schenckium* adeat, *Observ. p.* 408. 409. item, *Bonetum*, *p.* 631. Inguinalium recentiora exempla habemus apud *D. Morton Hist. Natural. Northamptoniæ*, *p.* 467.

Farrago sententiarum.

Art. 1534. Ex lumbricis teretes, & ascarides pueros, lati, qui omnium pessimi, adultos maxime infestant. Lati autem descriptionem additis etiam iconibus omnium accuratissime tradidit Vir Doctissimus *Daniel Clericus Hist. Nat. & Med. latorum lumbric. Genevæ* 1715. Ex illo excerpta sunt, quæ sequuntur, & primo quidem hunc non unicum esse vermem; sed plurium verniculorum catenam, ex illo genere quod cucurbitinos vocant, continuata serie aliorum aliis adnexorum, manifesto apparet. Hi autem digiti latitudinem habentes interdum singuli ac separati in intestinis jacent, & per alvum excernuntur. Totus denique vermis conjunctus unum caput sortitur, idque satis acutum, rostro haud absimile; quo intestinis infixo valde pertinaciter illic hæret, ore pro nutrimento chylum sugens. Sed hac de re adeatur *Lancisius*. *Lumbrici lati descriptio.*

Art.

Singulare ad latum lumbricum remediũ. *Art.* 1535. Propriam autem curationem deſiderare lumbricum latum obſervat *Meadius*, qui jam a multis annis ſequens remedium efficaciſſimum eſſe comperiit. Stannum raſum cum æquali portione coralli rubri in pulverem ſubtiliſſimum teritur; hujus drachma una, cum conſerva ſummitatum abſynthii maritimi in bolum redacta bis die devoranda eſt.

Dracontii enarratio. *Art.* 1536. Dracontium de quo ex *Sorano* dubitare vidimus ſupra *Æginetam*: an potius nervulus ſit quam vermis, teſtatur modo laudatus Cl. *Meadius* vermem revera eſſe, in Æthiopia, Africa, & India frequentem. Eſt autem inſectum aquaticum, quod acuto capite, & exili corpore, hominum membris, cruribus præſertim, inter lavandum ſe inſinuat; & exiguum primo, membranas muſculorum humidas depaſtum, majus fit, & longius; mox rodendo cutim inflammationem cum humore excitat, quo ſuppurante, caput exerit animalculum, duos ſæpe, aut tres, interdum & plures pedes longum. Mihi enim, inquit, in noſocomio hujuſmodi caſum intueri licuit in Nauta quodam ab Africa reverſo.

Vermicum corporis ſpecies variæ. *Art.* 1537. Corporis humani vermes, ait D. Andry, ſi eos excipias qui in ſtomacho, & inteſtinis generantur, vulgo in decem claſſes partiuntur: videlicet in *Encephalos* quorum, qui in cerebro ſunt *Encephali proprie* dicuntur, qui in naribus *Rhinarii*, in auribus *Auriculares*, & in dentibus *Dentarii*; in *Pulmonares* quorum alii muſcarum figuram habent juxta *Avenzoar*, & *Alſaharavium*, alii figuram ſtrobili juxta obſervationes *Thomæ a Vega*, alii demum cimicibus ſimiles ſunt, ut *Joachim Camerarius in Schenckio* obſervat; in *Hepaticos* qui ſecundum *Hartmannum* præcipue in hydropicis occurrunt, in *Cor-*

dia-

diales non tam in cordis ventriculis, quam in ejus pericardio degentes; in *Sanguineos*, qui secta vena non raro erumpunt, ut *Rhodius*, *Riolanus* & *Ettmullerus* aliique memorant; & foliorum myrthi speciem referunt; in *Vesiculares* una cum urina prodeuntes limacis formam, vel lumbricorum, vel millepedum gerentes: ut ex *Tulpio*, *Ambrosio Pareo*, & *Dureto*; in *Spermaticos* nisi microscopio conspicuos, in Helcophagos exilissimos, qui in ulceribus tumoribus, & apostematibus generantur: ut in Variolis ex Borello, & in Gangrænis ex *Hauptmanno*, & *Kirkero*; in Cutaneos quorum alii ex capillorum similitudine *Crinones* dicuntur, alii instar Acari exiles *Cirones*, alii *Dracunculi*, qui nisi in Africa, Ethiopia, atque India occurrunt, alii demum *Toms* dicti, in America tantum obvii; atque in *Umbilicales* denique, qui circa umbilicum in pueris hospitantur. Ast præter hujusmodi vermes alia dantur insecta, quæ subinde circa palpebras congregantur & ophtalmiam producunt, ut ex sequenti observatione innotescit: Intolerabili oculorum pruritu conquerebatur Puella, quos etiam rubentes inflammatosque gerebat. Plurimis in cassum tentatis remediis, quidam ei adhibendum proposuit ovi ad duritiem cocti vitellum, ut tepidum sibi oculis applicaret; quod ubi fecisset, plurimis a palpebris insectulis lentium figuram referentibus tali modo elicitis, liberata est.

Art. 1538. In Eruditorum Diario h. e. *Journal des Scavans* die 20. Maii 1675. casus refertur Juvenculæ 22. vel 23. annorum natæ, quæ cum in Porticu Gymnasii Medici Parisiis *D. Perrault* convenisset, ut morbi quo diu vexabatur consilium peteret, narravit ei se duobus ab illinc annis vomitu vermium exerceri; *Casus*

quo-

quotidie eadem hora regulariter magnis convulsionibus corripiente, atque jam jam hora qua loquebatur accessus tempus instare. His dictis manibus tam fortiter adstantem quemdam prehendit, ut per horæ quadrantem, quo convulsio duravit, non reliquerit, tandem plurima aqua vomitu redita in qua 28. vel 30. vermes hyrudinum formam gerentes innatabant viventes admodum alacresque, liberata est. Differebant autem ab hirudinibus hi vermes hoc uno, quod albescente colore notabantur. Additum fuit puellam hanc olim vomitu plus quam centum eorumdem vermium ejecisse. Duobus ex his vermibus, a D. *Parrault* in lignea pixyde inditis post horam eosdem vivos reperiit, cognovitque rostrum in lignum infigisse, ut sibi exitum pararent, extractis autem, & solis radio expositis calore parto validiores mobilioresque fieri videbantur. Quamobrem habita consideratione a calore hos vermes roborari, remediaque ad eorum expulsionem adhibita amara, vel purgantia fuisse, atque proinde calida, in consilium venit, ut experiretur: an frigus eosdem proportionaliter infirmaret. Hinc frigida aqua super eos affusa, dum plurima agilitate celeritateque moverentur, cum cognitum fuerit quod illico moriebantur plurima inde habita fuerunt experimenta, quibus ratum habebatur frigidam, aquam, sed validius ipsam glaciem eos, qui a vermibus excruciantur, efficaciter subvenire.

Vermis lati seu teniæ verior descriptio.

Art. 1539. Negligenda quidem non est quoad vermem tænia præmemorata *Lancisii* observatio, & sententia, qui sane nec vermen esse nec vermiculorum aggregatum seu geniculatam cohæsionem ut *Danieli Clerico*, aliisque visum est, sed mucosam tantum inorganicam substantiam de polyporum genere: ut apertissime in dif-

fer-

sertatione sua de triplici intestinorum polypo, & in Epistolis ad *Blanchardum*, *Morgagnum*, & *Vallisnerium* demonstrat. Quam quidem *Lancisii* sententiam ex observato tænia in muliere, cum exacta judicii lance ponderavit vir in Medicis experientissimus *Antonius Pujati* in Patavino lyceo P. P. Medicinæ Practicæ hæc subjungit: Ita *Lancisius* ratione optima, polypos intestinales, quia in intestinis genitæ essent, concretiones eas vocavit, quas antea vel latos vermes, vel membranas simpliciter, ac frusta membranosa vocaverunt veteres. Neque enim ille primus corpora quædam e podice excreta, compressa, lata, & oblonga, aliquando cava, latum vermem non esse cognovit; cum *Platerus* ante ipsum ea animata esse negaverit, & fascias membranosas ex chylo genitas asseruerit. *Jonstonus* etiam aliquando pro verme tænia, membranosam fasciam, cucurbitinos inclusos habentem, cognovit. *Lancisii* igitur, aliorumque Cl. Virorum, qui post ipsum tales concretiones polypeas vocare solent, exemplo & auctoritate fretus, quam mulier excrevit, polyposam ipse quoque voco; quæ cum meo judicio intra ventriculum genita sit, polypi ventriculi nomine, indigitare non dubito.

Art. 1540. Contra intestinorum vermes sequentes globuli celebrantur. ℞. Aloes subtiliss. pulv. unc. sem. coloquintid. pulv. & spir. vol. sal. armon. insper. inde exsiccat. ʒj. scammon. ʒj. f. syrup. absynth. q. s. m. f. massa cujus dosis a gr. 24. usque ad 48. *Remedia varia.*

Amatus Lusitanus primum & præcipuum contra vermes remedium semen santonici saccharo incrustatum habet, licet non desint, qui exinde potius oriri vermes autument. *Borellus* autem

tem seminis santonici essentiam umbilico applicatam commendat.

Apud *Schenckium* efficacissimum dicitur semen tanaceti ex syrupo violarum, addendam vero consulit *Hoeferus* radicem primulæ veris.

Bartholinus nihil vino, & spiritu vini ad lumbricos enecandos præstantius esse, ait, quod experimento confirmatum vidit eruditissimus *Redius*.

At omnibus palmam præripit Mercurius tum crudus, tum diversimode præparatus. Crudus exhibetur ab *Hartmanno* ad ℈j. alteratus tamen, domitus, & coercitus cum succo mali limonii, postea commixtus cum semuncia conditura rosarum persicarum, & modico fl. benzoini, & *Baricellus* cum sacchаro rubro illum præparat in mortario vitreo, commiscetque ol. amygdal. dulc. gutt. aliquot, & ex facchar. viol. vel rof. exhibet a ℈j. ad ʒj. *Riverius* vero curatos multos narrat usu Mercurii dulcis ad gr. vj. viij. & xij. cum pari, vel subdupla dosi diagridii vapore sulphuris correcti: confirmatque id ipsum Simeon *Jacot.* & *Cardilucius*.

Utuntur alii aqua, in qua stamnum ignitum pluries extinctum sit.

At de his, quæ hactenus credita sunt adversus lumbricos antidota efficacissima, dubitandi ansam præbuit diligentissimus *Redius*, eo quod illis non adeo adversari, expertus est; saccharum vero, & mel, quæ unanimi Medicorum consensu vermibus amica putantur, deprehendit, eisdem esse summe nocua, & mortifera.

CA-

CAPUT VII.

Sive Fasciculus Morborum septimus.

DIABETES.

Aretæi sententia.

Art. 1541. Diabetes qui vocatur affectus, miraculum quoddam est, haud ita sæpe hominibus usitatum, carnium videlicet, ac membrorum in urinam colliquatio. Neque enim hujusmodi ægrotantes cum intermissione lotium reddunt, sed perinde atque canales laxati sint, indesinens est profusio. Diuturna est hujus morbi creatio, & longo tempore parturitur: velox autem est colliquatio, & festina interdum mors advenit; & vita fœda est, ac vexata doloribus. *Diabetis descriptio.*

Sitis intoleranda est, potusque copiosus; multitudini tamen lotii non respondens: copiosius enim lotium redditur, neque eos quisque aut a potu, aut a mictu inhibere potest. Quodsi tantillum inhibeatur potus, os siccatur, corpus arescit, viscera conflagrari videntur, omnia ægri fastidiunt, de omnibus dubitant, & ardentissima siti haud multo post vita orbantur. Sin autem vel parum temporis a mejendo abstinuerint, intumescunt eis lumbi, testes, & ilia, & cum remiserint lotium, calefactione profunduntur, & tumidæ partes detumescunt.

Quando hic morbus futurus est, os humore privatur, saliva est albida, spumans, perinde ac in siti: nondum tamen sitiunt. Præcordia gra-

via sunt, calorem, aut frigus a ventre in vesicam tendere sentiunt; Prout adventans morbus progreditur, tum etiam paulo plus lotii, quam moris erat, effunditur; sitis adest, sed nondum vehemens. Cumque amplius incrementum accipit calefactio parva quidem, sed mordax visceribus inhærens exoritur, abdomen fit rugosum, venæ extant, totus corporis habitus gracilescit, urinæ profluunt, & sitis augetur.

Ejus causa & symptomata varia. *Art.* 1542. Hujusce morbi causa aliquis acutus morbus esse potest, haud incredibile est, etiam aliquod perniciosum venenum ex iis, quæ vesicam, & renes infestant, huic affectui causam præbuisse. A Dipsace morsum talis affectus consequitur. Dipsas enim reptilis fera, si quem percusserit, sitim non ferendam accendit, isque copiose bibit. Adeo inexplebilis est, bibendi cupiditas, ut potu non medeatur; sed in ventrem humor obruit. Si quis ob ventris distentionem doleat, graveturque humoris copia, & ideo paululum temporis a potu abstineat; iterum sitiens largissime bibit. Alii præterea sunt, qui lotium non reddunt, nec alia via, quod bibunt, emittunt, quare insatiabili bibendi aviditate humore inundante, ventreque distendente, repente, & penitus disrumpuntur. Ab hoc autore *Listerum* hausisse diabetis descriptionem ex sequentibus notum est.

Listeri sententia.

Diabetis historia. *Art.* 1543. Diuturna est hujus morbi creatio, & longo tempore parturitur. In principio os humore privatur, saliva albida est ac spumans, paulo plus lotii, quam moris erat, effun-

effunditur; sitis adest, sed nondum vehemens, calefactio parva quidem, sed mordax, visceribus inhærens, exoritur; habitus corporis gracilis evadit, & homo anxius & animi dubius existit; progressu temporis sitis insigniter augetur, & velox est carnium & membrorum in urinam colliquatio; neque enim cum intermissione lotium reddit, sed, perinde atque canales laxati sint, indesinens est profusio; sitis intolerabilis est, potus copiosus, multitudini tamen lotii non respondens; si parvum tempus a meiendo abstinuerit, intumescunt lumbi, testes, & ilia, postremo cum dolore meiit, & festina mors adventura est. Urinæ quidem gustus lenis, & minime, quantum memini, dulcis, paulatim tamen dulcescere in confesso est, quod primum aquosior seri pars effunditur, & postea ipsa seri pars chylosior: huic autem rei fidem facit, nempe, *phthisicorum* plurimorum ultimis mensibus insignis sputi dulcedo, ad nauseam usque molesta (lac etiam muliebere, a chylo parvulum discrepans, dulcescit.)

Art. 1544. Conveniunt *amygdalata* & *lacticinia*. „ Affert exemplum cujusdam ex hoc affe- „ ctu suo consilio curati, bibendo *vinum* cum „ *zinzibere* coctum quantum & quoties pro vi- „ ribus potuit, concesso interim haustulo *ex aq.* „ *lactis* ad sitim leniter temperandam. *Curatio.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1545. In Diabete urina quantitate nimis copiosa excernitur, cum siti intensa, debilitate virium; macie; febre continua lenta; ardore circa regionem lumbarem; verbo; symptomatis *hecticæ confirmatæ*; interdum cum urina pingue aliquid excernitur, & tandem ut plurimum *Morbi descriptio.*

mors subsequi solet. Sed hæc est *Diabetes notha*.

Diabetes vera. *Art.* 1546. Diabetes *vera* est immutata ingestorum potulentorum per urinam excretio, *cœliacæ* & *lienteriæ* similis: In hac specie potulenta redduntur parum mutata quoad colorem, odorem, saporem, &c. sic vinum rubrum mingitur, &c. Exempla hujus sunt rariora.

Alia species. *Art.* 1547. Est & *alia species* Diabetis, quæ *cœliaca urinalis* appellari potest, nempe quando, *chylus* cum urina aut loco urinæ prodit.

Prognosis. *Art.* 1548. Urina vulgo Diabete laborantium admodum dulcescit; est periculosum malum, & sæpe lethale; post immodicum laborem, nimiam venerem, chronicas febres, plerumque incurabile; „ ut etiam quando a prava & diuturna „ consuetudine liquorum spirituosorum ingurgi„ tationis originem duxerit.

Curatio. *Art.* 1549. Quoad curam temperanda est sanguinis acrimonia: in plurimis convenit cum cura *febris hecticæ*; inchoanda est cura cum *vomitorio*, deinde exhiberi potest *antihectic. Poterii*, *lapis hæmatit. sacchar. saturn. croc. mart. aluminata*, *trochisc. de carabe*, *terr. sigillat. opiatum* hor. somni; præ reliquis *aq. calc. lac chalybeatum*, *emulsiones*, &c. Ad Diabetem *veram astringentia*, *martialia*, privatim decoctum *cort. aurant*.

Willisii sententia.

Morbus apud antiquos rarissimus. *Art.* 1550. Diabetes apud antiquos fuit morbus rarissimus; at nunc dierum magis familiaris; habet sitim continuam, atque febrem lentam & quasi hecticam semper conjunctam. Novi quemdam vino Rhenano pro potu ordinario per viginti dies usum, Diabetem incurabilem contraxisse.

Art.

Art. 1551. Pauci aut nulli ab *astringentibus* curantur. Sæpius in hoc morbo *tincturam antimonii* cum bono successu præscripsi, atque *aq. solutionis calcis viv. cum sassafr. sem. anisi, passulis, liquirit.* &c. Ego, & *D. Michelthvvait* & *Vvitherly* pro quodam comite sic præscripsimus; ♃. *Summit. arboris cupress.* M. viij. *alb. ovor.* ℔ij. *cinnam.* ℥ß. *lact.* ℔viij. distillentur, &c. bibat æger ℥vj. ter. in die. ♃. *Gum. Arab. tragacanth.* ana ʒvj. *facchar. penid.* ℥j. *f.* pulv. dos. ʒj. vel ʒiß. bis in die cum *aqua distillat.* haustum *paregoricum* omni nocte; diætam fere tantum ex *lacte*. Horum usu indies melius habuit, & intra mensem sanatus est. *Curatio.*

Art. 1552. „ Fœmina quinquagenaria plenioris temperamenti *Diabete & salivatione*, nunc hac, nunc illa, utroque morbo alternatim invadente, tamdiu laborabat, donec vires fere exhaustæ fuerunt. Infusum rhabarbari in vino Canariensi quotidie capiendum jussi, & post paucos dies dosis decoct. catechu composit. *Fulleri*, omni nocte propinata fuit, & pro potu ordinario *vinum Florentinum cum aqua Bristolensi dilutum* potavit, atque ita duobus vel tribus septimanis ab utroque malo penitus liberata est, & plures annos incolumis vixit. *Diabetes & salivatio.*

Sydenhami sententia.

Art. 1553. Succi sanguini illati per vias urinarias crudi & incocti exitum sibi quærunt; unde sensim labefactantur vires, colliquescit corpus & quasi substantia ejus per hanc cloacam exinanitur, cum siti, ardore viscerum, lumborum coxarumque intumescentia, & salivæ spumosæ exspuitione crebra. *Morbus adumbratus.*

Art. 1554. Eadem præscribenda sunt, quæ in *Curatio*

fluore albo, omissis solummodo *venæsectione* & *catharsi*: nam utrobique *indicationes curativæ* sunt eædem, quantumcunque inter se hi duo morbi diffidere videantur.

Harrisii sententia.

Curatio singularis. *Art.* 1555. Cogitationi clarissimi authoris subiit *diarrhœam* esse quasi *diabeten alvi*, & *diabeten renum diarrhœam*; ideoque fœlici cum successu pro diabete laboranti hunc in modum præscripsit. ℞. *Rhei elect.* ℥ß. *santal. alb. citr. ana* ʒj. *cardamom. minor.* ʒß. infunde lento igne vase clauso in *vin. Canarin.* ℔j. sumpsit æger hujus vini colati coch. vj. hora 6ta matutin. atque tantumdem repetebat hora 10ma ante merid. ab illo meridie usque ad 10am vespertinam. Diabetes penitus sistebatur, sitis desiit, &c. (sed hujus rei hoc unicum habet exemplum.)

Meadii sententia.

Singulare ad diabeten remediū. *Art.* 1556. Nimiam urinæ saporis, odoris, & coloris mellei profusionem *diabeten* dictam, non renum esse, ut vulgus medicorum existimat, sed jecinoris morbum indiciis certissimis jamdudum demonstravi *Mechanical account of poisons. Essay* 1. *edit.* 4. Nolo cramben bis coctam apponere; & ea, quæ satis, ut opinor, prolixe proposui, repetere. Unicum tantum illis, quæ de cura ibi dicta sunt, remedium adjungam, h. e. serum aluminatum, quod ex lactis paululum cocti libris quatuor, & aluminis drachmis tribus conficitur. Si hujus enim quarta libræ pars ter minimum die bibatur, ad profluvium illud sistendum plurimum valet.

Diabetis causa. *Art.* 1557. Si quis autem quærat, unde tanta hu-

ta humoris copia in hoc morbo laborantibus ſuppeditari poſſit: Facili ſane experimento comperimus, corpora quædam interdum imbibere, & ad ſe trahere ex aere humidum, quo cum moles, tum pondus eorum augeatur. Ita ſal tartari udo aeri expoſitus in tantum creſcit, ut libra una rite calcinata ad libras decem exſurgat. Quidni igitur dicamus, ex ſphæra vaporum nos ambiente nonnullos eorum corpus ad illos recipiendos aptum intrare, qui humori aqueo in renes derivando conjuncti copiam ejus accumulent? Quapropter cum frigidus, ac humidus aer hoc malo affectis minime conveniat; calidum certe, & ſiccum ſi liceat, eos petere oportet.

Art. 1558. Rationem autem hinc reddere lubet, qui factum fuerit, ut apud antiquos tam raro occurreret hic morbus, ut illum bis tantum ſe vidiſſe referat Galenus. Id igitur ex more vivendi, quo utebantur, noſtro multum diſſimili, proveniſſe autumo. Illos enim hoc malum maxime corripere dixi, qui inertes ac deſidioſi vitam agunt; & luxuria aſſidue diffluentes, poſtquam vino meraciori ſanguinem & humores accenderint, frigidis potionibus intempeſtive ſitim reſtinguere ſolent. Veteres autem, licet plus ſatis vinoſi, prudentiores tamen hac in re ſibi cavebant; & inflati venas mero paulatim ad temperantiam redibant, ſenſim corpus refrigerantes, calidiſque, aut ſaltem egelidis liquoribus ſitim compeſcentes. *Quos morbus corripiat.*

Farrago ſententiarum.

Art. 1559. Cum recens eſt, curari interdum poteſt Diabetes, cum in vetuſtatem incidit numquam poteſt. Semper eſt Diabete laborantium uri- *Vulgaris diabetis ſpecies.*

urina aquea, & subpallida, nec omnino coloratior, quamvis vinum rubrum potarint.

Species altera rarior. *Art.* 1560. *Riverius* diabeten, quod sit immutata ingestorum potulentorum per urinam excretio Cœliacæ, & Lienteriæ similis. In hac specie potulenta redduntur parum mutata, quoad colorem, odorem, saporem, &c. Sic vinum rubrum mingitur; sed exempla hujusmodi rariora sunt.

Admirabile sane, aliquid habet hic morbus; nam eo laborantes multo plus mingunt, quam bibunt, aut alimenti liquidi assumunt; quod autem Authores potum, aut parum, aut nihil immutatum reddi asserunt, a vero longissime distat.

Diabetis tertia species. *Art.* 1561. Est & alia species Diabetis, quæ cœliaca urinalis appellari potest, nempe quando chylus cum urina, aut loco urinæ prodit.

Remedia nonnulla. *Art.* 1562. *Zacutus Lusitanus* refert aliquem liberatum esse a Diabete balneo frigido. Quicumque ad diabeten sive spuriam sive veram inclinant, caveant sibi ab acidulis. Inter adstringentia in hoc affectu exulent cydoniata; quamvis enim stomachi tonum (qui sæpissime simul læditur) confortent, cum ruinam tamen simul stimulent, neutiquam conveniunt.

In iis, qui potu quocunque annis præcedentibus se nimium, & sæpius repleverunt, roborantia, blande adstringentia, in primis species de hyacintho cum croco martis, & anodynis maritata, vel terra japonica, aut ejus essentia, tinctura martis cydoniata, vel tinct. vitriol. martis, & vinum rubrum aqua temperatum, modica quantitate prosunt. Exercitatio quoque & fricatio corporis frequens egregie hic conducunt: quia partes roborant, & transpirationem augendo serum a renibus divertunt. *Heisterus.*

Art.

Art. 1563. Rara est mentio hujus morbi apud veteres scriptores; *Græcis* fere incognitus fuit; *Galenus* profitetur se bis tantummodo ipsum vidisse; *de locis affectis* lib. vj. cap. 3. *Græcis incognitus fuit.*

Art. 1564. Præter jam dicta interdum ad curam aliquod faciunt remedia sequentia, *decoct. catechu comp. decoct. incrassans, ichthyocolla, gelatina C. C. oryza, tinct. coralli, trochisci Gordonii*, & præ omnibus juxta praxin modernam *aquæ calidæ Bristolienses*. Sequens decoctum cum maximo fructu propinari potest; ℞. *Cort. Peruv.* ℥j. *tinctur. rosar.* ℔ iß. *coq. ad* ℔ j. *lento igne, colatur. add. vin. rub. auster.* ℔ ß. *syr. Cydon.* ℥ ij. *misce; dos.* ℥ iij. *bis vel ter in die.* *Remedia varia.*

NEPHRITIS.

Cœlii Aureliani sententia.

Art. 1565. Renalis passio, quam Græci *Nephritin* appellant, tarda quidem affectio renum est quæ a perfrictione oritur, indigestione, percussu, casu vehementi super clunes, ciborum præter consuetudinem acredine, vehementi venerea libidine, vel etiam a frequentia diureticorum, aut a veneno, quod specialiter renes afficiat: ut sunt ex cantharidis confecta. *Juxta veteres ex tardis passionibus habita.*

Art. 1566. Cum adhuc lævis fuerit tumor, (seu inflammatio) dolor lævis adest secundum lumbos, & circa Ilia, magis cum proni fuerint ægri. Augescente vero tumore, dolor etiam plurimus fit cum gravedine, & fervore lumborum, atque iliorum, & pubetenus, vel umbilico, & con- *Morbi ingressus.*

consensu usque ad vesicam tendente, ob tumorem urinalium viarum, seu ureterum.

Progressus. *Art.* 1567. Dehinc per incrementa passionis etiam febres accedunt cum consensu jecoris, ut quidam etiam ictericum colorem sumant; & inappetentiam, ventris tormina, inflationes, & ructationes patiantur.

Urinæ tenues sunt, aquosæ, & ita subalbidæ, ut quasi cæruleæ videantur: & primo paucæ; deinde plurimæ, & coacervatim effusæ ullo absque levamine. Eædem pejorante tumore in fœculentum colorem veniunt, nam ex nimia tensione exilissimis ruptis venis, vinosæ propemodum prodeunt, & cum renum fluorem pinguem acceperint, etiam oleaginosæ veluti adipis qualitatem simulantes.

Tum hebetudo sequitur, & articulorum frigus, & vomitus; & passione in diuturnitatem abeunte corpus gracilescit, adeo ut quidam curvi permaneant, & semper proni ambulare cogantur, nec unquam se erigere possint.

Declinatio. *Art.* 1568. Est præterea signum declinationis morbi supradictorum in contraria mutatio, ut urina aquea in crassitudinem veniens: crassior vero vel viscosa in tenuitatem; item quæ paulatim atque cum mordicatione ferri solebat, sine dolore adveniens, & si plurima, mediocriter inde effluens; & ad summum omnia cum naturæ solita, vel similia fuerint visa.

Nephritidis & colicæ differentia. *Art.* 1569. Nephritis & colica similes quidem passiones sunt: discriminantur autem ab invicem, quia renali vitio extemplo difficultas urinæ conjuncta est, tum etiam in colica dolor magis interior est, & ventri vicinas partes tenet, a quibus sumit exordium; in nephritide autem ejus sensus est inter renes, & intestina, & vesicæ fundum.

Art.

Art. 1570. Generaliter curatio hujus morbi difficilis eſt, ob anguſtiam locorum, quæ paſſione vexantur, & ob acrimoniam urinæ, quæ inſuete aliquandiu renibus immoratur. *Curatio.*

Mercurialis ſententia.

Art. 1571. Nephritis cognoſcitur ex gravitatis ſenſu circa lumbos, laſſitudine circa dorſum, ſtupore qui ad alterutrum, vel utrumque crus pertingit, mentis alienatione propter ſepti tranſverſi vicinitatem, impotentia ambulandi, dolore magno circa lumbos, qui tunc præſertim urgere ſolet, quando corpus vario modo quaſſatur, urinæ difficultate, & ardore, quæ etiam guttatim ſtillat: primum tenuis, deinde mucoſa; febris adeſt inſignis, nauſea, vomitus bilioſus, ventriculi morſus, alvus adſtricta. *Signa inflammationis.*

Art. 1572. Si inflammatio ad ſuppurationem vergat, febres ſunt majores, apparet aliquis tumor, & aliqua elevatio extrinſecus circa lumbos, major eſt calor, & dolor circa renes, urinæ ruffæ, & adhæc ubi ſupra partem ſanam decumbunt, videtur, pars adverſa veluti pondus habere appenſum, quæ omnia ſigna meliora fieri ſolent, ubi jam factum eſt pus. *Suppurationis ejus.*

Art. 1573. Inter morbos renales inflammatio maxime omnium lethalis eſt. Verum ex *Hipp. VI. Aph.* 11. laboranti Nephritide ſi ſuperveniant hæmorrhoides bonum eſt, contra ex *Rhaſe*, & *Avicenna* ſi delirium ſuperveniat lethale. *Prognoſis.*

Art. 1574. Quoad curationem diligens victus ratio præ ceteris neceſſaria eſt, tum aer eligatur frigidus, & humidus, & ſerenus. Somnus ſit moderatus, cavendo, ne ægri ſupra dorſum dormiant, quodſi ſtratis ſubjiciantur herbæ refrigerantes, ut nymphœa, fol. ſalicis, vitis, roſar. *Curatio.*

far. plantag. optimum remedium est. Si alvus non fluat emolliendа est clysteribus. Erit autem talis clyster optimus. ℞. *Hord. pug.* j. *fol. lact. malv. ana man.* j. *sem. fiat decoct. s. a. & colat. lib.* j. *sem. add. ol. ros. compl. lib. sem. sacch. rubr. unc.* ij. *sem. salis* ʒj. *misce*. A vino abstinendum; pro quo aq. hord. in qua nymphææ, & lact. semina sint incocta usurpetur.

Instante plethoria mittatur sanguis e brachio; & ubi nulli humores ad renes influunt tundatur vena pedis. A scammonea, & cassia caveto, quia ad renes movent; alvum vero vel manna vel syrup. rosf. solut. vel quovis alio medicamento quod omnino urinam non provocet; purgato.

Remedia externa. *Art.* 1575. Extrinsecus initio statim oleum rosat. cum albumine ovi, vel Infrigidans Galeni admoveatur. ℞. *Ol. ros. unc.* j. *album ovi num.* j. *acet.* ʒij. *conquassentur omnia diligenter, & regioni renum applicentur*. Ubi autem inflammatio facta jam fuerit in augmento ol. chamæmel. sem. lin. decoct. fœnugræc. & ping. anatis conveniunt. ℞. *Ol. ros. omphac. unc.* j. *ol. sem. lin. chamæm. ana* ʒij. *ping. anatis* ʒj. *sem. acet.* ʒij. *misce fiat linimentum*. In declinatione morbi fomenta juvant facta spongiis, & decocto simili. ℞. *Fl. chamæm. alth. clam. ana pug. sem. sem. lin.* ʒiij. *fœnugr. pug.* j. *fiat decoct. s. a. & cum spongiis foveantur renes*.

Ad inceptam suppurationem promovendam. *Art.* 1576. Si omnibus his auxiliis efficere non poterimus, quin inflammatio ad suppurationem perveniat, eadem omni studio accelerabitur. Ego tali emplast. utor. ℞. *Rad. alth. lib.* j. *decoq. diligenter; dein pistent. & per cribrum transmiss. adde butyr. recent. unc.* ij. *terebinth. unc.* j. *passul. cribr. unc.* j. *sem. misc. omnia ad formam emplast. & apponatur renibus*. Ubi extrinsecus aliquid extuberet, locus ex documento *Hippocratis* incidendus

dus est, & pus extrahendum, & profunda sectione hoc faciendum est, quia pus solet residere in profundis partibus.

Art. 1577. Cæterum ubi suppurantur renes, fiunt ulcera; & ea quidem incurabilia, quia cum per ipsos renes continuo excurrant humores excrementitii, vix fieri potest, ut illæ partes ulceratæ consolidescant. *Renum ulceris prognosis.*

Boerhaavii sententia.

Art. 1578. Certum est renes vera inflammatione tentari ex dolore ardente, pungente, magno; ex febre acuta continua comitante; ex urina pauca, admodum rubra, & flammea; vel in summo malo aquosa; stupore cruris vicini; dolore inguinis, testisque vicini: dolore iliaco: vomitu bilis: ructu assiduo. *Inflammatio renum.*

Art. 1579. Hanc inflammationem producere possunt omnes causæ generales inflammationem parientes; privatim quicquid urinæ transcolationem & transitum in meatibus urinariis impedit. Si summa inflammatio hæc vascula occupat, ita sæpe stringuntur, ut nihil reddatur lotii; aliquando ut valde parvum, tenue, aquosum; quod pessimum. Infinitæ sunt Nephritidis species, causæque; & inter eas una a calculo; omnium tamen est ferme eadem curatio. *Causa.*

Art. 1580. Sanatur per remedia generalia omni inflammationi sanandæ propria, viz. *venæsectionem*, *avulsionem*, *dilutionem*; per *decocta lenia*, *emollientia*, *antiphlogistica*, magna copia ingesta; per *clysmata*, *fomenta*, *balnea* ex iisdem constantia: *victu humido*, *leni*, *quiete*, vitatione *lecti calidi*, & *decubitus* in dorso. Si nimia symptomata doloris, vel convulsionis urgent, *opiata* prosunt; vomitum autem nimium sæpe ingestu *Curatio.*

ſtu tepidæ mellitæ juvare prodeſt. Atque hac ſola methodo tuto curatur ipſa *Nephritis* a calculo renibus, ureteribuſve impacto orta.

Abſceſſus. *Art.* 1581. Si cauſæ Nephritidis magnæ, nec malum reſolvitur, nec ſanatur, ſed excurrit ultra ſeptimum diem, *abſceſſus* metuendus; quem fieri docet, remiſſio doloris, ejus in pulſationem mutatio, horror ſæpe recurrens, gravitas ſtuporque partis; jam factum eſſe docet: prægreſſus priorum, tum pulſus, ardor, tenſio in loco, urina purulenta, fœtida, inſtar urinæ ſalſæ putrefactæ: ſimulac abſceſſus ille factus ſcitur, utendum valde *maturantibus* primo & *emollientibus*, dein purulenta apparente urina, *diureticis puris: ex aquis medicatis*, *ſero lactis*, *ſimilibuſque*, *uſurpatis ſimul balſamicis*.

Effectus ſuppurationis & prognoſis. *Art.* 1582. Si vero ſuppuratio dicta diu durat, totus ren exeſus ſaccum format nulli uſui ſervientem: tumque frequentes *tabes renalis* inſequitur. Si ſcirrhum hic format, paralyſis vel *claudicatio* cruris ſuppoſiti oritur, immedicabile malum: unde ſæpe lenta tabes, hydrops, &c. Si autem parva copia materiæ inflammatæ coagulata in folliculo urinæ minimo hæſerit, baſin format, cui appoſita ſabuli in urina materies cruſtatim accreſcens calculum renalem creat, ſicque eundem auget, de quo alibi. Quin etiam aliquando in gangrænam tranſit, quod docet vehementia cauſæ & ſymptomatum, & ſubita doloris remiſſio ſine cauſa manifeſta, cum ſudore frigido, pulſu debili intermittente, ſingultu, urina vel nulla, vel livida, nigra capilloſa, fœtente, carunculis fuſcis, nigriſve fœda, defectu virium ſubito, ubi nihil juvat, imo nec ipſa medicina.

Ett-

Ettmulleri sententia.

Art. 1583. Renum inflammatio & exulceratio *nephritis* quandoque dicitur. Signa sunt ardor urinæ, stranguria, urinæ interdum suppressio, corporis inflexibilitas, febris, stupor cruris, vomitus biliosus, alvi suppressio, &c. Ut rite distinguatur a *calculo*, observandum est: quod hic semper adest febris continua, in calculo non ita; dolor etiam est magis continuus & pulsatilis, in calculo interpolatus & periodicus; ischuria in hac, raro in calculo. „ In inflammatio„ tione renum urina in principio valde rube„ scit, morbo autem ad summum provecto a„ quosa & limpida evadit; in affectu calculoso „ *contrarium prorsus accidit.* *Signa inflammationis renum, & quomodo differt a calculo.*

Art. 1584. Quoad curam cum reliquis inflammationibus convenit, cum externis secundum curam *anginæ* procedendum est, cum internis secundum *pleuritidis*; *hirudines* venis hæmorrhoidalibus applicatæ prosunt. *Diuretica* in principio sunt nociva; conducunt *nitrata*, *saturnina*, *papaverina*, succus *cancrorum fluviatilium*, & externe *camphora*. *Curatio.*

Art. 1585. Suppuratio aliquando expectanda est; rupto abscessu mictus fit purulentus, hinc *ulcus renum*; dolor morsicans & rodens in lumbis sentitur a sero acri, quod in transitu irritat, & rodit cum caloris sensu, periculosum est malum, & sæpius lethale. *Suppuratio, inde ulcus renum.*

Art. 1586. Quoad curam, *mundificantia* & hinc *consolidantia* utramque faciunt paginam; *vomitus* a pluribus laudatur; *mercurius dulcis* cum *terebinthina* & *balsamicis*; præmissis *mundificantibus*, decoctum *hederæ terrestris*, & e *lignis*, succus *cancrorum fluviatilium*; *trochisci al-* *Ejusdem curatio.*

kekengi (Trochisci Gordonii, lac asininum) acidulæ, aq. spadan. &c.

Farrago sententiarum.

Prognosis. *Art.* 1587. Nephritidem concoctione proba maturuisse, jamque penitus sanatam esse finitis doloribus cognoscitur, & urina multa, crassaque, in qua quid subsidet bonum est, vimque finiendi morbi habet. At vero periculum nunciatur, si frequens bilis vomitus est, longeque magis delirium terret, & simul etiam si extrema inalgescunt. Certa mors est cum ren præ nimio humore disrumpitur. *Lommius.*

Ad renes inflammatos remediū. *Art.* 1588. Ad renum inflammationem arcanum esse inquit Hartmannus succum Astacorum, aut Cancrorum fluviatilium crudum, scilicet ex ipsis contusis expressum, & aliquo jusculo; vel decocto prunorum assumptum semel vel bis ad cochleare unum.

Potus an calidus vel frigidus. *Art.* 1589. Aretæus fuit hujus sententiæ, ut in Nephritide aqua calida daretur ægri bibenda; Avicennas autem damnat usum aquæ calidæ, potiusque si bibenda est aqua, quod tamen videtur negare, vult bibendam esse frigidam. Nos vero hæc omnia irrita habemus, nisi quod vini potum ex inflammatione febricitantibus, summe noxium constantissime affirmamus.

Alia remedia ad renum abscessum utilia. *Art.* 1590. Suppurata renum inflammatione, & pure per urinam prodeunte decocta vulneraria cum balf. sulph. terebinth. vel succin. conveniunt, aqua hederæ terrestris cum syrupo de symphyto *Fernelii* item juvant. Sed *Hoffmanno* placet usus terebinthinæ cum vitello ovi solutæ, & cum ocul. cancrorum floribusque hyperici commixtæ. Mercurium dulcem bis vel ter in hebdomada exhibitum magnificat *Hoffmannus*.

An-

Angelus Sala, Mercurio vitæ ad grana aliquot nephriticos dolores cito debelasse confitetur, & *Lucas Tozzi* affirmat usu medicamentorum mercurialium nonnumquam curatum quemdam vidisse, diu renis ulcere conflictatum.

INFLAMMATIO ET EXULCERATIO Vesicæ.

Ettmulleri sententia.

Art. 1591. In inflammatione & exulceratione vesicæ pathemata sunt: tensio, durities, ardor, tumor, ac dolor in regione pubis, febris plus minus acuta; ægri ut plurimum moriuntur quarto vel septimo die, vel sequitur *ulcus* curatu difficillimum; interne quoad curam cum aliis inflammationibus convenit; externe danda est opera ut inflammatio *discutiatur*, aliter expectanda est *exulceratio*. *Inflammatio & exulceratio vesicæ.*

Æginetæ sententia.

Art. 1592. Vesica phlegmone oppressa fervor cum gravitate adest ad pubem, & Ilia, mejendique impotentia cum febricula accedit; quare sanguinis detractione, quam primum occurrendum est, tum clysteriis mollibus, & enematis, quæ ex oleo, & papavere, & adipe anserina constituuntur, opii quoque obulus semis cum myrrha, crocoque, ac oleo sedi immittendus. Mulsa propinanda, abstinendum a valde lotium cientibus, multaque potione: nisi acris, & biliosus humor naturæ modum excedat, tum quippe copiosi potui indulgendum. Sumatur cucumeris, & peponis semen. *Vesicæ inflammationis diagnosis.* *Curatio.*

Art. 1593. Vesica ulcusculis intentata vehe-

Scabiei vesicæ dignosis. mens cruciatus pectinem, imumque ventrem impetit: urina magna cum anxietate redditur, & post mictionem pus in fundo matulæ subsidet, squamulæque in ipsa tetri odoris, aut lamineæ circumferuntur. Furfureæ vero hypostases vesicam scabie laborare significant. Aqua mulsa, vel fœnugræci decoctum una cum melle, aut cucumeris semen cum passo propinetur. Lac
Curatio etiam in potu magnifice sic affectis opitulatur. ℞. *Sem. lin. cucumer. tragacanth. a. denarios* ij. *misce f. pastilli*. Aliud ℞. *Nucl. pineæ nucis num.* xx. *semin. cucumer. sativi cochlearia* xl. *amyli* ℨj. *Juris in quo nardi sem. apii ana denarii* v. *elixa sint heminas* ij. *f. emulsio*. In vesicam vero clysteridio instrumento mulsam aquosissimam infunde, seu lac cum momento mellis, aut cucumeris semine, aut albumen ovi cum pompholyge convenit. Cataplasma etiam e palmulæ dactylis, & uvis passis cum galla, acacia, hypocystide, & alumine superimponitur.

Jonstoni sententia.

Signa inflammationis vesicæ. *Art.* 1594. Vesicæ inflammatio non tam ipsius substantiæ, quæ tenuis, & exanguis est, quam sphincteri cervicis ipsius musculo insidet. Signa ejus sunt: dolor in perinæo cum rubore, & ardore acerbus, urinæ cum summo mejendi conatu suppressio, alvi adstrictio, quia rectum intestinum inflammationis magnitudine coarctatur, pubis atque pectinis ad umbilicum propter urinæ copiam distentio.

Curatio. *Art.* 1595. Curatio difficilis est, qui affectus plerumque circa septimum imprimis diem, accedente febri, & urinæ atque alvi retentione, lethalis evadit. Si tamen sit levior, & inflammatione in pus mutata abscessus introrumpatur,

tur, & per urinam evacuetur, melior spes est. Erysipelate item juxta cutis superficiem oborto, ac urina copiosa emissa, repente interdum solvitur. Instituitur, inquam, curatio ad modum aliarum inflammationum. Repellentia non diu applicanda sunt, quia vesica membranosa est, & facile constringitur, urina supprimitur, & nervi læduntur.

Art. 1596. Scabies vesicæ cognoscitur: ex pruritu in pectine, urinæ gravi odore, furfuraceo sedimento in fundo residente. Oritur ab humoribus acribus, & salsis superficiem illius internam erodentibus. *Scabiei vesicæ diagnosis.*

Art. 1597. Curatur in senibus ægre. Humores sunt partim evacuandi, partim demulcendi per semina quatuor frigida, flor. viol. fragar. vel intus assumpta, vel extus per urethram injecta. *Curatio.*

Farrago sententiarum.

Art. 1598. Vesicæ tunicæ interdum inflammatione tentantur, maxime tamen ejus cervix a sanguine venis effuso; non raro catheter vi in vesicam impulsus hunc morbum contraxit, aut dolor vehemens ab ulcere, & lapide. *Causæ inflammationis vesicæ.*

Art. 1599. Rarus certe sed valde periculosus morbus ubi suppurat; nam nisi rupto abscessu urina exeat, intra septimum diem mors imminet, sæpe convulsione manifesta; sæpe etiam partis gangræna jugulat. *Prognosis.*

Art. 1600. Vena repetito secetur, clyster emolliens, parva tamen copia, injiciatur, ne tumorem comprimat. Purgetur alvus blande cass. cathol. syrup. de cichor. cum rhab. linus fiat pubi, & perinæo ex ol. rosat. cum pauco aceto, vel ex ovi albo cum succo solani, & plantagi- *Remedia externa.*

nis, vitatis iis, quæ valde adstringunt, & refrigerant. Fotus sit emolliens, & relaxans. Cataplasma simile interdum corroborans ex farina fab. orob. lupin. in vino coctis, si metus sit gangrænæ.

Interna. *Art.* 1601. Ab internis remediis abstinendum in vesicæ inflammatione quousque urina profluxerit, sicut pariter a diureticis ne magis urina accumulata laborem faciat. Postquam vero æger minxerit lenientes expressiones locum habebunt ex conditurís violarum, flor. nymphææ, lactucæ, seminibus hordei, melonum, halicacabi; quibus & sanguis hircinus, & sal prunellæ, & saccharum saturni, atque alia ad inflammationem sedandam peculiarius conducentia adjici poterunt. *Lucas Tozzi.*

Remedia alia. *Art.* 1602. Laudantur alias hisce in casibus ubi vesica inflammatur, clysmata ex emollientibus plantis lactis sero incoctis, quibus terebinthina ovor. vitello soluta adjicitur; multum tamen roborabitur illarum virtus, si capita præterea papaveris incoquantur, aut nitrum in decocto solvatur. Interim externe vesicæ regioni potest, pro scopo refrigerandi, & anodyno, lamina plumbea applicari, aut alia unguenta vel linimenta, v. g. ol. viol. cum sacchar. saturni butyracei linimenti in formam redactum ex præscripto *Fabri*, succi nymph. sempervivi, cancr. fluviatil. alumen crudum pulverisatum, cum album. ovor. ol. amygdal. dulc. vel lilior. alb. cum camphora in mortario plumbeo subactum. *Langius.*

Scabiei vesica progno-s. *Art.* 1603. Vesicæ scabies curari debet purgantibus, & postremo siccantibus, ulcusque ad cicatricem perducentibus. Est igitur affectus difficilis, & prope insanabilis, ut nullum adversus ipsum valeat medicamentum. *Trallianus.*

U L-

ULCUS RENUM & VESICÆ.

Art. 1604. In ulcere *vesicæ* adest dolor gravis in pectine & pube, quoties ægri mingunt, urinæ difficultas accidit: sæpius & tenesmus, & membri virilis erectio. Si in pene vitium sit, inter mejendum dolor percipitur, quod in *vesicæ ulceribus* non accidit, nisi juxta ejus collum ulcus consistat. Malum ut plurimum est incurabile. Quomodo distinguantur ulcera renum & vesicæ. „ Inter renum & vesicæ ulcera sic di- „ stinguitur (inquit *Lommius*) *renibus exulcera-* „ *tis* non æque difficulter urina redditur, & „ quod ex his deteritur, rubet, seu tenues tra- „ huntur carunculæ, seu filamenta capillis simi- „ lia; minor etiam incidit dolor, sæpiusque cruor „ urinæ permistus. At vero *exulcerata vesica*, „ major est urinæ tum cupiditas tum difficultas; „ quicquid decedit, album est; dolores magis „ urgent, minus sanguinis excernitur; si mea- „ tus urinarius sive *urethra exulceretur*, urina „ subcrassa est, particeps modici cruoris, vel „ certe puris. *Ulcera renum* promptius quam „ *vesicæ* sanescunt. *Ulceris vesicæ signa.*

Art. 1605. Eædem sunt indicationes curativæ ac in ulcere Renum; *trochisci Gordonii* specifice laudantur; *thermæ*. Pro injectione convenit *aq. calcis cum trochisc. alb. rhasis* (*facchar. Saturni.*) *Curatio.*

Tralliani sententia.

Art. 1606. Renum vel vesicæ inflammationem, quæ in pus convertetur, prius hinc internosces, quod nulla occasione oborta febres aut perfrictiones quædam citra rationem, & inordinate superveniant. Nam dum pus generatur, dolo- *Renum & vesicæ abscessus dianosis.*

dolores febresque magis eveniunt, quam cum generatum est, deinde in renum abscessu æger, cum in sanam partem inclinat, ex affecta gravitatem magnam magis sentire se dicit, ac antequam inflammatio in abscessum pervenisset. Dolor qui antecessit, & gravitatis sensus exquisitam internotionem, & indubitatam demonstrationem præstat, a quibusnam locis: a renibus ne, an a vesica pus excretum proficiscatur. Præterea si pus a superioribus partibus effertur, omnino cum urina ipsa accurate permixtum invenitur, sin autem ab inferioribus sedimentum in fundo matulæ potius facit. Item si a vesica proveniat particulas laminis similes in urina ferri reperies, sin a renibus carnosas.

Curatio. *Art.* 1607. Qui pus excernunt lenibus & abstergentibus curandi sunt, ex quorum numero est etiam mulsa aquosa, & cremor ptisanæ cum modico melle. Item adianthum, & semen cucumeris cum chrysattico. Lac asininum, præsertim in vesicæ ulcere; nec non bolus Armenius potu proficiunt. Insuper equisetum, & gramen, & uvæ passæ, & amygdala, & nuces pineæ juvant. Pro potu idoneus est cremor ptisanæ, & avenæ, passum, aut hydromelum, aut cnidum, aut Sareptinum.

Farrago sententiarum.

Signa puris in urina. *Art.* 1608. Signa paucis tradidit *Augenius*, quibus discerni possit, quando pus cum urina miscetur monendo: semen innatare urinæ, pituitam subsidere, & purulentam materiam ita permisceri lotio, ut aut numquam, aut saltem longe post fundum petat. Sed animadvertit *Christianus Langius*, hujusmodi indicia fallacia quidem esse; nam sedimentum quandoque pituitosum per-

tem-

temporis aliquod spatium fluctuare in urina, & purulentam materiam aliquando statim fundum petere observatur. Certiora itaque erunt signa puris, primo ex odore conjuncto fœtido; secundo ex colore ad viriditatem inclinante, vel cruore tincto; tertio ex consistentia sedimenti in semine fibroso quasi, in pituita admodum tenaci, in pure vero prorsus non cohærente, aut ex fœtore super carbonem candentem effuso.

Riverii sententia.

Art. 1609. Ulcus Renum vel Vesicæ a tribus excitatur causis; abscessu rupto post inflammationem, humorum acrimonia, (qualis est ea, quæ mictum cruentum efficit), aut a calculo aspero dictas partes erodente; postrema hæc frequentior est, ac fere ordinaria. Mictio purulenta est signum diagnosticon. In ulcere vesicæ, aut illius cervicis perpetua adest dysuria & continuus dolor partem istam infestans, in ulcere renum non ita; raro curantur in junioribus, in senibus numquam. *Causæ & signa, &c.*

Purgantia debent esse *leniora*, ut *cassia*, *rhabarbarum*, &c. *mercurius* eximiam habet vim omnia ulcera interna & externa *mundificandi & consolidandi*, ut etiam *terebinthina* cum pulv. *liquiritiæ* exhibit. ad ℥ß. Post debitas *evacuationes* & *revulsiones* ad *detergentia* progrediendum est; inter illa *serum lactis*, *hydromel tenue*, *lac asininum*, &c. post horum usum, ubi ulcus satis mundificatum fuerit (quod cognoscitur quando pus minore quantitate excernitur, idque album, æquale, ac minime fœtidum) *glutinantia & consolidantia* exhibenda sunt, inter quæ *trochisci Gordonii* instar omnium habentur, qui dolorem leniunt, *Curatio.*

niunt & ardorem urinæ contemperant; dos. ℥ij. vel iij. in hydromellite, vel dec. hord. præ cæteris *lac vaccinum* cum *boll. armen.* ℥ß. haustum singulis matutinis testatur *Forestus* maxime conferre ad ulcus expurgandum & consolidandum; *la ctepens* recens mulctum, frequenter injectum, præstantissimum est *anodynum*, in quo si *trochisci Gordonii* dissolvantur omnes scopi tum doloris sedandi, tum ulceris curandi adimpleri possunt.

Farrago sententiarum.

Prognosis. *Art.* 1610. Renum affectiones (inquit *Hippocrates*) non vidi sanatas supra quinquagesimum annum. Si quis sanguinem & pus mingat, & squamas, & odor gravis sit, vesicæ exulcerationem significat. *Hippocr. aphorism.*

Remediũ singulare. *Rhabarbarum* in parva dosi & diu exhibitum est remedium singulare ad ulcera renum & vesicæ curanda. *Hamilton.*

Pereira brava. *Art.* 1611. Nescio an virtutes *Pereiræ Bravæ i. e. radicis vitis sylvestris Brasiliensium* satis tentatæ fuerunt, necne; de qua M. *Geoffrey* hæc habet; exhibui felici cum successu hanc radicem *Ulceribus Renum & Vesicæ laborantibus*, quorum urinæ tanto pure refertæ erant, ut mejendi impedimento fuerit; ex usu hujus remedii statim urinam libere reddebant pure propemodum immunem, & progressu temporis adhibito paulo balsam. Copaib. ad ulcera detergenda, ab his deploratissimis affectibus omnino sani evaserunt. In dolore etiam *colico & nephritico* mira præstat. Dosis in substantia a gr. xij. ad xviij. in decoct. ad ℈ij. Hist. de l'Acad. Vol. xiv. p. 75. De virtutibus etiam hujus radicis vid. *Transact. Philos.* N. 365. Ex propria experientia D. *Cheyne* in tractatu suo de Arthritide p. 50. testatur *Æthio-*

pem

m mineralem larga dosi bis in die sumptum, diuque continuatum *remedium esse certum* ad ulcus Vesicæ curandum. *Æthiops mineral.*

Art. 1612. Ulcus *Vesicæ*, quod a calculo fit, non curatur, nisi prius extrahatur calculus. Ulcera *Vesicæ* sunt fere semper incurabilia; Ulcera *Renum* non sunt adeo periculosa. *Prognosis.*

Art. 1613. Remedia sequentia quandoque suo loco utilia; *aqua calcis*, *decoctum balsamicum*, *decoct. incrassans*, *enema terebinth. mistura balsamica nephritica*; *tinctura antiphthisica*, *tinctura cantharidum*. *Remedia varia.*

CALCULUS RENUM & VESICÆ.

Art. 1614. „ Calculus definiri potest corpus „ durum ex materia lenta terrestri, vel insita „ lapidescente concretione generatum; loci, „ quo detinetur, dolorem, obstructionem, aliaque „ symptomata ut plurimum pariens. *Calculi definitio.*

Meadii sententia.

Art. 1615. Observasse olim me memini (*de Imper. Sol. & Lun. pag.* 55.) in cadaveris sectione pueri quinquenni, quem ad mortem cruciaverant graves nephritidis dolores; varios gradus, quibus calculus in lapideam duritiem concreverat. Oppleti erant cum renes, tum ureteres materia calculosa, quam cernere erat, varias hic illic concretionis formas induisse. Primum mali fundamentum erat aquosus, & limpidus humor, qui paulatim lactescens in tenues, & ramosas crystallos abiit, quibus in unum coeuntibus, accessit tandem lapidis forma, & durities. *Calculi genesis observatio.*

Art. 1616. Tartarum quoddam hostili coagulatio-

Calculorum substantiæ qualis. latione in renibus genitum calculi esse materiam, non sine ratione, ut opinor, dixit in experimentis chemicis versatissimus *Helmontius*. Quam quidem opinionem confirmare videtur analysis ejus facta per ignem, cum tartari ex vino rhenano resolutione comparata. Hujus rei experimentum fecit vir igeniosissimus *Stephanus Hales*. Et in tartaro quidem rhenano comperiit, tertiam totius massæ portionem esse aerem elasticum, calculum vero parte plus quam dimidia, ex aere hujusmodi constare; quam aeris proportionem in nullis aliis corporibus potuit deprehendere.

Conclusio. *Art.* 1617. Annon igitur conjicere licet causam hujus morbi proximam esse sales tartareos ex sanguine in canaliculos renales delatos? Salium enim istorum ea est natura, ut subtilissimæ illius materiæ, quam præter alias dotes cohæsionis corporum causam esse monstravit illustris *Nevvtonus* magnam quantitatem inclusam teneant. Est igitur calculus materia ex terra, maximamque partem ex aere, in renum tubulis concreta, quæ aut in iis hæret, aut in vesicam delabitur. Hæc ideo paulo latius exposui, ut, quibus modis medicinam hic facere oporteat, ostenderem.

Indicationes hinc erutæ. *Art.* 1618. Et primum quidem, ut venienti morbo occurratur, ne in crystallos abeant sales isti, lixivialia dicta salia optime prohibitura videntur. Crystallorum autem in calculum concretioni oleosa corpora maxime obstabunt. Et hoc sane præceptum tam in victu, quam in medicamentis, locum semper habere debet.

Green-

Greenfieldi sententia.

Art. 1619. Signa præcipua diagnostica *Calculi Renum* sunt, quæ sequuntur. 1. in regione lumborum dolor fixus, continuus, gravativus, instar ponderis in renis substantia cum sensu obtuso; lapillo vero e pelvi in ureterem exeunte incipit dolor dilacerans, & omnium acerbissimus. 2. inflexibilitas spinæ dorsalis extensione & compressione nervorum. 3. lumborum ardor. 4. stupor cruris ejusdem lateris ex pathemate nervorum. 5. retractio testiculi ex eadem causa. 6. urina vel cruenta, vel tenuis & limpida, & pauca quantitate; at vero post calculi in vesicam delapsum urina statim redditur admodum crassa, turbida, subnigra, & copiosa. *Calculi renum signa diagnostica.*

Art. 1620. Ut accurate distinguatur hic morbus a *colica* (vid. *Art.* 1451.) *Differentia a colica.*

Art. 1621. Signa diagnostica Calculi in *Vesica* sunt sensus gravitatis in perinæo & regione inguinali, perpetuum mejendi desiderium insequente dolore atroci, præcipue in penis summitate cum egerendi conatu molestissimo & frequentissimo, unde prolapsus ani: „ Pruritus „ molestissimus ad caput penis, ejusdem frequens „ ac involuntaria erectio, urina post motum ve„ hementiorem cruenta, nullum levamen ex „ remediis ad stranguriam adhibitis, &c. sunt „ etiam signa Calculi in Vesica; „ sed signum omnium maxime indubitatum est, quod certissime tactu deprehendatur a digito in anum indito, vel cathetere, de quibus consulatur auctor. *Calculi vesicæ signa diagnostica.*

Art. 1622. Interdum in *Vesica* inveniuntur *excrescentiæ carnosæ, schirrosæ*, vel *fungosæ* calculi symptomata adamussim mentientes, exempla duo aut tria adducuntur. „ Ejusmodi scirrhum bis *Excrescentiæ carnosæ Calculũ mentientes.*

„ bis in cadaveribus vidimus, inquit *Baglivus*.
„ Ex testimonio *Lithotomorum* constat Calculum
„ in Vesica semper esse *liberum*, parietibus ejus-
„ dem nunquam adhærentem, neque membra-
„ na unquam involutum, prout a quibusdam
„ falso perhibetur. *Vid. Lithot. Douglas.* p.6. Ut-
„ cunque tamen verissimum est Calculum quan-
„ doque inter descendendum a renibus, inter
„ tunicas ipsius Vesicæ in transitu hærere, ibi-
„ que hospitari, & in molem grandiorem ac-
„ crescere, capsaque inter ipsas tunicas forma-
„ ta, tandem aliquando ulcus deploratissimum
„ ibidem creare. „ *Vid. Hist. de l'Acad. des Sci. Vol.* vj. *p.* 20. & *Memoir. p.* 34.

Calculus grandis in rene. *Art.* 1623. Calculus grandior in Rene una cum ejusdem ulcere est casus desperatus; aliquando vero natura, dictu mirabile, ultra spem omnem abscessum efficiens per ipsos spinales musculos viam patefecit ad Calculum ejiciendum, & tandem Ulcus consolidatum fuit. „ Atque
„ hinc quasi charta provocatoria, natura mon-
„ strante viam, ad aliquid tentandum ars no-
„ stra lacessitur. Audax omnia perpetit gens hu-
„ mana. Operationem *Lithotomiæ* Vesicalis omni
„ ævo chirurgi exercitarunt; sed *de Lithotomia*
„ *Renali*, quod scio, nusquam omnino audivi-
„ mus ante *celebrem Dominicum Marchetti Pa-*
„ *tavinum*, qui e rene *Consulis Hobson* calcu-
„ lum sectione eduxit, ægrumque ad integram
„ senitatem restituit. *Transact. Philos.* N°. 223.
„ Unam adhuc aliam *nephrotomiæ* instantiam
„ pari successu ex historia Gallicana affert D.
„ *Freind.* Hist. med. Volum. 2. pag. 185. Sed, ut
„ cum sagaci D. *Rutty* loquamur (in eleganti suo
„ tractatu de *ductibus urinariis*) ex consideratio-
„ ne partium secandarum est saltem pura pu-
ta *possibilitas*, ut hæc operatio feliciter succe-

„ dat,

" dat, *probabilitas* vero vix aut ne vix qui-
" dem.

Art. 1624. " Quod ad *lithiasin* attinet, *Ga-* *Nullum lithrontripticū.*
" *lenus* scribit nullum remedium suo tempore
" fuisse inventum præsidii Calculum Vesicæ fran-
" gentis, sed sola chirurgia seu incisione curari
" posse. Idem alii recentiores, & præstantissimi
" medici libere fatentur. De *lithotomiæ* opera-
" tiones, item de extractione Calculorum in
" sexu sequiori videatur auctor, qui egregie
" scripsit; item consulantur *Celsus*, *Hildanus*,
" *Douglass*, *Cheselden*, *&c.*

Art. 1625. Sunt tamen remedia nonnulla plu- *Plura tamen vulgo creaita.*
rimum decantata, *lithontriptica* appellata (quamvis in rerum natura talia non dari admodum probabile sit) inter quæ nuper aliquando celebriora fuerunt *elixir Daffæanum*, nunc satis vulgatum, *pulvis Rogeri*, nihil aliud, quam *testæ mytulorum calcinatæ*, *liquor* Tipping, (apud authorem, *p.* 134. descriptus;) cum his & aliis quam plurimis ejusdem commatis; *si mundus vult decipi decipiatur:* interim nulla est de specificis *lithontripticis* hactenus vera fides.

Art. 1626. Homo sexaginta annos natus solo *Curatio.*
usu *ol. amygdal. dulc.* cum gr. aliquot *balsam. Peruv.* intra dies decem 65. calculos excrevit; mihi in frequenti usu est *enema emolliens* seq. ℞. *Rad. alth.* ℥j. *herb. malv. parietar. mercurial. ana* Mj. *sem. lin.* ℥ß. *coq. in q. s. aq. font. ad* ℥xij. *colatur. add. tereb. vitel. ov. solut.* ℥ß. *ol. lin.* ℥ij. *elect. lenitiv.* ℥j. *m. f. enema*, & fotus sequens.

℞. *Rad. alth.* ℥iv. *malv. parietar. chærefol. flor. cham. melilot. ana* Miv. *sem. lin.* ℥j. *malv. petroselin. ana* ʒiij. *coq. in q. s. aq. font. ad* ℔iij. *pro fotu.* Quando diuretica indicantur, pulvis sequens diureticus cum apozemate subsequente vel cum

sero

sero lactis vel vin. alb. vel Rhenan. exhibitus multum valet;

℞. *Sal. prunel.* ℥ß. *cochinel. ocul. cancror. test. ovor. calcinat. sal. sambucin. vel sal. stipit. fabar. ana* ℈j. *croc. opt. gr.* xv. *ol. junip. gr.* vj. *m. f. pulv. pro chart.* iij.

℞. *Rad. ononid. fœnic. petroselin. liquirit. ana* ℥ß. *sem. alth. malv. cicer. rub. ana* ʒiß. *sem.* 4. *frigid. maj.* ʒj. *ficuum ping.* N. v. *sebesten.* N. iij. *hord. mund.* ℥j. *gran. alkekeng.* N. vij. *coq. in aq. pluvial. q. s. ad* ℔ij. Ex observatione liquet *diuretica* multo melius operari cum illis, qui seipsos aeri frigido exponunt & leviter se exercent.

Lithontriptica alia decantata. *Art.* 1627. Inter *lithontriptica* dicta *virga aurea* multum laudatur a *Matthiolo*, *Dodonæo*, &c. item *tinctura pil. Matth. pulv. milleped. lignum nephriticum*, *sanguis hirci*, *sp. nitri*, &c. Hæc sunt remedia in suo genere valde proficua, sed si quis existimet illa revera esse *calculum frangentia*, sciat illa esse mere nugamenta, & res nullius pretii. „ Desperandum non est (inquit *Boerhaave*) de inveniendo *aliquo menstruo* contra calculum vesicæ, quod tamen tam blandum & molle sit, ut non lædat, vesicam, & solvat tamen calculum in vesica. Habui menstruum, quod solvebat omnia saxa durissima in manu, manu interim illæsa; conficitur autem hoc *ex pane Secalino*. Sic illud menstruum quod distillatur *ex ovo* nullum in oculo dolorem facit, & tamen dissolvit myrrham, quæ per magnum & validum ignem dissolvi nequit; ideo procul dubio tale quid per industriam humanam inveniri potest contra calculum.

Listeri sententia.

Art. 1628. Calculi inveniuntur sub lingua (2427.) in palpebris, (2027.) in ductibus pituitariis, in cerebro, in hepate, in pulmone, in Vesiculis seminalibus, in utero, in ventriculo in intestinis, in articulis tum manuum tum pedum, at multo frequentius in Renibus & Vesica. Calculus est quid vere lapideum a sale lapideque Calcario, & interdum a fero, metallo, humoribusque quibuslibet corporis concretum, calculi materiam ab esculentis & potulentis, quæ hujusmodi salibus, lapideisque particulis abundant, provenire constat: si corpus bene se habeat, foras ejiciuntur, neque in Renibus aut Vesica retinentur; si Renes imbecilli fuerint & Vesica labefactata, in lapidem coire apta sunt. Profecto robur inæquale partium est Calculorum præcipua ratio; ita Renum alter Calculos parit, altero sano. Nisi vitientur tonus & vigor Renis expulsivus, Calculi vix nascuntur, nec supra modum arenularum concrescit materia lapidea. *Calculi in omnibus fere corporis partibus.* *Causa.*

Art. 1629. Calculus *hæreditarius* est incurabilis; facilius est enim uterum a pariendo prohibere, quam Calculosos Renes Calculis vacare. *Trochisci alkekengi* somnum conciliant & Calculum pellunt. Dos. ʒj. „ Fœminæ rarius quam „ masculi Vesicæ Calculo laborant propter *viæ* „ *patentiam ac brevitatem*. Calculi Vesicæ dolo„ res licet intolerabiles, in longum tamen tra„ hunt, per multos scilicet annos: fractis de„ mum viribus, & vesica magnitudine & asperi„ tate lapidis attrita, mors sequitur, ni urinæ „ facta suppressione maturius tollantur ægro„ tantes. *Curatio difficilis.*

Ettmulleri sententia.

Calculorum diversitas. *Art.* 1630. Calculus in se non est morbus; sed productum morbosum; morbus proprie dicitur *lithiasis*, quæ est dispositio Renum vel Vesicæ ad Calculum generandum. Triplex ut plurimum est diversitas Calculorum, alborum, rubrorum, vel flavorum, qui ultimi sunt frequentiores. Calculi insigniores interdum in Renibus latent quieti sine ullo præternaturali symptomate; cum vero in motu sint, varia & gravia symptomata producunt, & paroxysmum *nephriticum* faciunt.

Morbi historia. *Art.* 1631. In principio ejus motus oritur dolor modo intensior, modo remissior in regione lumbari, minus tamen pungens, dolor est gravativus & obtusus; ubi vero Calculus movetur ex pelvi in ureteres, tunc dolor lancinans, pungens, & tensivus excitatur, nec ante cessat, quam Calculus ad *Vesicam* descenderit, aut in *Renem* remeaverit. Paroxysmo ingruente urinæ sunt paucæ, aquosæ, acres tamen & stimulantes. In paroxysmo ægri non possunt se erigere, nec corpus incurvare; stupor adest cruris frequenter in primo paroxysmo, sed non ita in assuetis & hoc morbo fractis; testiculus etiam aliquando alter sursum doloroso spasmo retrahitur, interdum adest tenesmus, & præterea nausea & vomitus, & non raro difficilis respiratio, quasi cingulo constringuntur costæ inferiores, item tormina, colica acerbissima spasmodica ex consensu nervorum. Omnia hæc symptomata in omnibus promiscue haud reperiuntur.

Curatio. *Art.* 1632. Quoad curam *diuretica* imprimis fortiora in principio fugiantur, dum urgent dolores & spasmi, quoniam malum exasperant,

mi-

mitiora sunt exhibenda cum *opiatis*, ut & *alvum laxantia*, & *emulsiones*; *clysteres emollientes*; aut cum *terebinthina*, minori quantitate injiciendi, & diu retinendi; *balnea* usurpari possunt & *inunctiones emollientes* ex *ol. cham. scorpion. junip. petrol. camphor. sem. hyoscyam. opio*, *unguent. dialth. nervin.* &c. Decoctum *florum cham.* singulariter excellit in paroxysmo *nephritico*; item *sal. volat. succin. persicaria* & *semen dauci lithontriptica* audiunt, item *millepedes*, & *fimus columbinus* bene præparatus, & quod præstat *sal ejus volatile*.

Art. 1633. Inest plerumque *nucleus lapideus* in Calculo Vesicæ; qui in initio ex Renibus descendit, & exinde augmentum lamellatim acquirens. Sentiunt inprimis ægri obstaculum, quod se opponit meatui urinario inter mejendum ita ut interdum urina in medio sui cursus supprimatur, unde assiduum mejendi desiderium, summa difficultas, & urinæ stillicidium, anus quoque in consensum trahitur, & tenesmo affligitur, quod est unum ex potissimis signis; obtusus est dolor in Vesicæ collo, &, si grandior sit Calculus, pondus in perinæo, dolor & pruritus in glande penis, & frequens erectio. Calculus aliquando *Vesicæ adnascitur*, & tanquam in *capsula* continetur, quo in casu difficillimus est cognitu. In malo diuturno materia mucilaginosa, necnon lutosa ac argillosa cum urina excernitur, quæ tanquam productum morbi agnoscenda est ex nutrimento læsæ Vesicæ. *Calculi vesicæ historia & signa.*

Art. 1364. Cura eadem fere est, ac *calculi renum*, prodest *aq.* vel *decoctum persicariæ*, *betulæ*, *dauci*, &c. *urina hirci* & *tauri*, *millepedes in vino Rhenan.* longo usu mirabilia præstant; pro usu externo *petroleum*, *ol. scorpion.* &c. ut & enema sequens, ℞. *Ol. lin. amygd. dulc. ana* ℥iv. *scorpion.* ℥j. *tereb.* ℥. *m. f. enema.* (Si calculus sit præ- *Curationis difficultas.*

grandior curam non recipit nisi ex sectione :)

Baglivi sententia.

Signum pathognomonicum. *Art.* 1635. In calculo *vesicæ* adest dolor in glande penis, pruritus, & irritatio continua, quod inter pathognomonica; ac certissima calculi vesicæ signa est. „ Sectione defunctorum „ plane constat calculos interdum per longum „ tempus silere sine insigni dolore; immo quandoque per annos aliquot non est dubitandum. „ Heurnius refert se reperiisse in uno rene defuncti calculos 80. & in altero 70. nihilominus „ homo dum vixit *dolores nephriticos neutiquam* „ *sentiebat*. Antonius Pozzis de calculis occultis in renibus, ait, se invenisse in hominis alterutro rene calculum non minus quam sex „ uncias pendentem *sine ullo tamen calculoso affectu*. Et in quotidiana praxi observamus calculos ingenti mole excerni diutius in renibus „ prius commoratos, quam ad istud incrementum assurgere potuissent; excretos tamen *nullo praeunte dolore, excepto in exclusionis paroxysmo*, vidimus.

Calculi in rene interdū diu sunt sine dolore.

Cura rationalis. *Art.* 1636. Existente calculo in renibus, motu, quem facit descendendo per ureteres, irritatis, crispatisque vicinarum partium fibris, fœcum & urinæ secretiones sistuntur: tota igitur curatio dirigenda est ac impendenda in tollenda morbosa irritatione & crispatura renum per *balnea*, *oleosa*, *anodyna*, & *laxantia remedia*; nam ea ablata impeditæ tolluntur liquidorum secretiones. Quin imo sæpe observavimus, quod si calculus post x. vel xv. dies non descenderit ad vesicam, imprudenti *diureticorum* usu & nimia remediorum præscriptione, ut vulgo faciunt me-

medici, aucta in dolente renum loco majori oscillatione, magis magisque figitur ibidem calculus, & multo difficilius educitur, quo in casu, crede mihi, lector, unicum remedium est *abstinere a remediis*, nam sola quiete calculus tandem prosiliet.

Deckersii sententia.

Art. 1637. Nitrum pulverisatum & calculo affusum ignique moderato impositum ipsum consumit, primo quidem in viscidam mutat materiam, dein aquosam; ast proh dolor! ab externis ad interna non valet consequentia; saltem expectationi non satisfacit *verus nitri spiritus*. In omnimoda urinæ suppressione *testæ ovorum calcinatæ* ad ℈ij. vel ʒj. assumptæ omnia reliqua medicamenta præcedunt. *Cochinel* in *vino Rhenano* ad ℈j. assumpt. est mite & suave medicamentum, etiam magnæ efficaciæ. Omnibus commendamus *spir. sal. armoniaci* tanquam specificum *cum vino Rhenan. spirituve diuretico* ad præservationem, ut & curationem ipsam. „ Curationis „ scopus primarius est *dolorem lenire*, alter *vias* „ *reddere patulas* tum urinæ tum fœcum. Optabilius est, ut *natura* expellat calculum, quam „ *medicus*.

Nitrum neque spiritus illius calculũ frangit. Alia remedia.

Nota bene.

Farrago sententiarum.

Art. 1638. Arenas multi mingunt, & tamen non sunt calculosi; quoniam illæ non coguntur in lapidem, nisi viscido aliquo & crudo humore superveniente, ad quod itidem tempore opus est. *Hollerius*. Symptoma illud scorbuticum mendaci specie calculum præ se ferens (de quo *Dravisius*) non solum scorbuticis, sed hy-

Arenulæ sine calculo.

pochondriacis familiare est. Tartarus sub specie sabuli rutilantis ut plurimum in urinæ subsidentia se prodit, quandoque in atomis adeo subtiliter divisis, ut visum fere effugiat, lateribus vero matulæ firmiter adhærere solet; tormina *nephriticis* æmula concitat, & his comes se adjungit stranguria fere continua. Parum levaminis a calidioribus diureticis expectandum est; malum enim exasperant. *Spiritus salis communis* strenuum hic se præstat averruncum, ut & *spiritus lumbricorum terrestrium*, *essentia item nephritica e ligno nephritico cum spiritu salis extracta*.

Observatio D. Cypriani. *Art.* 1639. D. *Cyprianus* lithotomus celeberrimus inter 1400. quibus operationem celebravit, *oinopotas* quam plures, sed ne unum quidem *zythopotam* calculosum invenit. *Cerevisiam blandam ac mitem*, & quo recentiorem eo meliorem, omnibus calculosis in potum ordinarium commendavit. *Cathervvood.*

Virtus ol. lini, &c. *Art.* 1640. Oleum *seminum lini* intus sumptum per aliquot septimanas calculos fere indolenter ejicit. *Hamilton.* (Multum etiam laudatur infusum *seminum lini* more Thæe diutius epotum.) *Oleum sem. sinap. per expressionem* (inquit *Boerhaave*) *ut maximum remedium commendatur in nephritide, & calculo vesicæ & renum.*

Aqua persicaria. *Art.* 1641. Aq. *persicaria* valde commendatur a D. *Boyle*. Julap. sequente quandoque in praxi usus sum; ℞. *Aq. persicar. vin. Rhenan. ana* ℥vj. *sp. carmin. sylv.* ℥ij. *test. ovor. præparat.* ʒij. *syr. de alth.* ℥iß. *m. f.* fotus sive balneum tepidum, emolliens & laxans ad calculum ureteribus hærentem movendum & expediendum maximum adjumentum præstat; usum ejus pro calculo ipse *Hippocrates* comprobavit lib. de affect. intern. sect. 15. Experientia enim evincitur a blando ac leni

medi-

medicamento in *semicupio* sedenti exhibito plus auxilii provenire quam ex mille lithontripticis vana ostentatione propinatis. Vires superemipentes *Aquarum Bristoliensium* circa medium superioris seculi innotuisse ex memorabilibus D. *Maplet* M. D. litreris *Decano Vvellensi* anno 1665. datis satis liquet. „ Ad *Rupem Vincentianam* tibi confugiendum esse arbitror, e qua prosiliunt aquæ renibus & vesicæ calculosis sive „ exulceratis succurrere, nec non sanguinis massam contemperare, & ab illa segregandam urinam lenire & edulcorare aptæ natæ. „ *Aq. flor. spin. alb.* in frequenti usu fuit apud D. *Radcliff*, unde forsan aqua nephritica Pharm. Londinens. Vires hujusce remedii a multitudine insectorum verno tempore istos flores incolentium oriri videntur. *Aquæ bristolienses.*

Art. 1642. Ad prophylaxin hujus affectus magna habenda est ratio ventriculi; quoniam ex illius cruditatibus materia generandis calculis suppeditatur; ideoque post debitas evacuationes remediis appropriatis roborandus est ventriculus; & frequenter potandæ sunt *aquæ minerales acidulæ ac sulphureæ*; potus ordinarius sit vinum tenue cum decocto *rad. eringii marini*, quod commendatur a *Cratone*. *Prophylaxis.*

Art. 1643. Præter jam dicta, sunt & alia nonnulla remedia, quæ pro symptomatum horum affectuum diversitate saltem opem aliqualem ægris afferre possunt. *Aqua omnium florum, cerevisia de dauco, decoctum nephriticum, emulsio cum infus. vel decoct. fol. theæ facta, enema e quatuor oleis, enema terebinth. mistura balsamica nephritica, nitrum saturnizatum, pil. Matth. pil. testac. sp. juniperi, sp. nitri dulcis, semicupium Hildani*, &c. *Remedia varia.*

Art. 1644. Fridericus Hoffmannus asserit ab

Specificū quoddam. arenulis exercitos plurimum levari si tria, vel quatuor allii capita cum vini spiritu semel in hebdomada assumant, ea nempe die, quæ Lunæ quadraturam, vel Syzygiam præcedit.

Aliud. *Art.* 1645. Remedium publici Juris fecit, *D. de la Moignon de Basville* Ocitaniæ Præfectus quo a gravi colica nephritica se liberatum fatetur. Remedium hoc ejus jussu Monspellii typis evulgatum hujusmodi est.

Die octava Lunæ, quolibet mense albi vini cyathus propinandus est, in quo drachma infusa sit prioris corticis radicis *Acanthii* seu *Cardui* viarum versus finem mensis Septembris collecti. Hic cortex membranulam exilissimam refert extus fuscam, intus albam, quæ ad umbram exsiccata in subtilissimum pollinem redigitur. Ea die qua hoc remedium sumitur versus vesperas. ℞. *Pariet. man.* j. *lign. sassafr.* ʒj. *anis.* ʒj. *cinnamom. opt.* ℈j. *aq. commun. unc.* x. *coq. per horæ quadrantem, tota nocte permittatur infusio; mane sequenti iterum ad hor. quasd. ebull. dein colet. & exprimat. additis sacchar. candi unc.* ij. Colaturam hanc ita edulcoratam calidius quo fieri potest æger hauriat, nec per trihorium quidquam aliud assumat, quod observabit etiam, ubi prius remedium ingesserit. Sub horum usum necessarium minime est, quod peculiare aliquod regimen prosequatur.

Præstantius alterum. *Art.* 1646. Verumtamen cum in re tanti momenti nihil dissimulare, nihilque celare oporteat; utilitatis publicæ causa, quædam a doctissimo Roberto VVhytt Medico Edimburgensi experimentis comperta memorare juvat. Ille enim, cum incommodis, tum interdum etiam noxiis celebris antidoti (*Joannæ Stephens* infra descriptum) perpensis, omisso sapone, vires quas habet aqua calcis non calce viva, sed rite calci-

natis

natis ostreorum aliarumque concharum testis parata, ita ut libræ septem, vel octo aquæ testarum calcinatarum libræ uni affunderentur experiri voluit. Res ipsi ex voto cecidit; & multo quidem potentius calculum solvere hunc liquorem, quam vulgarem aquam calcis, fragmentorum immersionibus in utraque factis, facile didiscit. Modum deinde illam exhibendi ostendit; quatuorque libras adultos, pueros pro ratione ætatis minus, quotidie bibere jubet. Non uno autem exemplo felicem medicinæ hujus effectum comprobavit. Opere pretium erit ipsam ejus dissertationem perlegere. Ego interim eo libentius hæc adduxi, quod nuper, ut ex ipsius ore accepi, medicus quidam Londinensis, mihi amicissimus hac ipsa medendi via mercatorem graviter laborantem morbo eripuit; plurima enim frustula, nunc crustularum, nunc exiguorum nucleorum instar, simul cum urina foras ejiciebantur. Minime autem sperandum sicut antea dixi, ut lapides ad silicem fere duritie accedentes quovis medicamento comminuantur. *Meadius.*

Celebre Remedium Johannæ Stephens Virginis Anglicanæ contra arenulas & calculum.

Art. 1647. Hoc quidem remedium ingenti rumore a tota Europa primum acceptum est, cum ratum haberetur, jussu supremi congressus Angliæ, vulgo parlamento, pretio quinque millium librarum ejus Regni, quæ *sterlings* dicuntur, ab eadem Virgine redemptum ad reipublicæ commodum evulgatum fuisse Londini die 27. Junii anni 1739. *Remedium celebre.*

Art. 1648. Hoc item remedium ex triplici par-

parte constat, ex pulvere nempe, decoctione quadam, & pillulis. Pulvis ex cochlearum testibus, ovorumque putaminibus calcinatis componitur; decoctio fit, nonnullas herbas in aqua communi coquendo, addito saponis globulo ex *Nastrutio sylvestri capsulis cristatis* ad nigritiem combusto, & mele compositi; pilulæ demum componuntur ex cochleis calcinatis, *Dauci vulgaris* semine *Bardanæ* semine, *Fraxini* fructibus, *Rosa sylvestri inodora seu canina* (*Parit. Theatr. Hips.*) *Mespili apii folio sylvestris spinosæ seu oxyacanthæ* (C. B. P. Havves) fructibus seu baccis; quæ omnia ad nigredinem comburuntur additis sapone, & mele.

Art. 1649. *Pulveris præparatio.* Recip. putaminum ovorum mundat; & probe exsiccator, q. v. quæ manibus contrita indantur in crucibulum duodecimæ magnitudinis, h. e. quod volumen trium aquæ librarum contineat. Igni imposito hoc crucibulo latere obtecto, & carbonibus susque deque onerato, putamina contenta tamdiu calcinentur donec colorem subfuscum, saporemque salso-acrem induant. Hujusmodi operatio tempus octo horarum saltem exigit. Finita operatione calcinata putamina in vase figulino mundoque locantur, ut vas ad tres quartas partes repleant, unde humectata sat spatii se se dilatandi nanciscantur; tum in loco sicco reponitur vas, ibique apertum per duos menses nec diutius relinquitur. Hoc enim temporis intervallo putamina amabiliorem saporem acquirunt, atque aptiora evadunt, ut pulverata per tenuissimum setaceum cribrando trajicere possint.

Similiter cochleæ hortenses cum suis testis probe purgatæ in crucibulum ejusdem capacitatis inditæ, ad ignem, ut in præcedenti operatione comburuntur, quousque effumare desinant vide-

videlicet integræ horæ spatio, nec quidquam diutius. Tum iisdem eductis in mortario conterantur, donec in subtilissimum pulverem facescant, qui valde obscurum colorem reddere debet.

Si mineralis carbo adhibetur, necesse est, ut ignis cito superiores crucibuli partes occupet, lateribus crucibulum obtegentibus majores carbonis frustulos jam antea inflammatos imponere non autem recentes, & nondum ignem passos.

Diligenter hisce præparatis pulveribus simul miscendæ sunt, de pulvere putaminum partes vj. & pulv. cochlear. par. j., easdem in mortario diu agitando, tum per tenue setaceum trajiciendo, atque pulvis in vitreis phyalis conclusus in loco sicco pro usu asservatur. Additum vero semper fuit huic pulveri tantillum nasturtii sylvestris ad nigredinem combusti indeque pulverati, sed hoc quidem nullo alio intuitu susceptum est, nisi quod magis remedii ingredientia laterent.

Præparari quidem putamina quolibet anni tempore possunt, tempus vero magis opportunum æstivum est. Cochleæ tamen nisi mensibus Maji præparandæ sunt, vel Junii, vel Julii, vel Augusti, sed omnibus hisce mensibus Majus præferendus est.

Art. 1650. *Decoctionis præparatio.* Recip. Saponis Alone optimi unc. iv. contundantur in mortario, cum pleno cochleare nastrutii sylvestris ad nigredinem combusti atque tantumdem mellis, donec pastæ consistentiam acquirant, tum fiat globulus. ♃. Hunc globulum taleolatim incisum fol. vel flor. chamæmel. fol. fœnicul. petersil. bardanæ ana unc. j. vel loco harum, si recentes haberi nequeant, aripiatur de earum radici-

dicibus ana unc. j. quibus incisis coquantur per horam dimidiam in aquæ communis lib. v. & colatura melle edulcoretur.

Art. 1651. *Pillularum præparatio.* ℞. Cochlear. calcinat. semin. dauci vulgaris, bardanæ, fructus Fraxini, Rosæ sylvest. baccar. oxyacanth. ana part. æqual. ad nigredinem comburantur, seu quod perinde est, usque dum nullum fumum amplius reddunt, & simul misceantur, inde in mortario pulveratis, per tenue setaceum trajiciantur. ℞. Hujus pulv. cochleare j. sapon. alone optim. unc. iv. mellis q. s. m. f. pillularis massa de cujus singulis unciis reformentur pillul. lx.

Art. 1652. *Ratio hujusmodi præparationes usurpandi.* Quando calculus in renibus, vel vesica adest ter in die pulvis sumi debet, mane nempe post jentaculum, quinta vel sexta hora a prandio, & noctu ante decubitum, ad drachmæ dosin, vel ad gr. lvj. in vini albi cyatho, aut cum liquoribus in anglia usitatis qui *Cidre*, & *Punch* dicuntur. Post singulam dosin decoctionis frigidæ, vel tepidæ unc. viij. propinantur.

Principio subinde talia remedia plurimum fastidiuntur, quo casu exhibendum est ægro opiatum, etiam, ubi opus, reiterandum.

Cautela & monitus. *Art.* 1653. Si vero ægri alvus segnis fiat, electuarium lenitivum, vel quodvis aliud laxativum præscribi debet, toties quoties solummodo venter non deponit; quia maxima attentione incumbendum, ne diarrhœa superveniat, quæ nimis prærupte remedium nullo edito effectu educeret; quare si forte eadem accesserit tunc pulveris, qui adstringente virtute gaudet, dosis augebitur, vel ea decoctionis imminuetur, utpote laxativæ, vel etiam ad aliud auxilium ex Medici consilio confugiendum erit.

Sub horum remediorum usum nec salsis edu-

liis

liis vescantur ægri, nec lac vel vinum rubrum hauriant, sed paucis liquidis contenti esse debent, modicaque corporis exercitatione vacare, ut urina magis remedio saturetur, diutiusque a vesica retineatur.

Si stomachus ægre decoctionem perferat, post singulam pulveris dosin, sexta pars globuli pro pillulis præparati devorabitur.

Si ætas invalescat, & ægri constitutio debilis, aut plurimum doloribus, & appetitus jactura confecta, in pulveris compositione major quantitas cochlearum calcinatarum admitti debet, & prout occasio exiguerit, etiam augere eo usque dosin cochlearum licebit, donec æqua portio putaminum, & cochlearum pulveris interveniat. Ob eamdem rationem utriusque pulveris quantitas non minus ac ea decoctionis imminui poterit, semper tamen laudabilius utiliusque erit, si æger consuetam dosin perferre potuerit.

Præmemoratis herbis ac radicibus D. *Stephens* aliquando alias substituisse perspectum est, ut malvam vulgarem alth. millefol. rub. & alb. taraxacum, nastruc. aq. & radic. cochlear. folio cubitali; quibus in plantis nullam profecto essentialem differentiam comperimus.

Præcipuus usus pillularum est, in arenularum accessu, doloribus renum vomitibusque conjuncto, tum etiam in suppressione urinæ ab ureterum obstructione producta. Hæc ubi adfuerint necesse est, ægro qualibet hora diu noctuque maxime si insomnis sit, quinque pillulas devorandas exhibere, quousque dolores leniantur. Qui arenulis subjiciuntur, iisdem uti possunt, quotidie ad numerum x. vel xv. spe fore ut earum efformationem prohibeant.

Art. 1654. Judicium quod Cl. *Meadium* adtulisse de hoc remedio mihi visum est, ex sequen- *Hujus remedii judiciũ.*

quentibus patet: Magnopere autem, inquit, cavendum est, ab assiduo illorum medicaminum usu, quæ magna vi urinam cient; præsertim ubi id agitur, ut nullæ fiant in renibus arenularum concretiones: illa enim, quantumvis de iis magna promittant rerum ignari, acrimonia sua, & calore partes labefactant, & lædunt. Neque temperare mihi possum, quin dicam in opprobrium nuper medicis nonnullis cessisse; quod insano pretio redimendi anile remedium magnatibus auctores fuerunt; quo ipsos etiam in vesica calculos in ramenta comminui, & hinc foras per urinam pelli posse, vana spe delusi spondebant. Erat medicamentum hoc ex sapone, calcibusque testaceorum non unius generis confectum, quod nemo non videt, virtute summe caustica pollere. Monstrabatur interea coram populo in rei testimonium calculosa massa una, & altera, ex vesica illorum, qui illud assumpserant exsecta, inæquali superficie, & foraminibus hic illic quasi erosa; quas cavernulis notas esse, & indicia medicaminis, vim suam exerere jam incipientis, credi voluerunt. At scivisse debuerant, non raro calculos in vesica nasci ita conformatos, ut speciem lapidis hic illic exesi præ se ferant; id quod ipse non semel vidi.

Hoc ipsum remedium plurimi ex Academia Regia Scientiarum Parisiensi experti itidem sunt, indeque cognitum effectus promissis omnino non stetisse; quare ubi de renum, aut vesicæ calculo agitur qui præ magnitudine nec a renibus, per ureteres in vesicam, nec a vesica per urethram ad matulam egredi potest, ad cultrum seu scalpellum chirurgicum confugiendum est, iis in locis secando, per quæ corpus durum naturalium amplitudinem longe excedens denique auferatur.

NE-

NEPHROTOMIA.

Heisteri sententia.

Art. 1655. Haud alienum ab instituto nostro esse existimo si, an in calculo renum sectio locum quoque habeat, hic paucis disceptaverim. Plerique, qui hac de re aliquam in scriptis suis mentionem injiciunt, negotium hoc nimis periculosum judicant, adeoque & illud prorsus rejiciunt. Sed præsto sunt observationes ægrorum a vulneribus renum, quæ a tergo acceperant sanatorum; & quidem interdum sine adeo gravibus symptomatibus. Ut enim alia mihi nota exempla nunc taceam, anno 1735. vir quidam in vicino oppido ab alio in dorso, & quidem renis dextri regione satis amplo vulnere, ictu cultri vulnerabatur, ita ut per plures dies sanguis, aut urina sanguinea per vulnus, & urethram redderetur copiosa, attamen postquam huc Helmstadium translatus, meæque curæ subjectus est, intra quatuor fere hebdomadas fœliciter sanatus est. Adeoque certissimum est, vulnera omnia renum, præsertim si a tergo infliguntur, & in cavum ventris non penetrant, non esse mortifera, ut nonnulli putant, sed sæpius sanari. *An nephrotomiam instituere liceat.*

Art. 1656. Hippocrates licet a sectione calculi vesicæ suos discipulos dehortetur, tamen ubi de renum morbis agit, docet: *cum intumuerit, & elevatus fuerit, sub idem tempus juxta renem secato, & extracto pure arenam diureticis sanato. Si enim sectus fuerit, evasionis spes est; sin minus, homini commoritur.* Alibi item ait: *cum suppuratus fuerit ren, circa spinam intumescit; hunc, ubi sic habuerit, circa tumentem partem* *Auctoritate Hipp. affirmatur.*

tem

tem secato, *profunda maxime sectione juxta renem*, immo in simili casu præcipit ut *in ipsum renem secemus*. Unde apparet ipsius renis incisionem, ubi ea opus judicavit, non reformidasse.

Ita & *Rossetus*, & *Jo. Riolanus* aliique judicant nephrotomiam non sine fructu sæpius institui posse, si modo ille locus incidatur, ubi calculus percipitur, cavendo ne arteria aut vena emulgens, aut ureter incidatur, & ne vulnus in abdominis cavum penetret. Id enim eximius Medicus, & Chirurgus *Lavaterus* in hujusmodi casu fœliciter perfecit, & nephrotomiam renis alterius, natura per abscessum viam demonstrante, celebrare profitebatur.

Adeoque non perspicio rationem quare a quamplurimis prorsus damnetur, sed potius chirurgos exhortor, ut eam natura viam demonstrante, non intermittant, quemadmodum nec ego eam intermitterem: quia hac ipsa non solum vita ægri servari, verum etiam ii a sævissimis cruciatibus, calculo per uncum, vel digitos, vel forcipem educto, liberari poterunt.

LITHOTOMIA.

Variæ lithotomiæ methodi.

Art. 1657. Lithotomia est, operatio chirurgica, qua calculus per aperturam incisione factam extrahitur. De lithotomia renali seu nephrotomia jam modo meminibus, & satis dictum est; remanet autem lithotomia vesicalis, quæ ad calculum in vesica urinaria existentem extrahendum peragitur. Hæc quatuor modis fieri potest. Prima methodus vocatur sectio Celsi, vel antiqua, vel cum parvo apparatu; Altera respectu prioris methodus nova, seu cum magno apparatu, & anno 1520. Romæ a *Johanne de*

de Romanis, primum adhibita: tertia dicitur methodus alta seu major seu cum alto apparatu, quæ multam similitudinem habet, cum operatione Cæsareana anno 1560. primum Lausannæ a Petro Franck usurpata: quarta demum methodus Fratris Jacobi dicitur circa annum 1720. primum administrata. Ex hisce methodis, cum quæ ex majore apparatu fit ceteris præstet, de ea tantum verba faciemus.

Junckeri sententia.

Art. 1658. Æger mensæ stabili imponitur substratis ad excipiendum sanguinem linteis duplicatis, & suppositis dorso, ac lumbis pulvinaribus compactis. Genua diducta sic complicantur, ut calcanei natibus proxime admoveantur. Duplici habena e cervice propendente, & circum axillas hinc, & inde voluta, fœmora cum tibiis, & pedes cum manibus, sub varia laqueorum circumductione firmiter ligantur, insuper æger a tribus robustis ministris immobilis tenetur. *Lithotomiæ descriptio.*

Tum Chirurgus catheterem sulcatum oleo madidum vesicæ immittit, exploratoque calculo catheteris curvaturam versus perinæi sinistrum latus adigit. Quartus minister scrotum tollit, ejusque suturam, dum in dextrum latus illam retrahit, ab incisionis loco removet, qui simul catheterem in vesicam immissum tenet, & ita apprimit, ut curvatura illius sulcata urethram versus perinæum appellat. Nonnulli autem Chirurgi, & catheterem tenent, & incisionem faciunt.

Deinde Chirurgus perinæum dextrorsum paululum trahit, & scalpello fasciola circumvoluto, in sinistra regione, supra catheteris promi-

nentis sulcum facit incisionem, quæ in medio circiter perinæi loco facta, & deorsum ducta in pueris referre debet longitudinem duorum, in viris autem trium digitorum transversorum; cavendo ne intestinum rectum lædatur.

Facta incisione, & retracto scalpello *conductor mas* vulneri immittitur postea catetere ablato, *conductor fœmina*, cui mas viam monstrat etiam imittitur. Alii *conductorem Hildani*, quem Galli *gorgeret* appellant, loco horum adhibent. Dum manus sinistra hæc instrumenta tenet, dextra forcipem dentariam, ætati & vulneri convenientem ita applicet, ut vulnus non ad latera, sed perpendiculariter dilatetur; alterque conductorum deorsum, alterque sursum a forcipe adigatur.

Retractis conductoribus operator ad dilatandam vesicæ cervicem, forcipem utraque manu apperit, postea illam quodammodo iterum contrahit, omnino autem non comprimit, ne vesicam divellat. Hac ratione huc illuc forcipem movendo calculum quærit, & repertum sic apprehendit, ut intra forcipis alas situm extractioni idoneum ipsi conciliet. Tunc eodem pene momento triplici motu, nempe extrorsum, & in utrumque latus, seu spiraliter facto, calculus extrahitur.

Quando autem calculus juxta pubem, vel ad latera hæret, & ita forcipe recta non potest prehendi, curva adhibenda est. Quodsi vero ratione molis per vulnus extrahi non possit calculus, situs illius inverti, & ita extractio tentari debet. His initis vulnus scalpello ampliandum, donec satis patens sit. Nonnulli forficem adhibent, quæ non æque commoda est; alii instrumentum dilatatorium peculiare applicant, quod tamen nullius usus est. Habent etiam peculiarem

rem forcipem, qua calculum nimis magnum in vesica difringunt. Quando autem neque difringi, neque post vulneris ampliationem extrahi potest, ab operatione desistendum.

Extractus calculus si valde politus appareat, aliorum in vesica latentium suspicionem præbet, qui proinde etiam quærendi, & extrahendi sunt. Mollis & arenosus calculus vix extrahi poterit, quin comprehensione sui frangatur, & intra vesicam fragmenta quædam relinquat. Hinc ne novus facile oriatur, specillo recurvo crassiore, & obtuso, gallice *un bouton*, vesicæ cavitas exploratur, & si quid lapidei reperiatur forceps iterum atque iterum inferitur. Tandem *specillum auricularium* applicatur, & per hoc interiora vesicæ ab arenulis, lapillis, aut sanguinis grumis repurgatur.

Quando calculus vesicæ parietibus sic adhæret, ut citra ingentem fibrarum dilacerationem removeri non possit, is tamdiu sinendus est, donec superveniente suppuratione sponte excidat, aut facilius eximi possit.

Si caro fungosa intra vesicam, aut ejus cervicem alicubi succreverit, illa forcipe numquam avellatur, sed vel suppurationi committatur, vel si fieri potest, scalpello dextre præscindatur.

Quodsi nimium laboriosa etiam operatione, æger de vita periclitetur, calculi evulsio in alium diem differenda est, donec vires restauratæ sint.

Lithotomia peracta, & vinculis solutis, æger in lectum ponitur, ubi vulnus linimentis, emplastris, & spleniis obductum, probe deligatur, & quidem fascia illa, quæ formam Π refert.

Deligatio hæc quotidie repetitur, & quidem primis diebus unguentum digestivum linteo car-

pto applicatur, & fascia lenissime stringitur; quarto, autem circiter die major fasciæ strictura, vel pro re nata emplastrum glutinans adhibetur, donec tandem sub usu selectissimorum balsamicorum consolidatio obtineatur. Interea non opus est, ut æger cubando totam curationem absolvat.

In fœminis parvo existente calculo non opus est sectione, quia iste ab urina in vesicæ cervicem facile propellitur. Unde dum amplior, & brevior urethra est, quam in viris, non raro sine auxilio externo eliminatur. Quando autem calculus in urethra impactus hæret eadem prorsus methodo educitur, quam *Celsus* docet. Ceterum calculum in vesica latentem ordinarie ita extrahunt ut conductores, & deinde forceps urethræ immittantur, atque per hanc viam calculus eliminetur. Nonnulli autem recentiorum calculum fœminarum prægrandem æque ac in viris, per sectionem in perinæo extrahendum commendant, ut incontinentia urinæ, quam alias fœminæ plerumque incurrunt hac ratione avertatur.

Ab operatione prognosis. *Art.* 1659. Quando post operationem respiratio facilis, sitis modica, abdomen non adeo tensum, lingua madida, febris levior, & dolor mediocris reperitur, de bono operationis successu spem concipere possumus. Quando autem contrarium apparet, præterea vulnus hiat, urina per illud effluit, alvus non respondet, vehementes dolores adsunt, fastidium a cibis permanet, post quintum diem febris exquisita urget, & denique æger in ventrem cubare amat, nihil boni sperandum est. Hæmorrhagiæ insignes; inflammatio vesicæ, quam abdominis tentio manifestat, conatus vomendi, aut ipse vomitus, deliria, convulsionesque signa plerumque sunt funesta. Alia

Alia etiam symptomata facile accidunt, quæ in futurum partim incommoda, partim pericula minantur, ex. gr. fistula in loco incisionis, quæ quia urina continuo per illam effluit, & ordinarie callositates habet, non facile consolidatur. Excretio urinæ involuntaria a dissecto, vel lacerato vesicæ sphinctere. Generandi impotentia ob vesicularum seminalium læsionem. Abscessus in partibus vicinis, præcipue in scroto.

Monendum denique in viris calculo laborantibus incidi perinæum, vel ipsius vicinia, in fœminis urethram; in infantibus autem, & pueris operationem minori apparatu institui debere de quo vide *Celsum*, *Heisterum* aliosque nec non ipsum *Junckerum*.

MICTUS IMPEDITUS.

Cœli Aureliani sententia.

Art. 1660. Est præterea urinæ reddendæ impedimentum, quod Græci *stranguriam* vocant, mictus officium retardatum. Difficultas autem, quam iidem *dysuriam* appellant, quæ id adjuncto dolore ingerit. Impossibilitas autem quam *ischuriam* vocant, perfecta ejus officii negatio. *Mictus difficilis species seu gradus.*

Sed hæc tria accidentia, quæ Græci symptomata vocaverunt, nunc stricturæ sunt appendicia, cum tumor vesicam tenuerit, sive durities, sive paralysis, vel tensio, ut quidam volentes urinam usu solito ac naturali deponere, obstantibus causis, longo tempore continentes officii dilatione vexentur; aliquando demum rerum alienarum obstructione vesicæ impedito meatu: ut lapidis, aut arenæ, aut capillorum, aut squa-

mullarum furfuris similium, vel quocumque sedimine crassiore.

Prognosis. *Art.* 1661. Quoad prognosin observat *Hippocrates*, urinæ stillicidia in hydropicis siccis mala esse, ejusque interceptionem in biliosis cito occidere. Addit insuper ajendo: Urinæ cum rigore suppressæ malæ, & convulsoriæ, tum alias, tum si quis antea gravi sopore pressus sit. Quibuscumque ex urinæ stillicidio volvulus accedit, ii in septem diebus pereunt, si non febre accedente urinæ satis fluxerit.

Causarũ signa. *Art.* 1662. Præterea ex eodem *Hippocrate* plurima causarum signa indicantur. Inquit enim stillicidia, & difficultates urinæ senibus accidunt præsertim tempore autumnali. Urinæ stillicidium habenti partes circa vesicam sunt affectæ lib. IV. aph. 8. quod confirmat lib. V. aph. 58. ubi ait: urinæ stillicidium intestino recto, & utero inflammato accedit.

Prognosis. *Art.* 1663. Sunt autem addit *Aurelianus* vesicæ vitia, vel passiones generaliter curatione difficiles. Est enim natura nervosa, & altioribus insita locis, atque celata, & quæ corporis superflua sustineat acriora.

Sed mictus impediti singulas species seu potius singulos gradus seorsim describere expedit, ut in sequentibus habemus.

Placentini sententia.

In variarum urinæ morbis quænam venæ secandæ. *Art.* 1664. Ut in morbis uteri, ita in iis quoque renum, intestinorum, testium, & vesicæ raro inferiores venæ incidendæ sunt, sæpe superiores, quod apparet ex vasis, quæ in has partes sanguinem infundunt.

Cum vesica, intestinum rectum, & hæmor-
rhoi-

rhoides sanguinem recipiant, tum ab hæmorrhoidali ramo iliacæ internæ, quæcum externa acutum angulum efficit, tum, ut verisimile est, ab arteria sacra, quæ inter utramque Iliacam in ipso divisionis angulo recta fere deorsum procedit; illud plane consequitur, ut, sectis venis inferioribus, sanguis celerius influat in easdem arterias, tum aperto illarum foramine, tum aliquanto postquam clausum est, ac morbi ejusdem vesicæ, intestini recti, & hæmorrhoidum exasperentur. Quare in morbis harum quoque partium superiores venæ plerumque incidendæ sunt, raro inferiores; ut, revulso ab iisdem partibus sanguine illis succurratur.

Art. 1665. Hinc licet intelligere, Hippocratem, & Galenum cum Græcorum plerisque superiores venas recte quidem incidisse in morbis partium supremi, medii, & infimi ventris usque ad hepar, parum tamen recte (sit venia dicto) fere semper incidisse venas inferiores in morbis partium infimi ventris, quæ sunt post hepar,) & singulariter in morbis vesicæ. Hippocratis enim præceptum est, in urinæ difficultatibus interiores pedum venas secandi. *Veterum græcorũ sententia.*

Art. 1666. Sectionem venarum superiorum in iisdem morbis partium infimi ventris, quæ sunt post hepar, perexiguam ab illis revulsionem facere abnuere debemus, atque inde perexiguum, ut revulsiva est, iisdem partibus emolumentum afferre, negandum tamen non est sectis in iisdem morbis venis inferioribus, magnam fieri ad easdem partes derivationem, atque inde magnum plerumque in earum morbis detrimentum importari. Prudens autem Medicus prodesse quidem semper, etsi parum possit, debet, numquam tamen nocere. *Quæ non semper prosequenda.*

Inferiorum venarum sectio magnum plerum-

que in dictarum partium morbis detrimentum importat non autem semper. Ostensum enim a nobis est, cum obstructio recens est, & lævis, atque in homine, qui neque pravis humoribus abundat, neque plethora laborat, sanguinem, aucto per sectionem earumdem venarum motu abripere illam posse, & earumdem partium morbos removere.

Ex his satis apparet in morbis partium, quæ sunt post hepar raro quidem contra consuetudinem Hippocratis, & Galeni inferiores venas esse incidendas, interdum tamen utiliter incidendas esse, ut ratione, & auctoritate præclariss. Medicorum, qui ex professo de iisdem morbis tractaverunt, demonstrare conatus sum.

ISCHURIA RENALIS, & Vesicalis.

Ettmulleri sententia.

Ischuria quid. *Art.* 1667. Ischuria & urinæ suppressio totalis differunt saltem gradu; quandoque in ipso sanguine hæret causa, sed frequentius accidit ob renum vel vesicæ vitium; ob prius: quando nulla urina fit in vesica, nullus tumor circa regionem pubis, nulla gravitas perinæi, ubi immisso *Causæ & symptomata.* cathetere urina nulla extrahi possit. Causæ sunt vel calculi vel renum ἀτονία. Symptomata sunt angustiæ præcordiorum & anxietates, aliquando sudor fœtidus & urinosus, torpor sensuum, vomitus, &c. Fere ad 10am vel 11am diem supprimi potest ante mortem, aliquando die 14. moriuntur, raro ad 20am vivunt; si tamen adsit sudor copiosus, interdum diutius supervivunt: quæ ab ἀτονία, vel resolutione renum fit, fere semper lethalis evadit.

Art. 1668. In hoc affectu laudantur succus *rad. raphan.* & succus *limonum* (*sp. cochlear.* vel *succ. ejusdem*) item succus *parietariæ* in antiquis parietibus nascentis, præ omnibus *sal succini*; si malum sit spasmodicum *cinnab. antimon. millepedes*, *cantharides* in substantia & tinctura, infusum *fimi equini* in vin. Rhenan. egregium remedium, ut etiam *stercoris columbini*. Pro usu externo linimentum sequens, ℞. *Unguent. dialth. ol. scorpion. ana* ℥ß. *petrol.* ʒij. *tereb.* (*junip. ana*) gr. xxx. *m. f.* liniment. pro regione lumborum. *Curatio.*

Art. 1669. Ischuria *vesicalis* a vitio vesicæ provenit, & a variis causis pendet; ut plurimum die 11. necat; pessimum est signum, quando nullum sentiant dolorem. *Ischuria vesicalis.*

Art. 1670. Si adsint causæ impedientes transitum urinæ, hæ sunt imprimis removendæ; si casus sit paralyticus, usurpanda sunt nervina interne, & externe, laudatur *oleum succini*, *clysteres terebinth.* cataplasma ex *parietaria cepis sub cineribus coct.* & *ol. scorpion.* convenit etiam *semicupium ex emollientibus* & *nervinis* exhibendo paulo ante incessum *blanda diuretica*. Immersio subitanea pedum ægri in *aqua frigida* urinam provocat. *Curatio.*

Fulleri sententia.

Art. 1671. Suppressio urinæ totalis, quæ fit, non a renibus, ductibusque urinariis lapide, sabulo, mucove obstructis; sed a sanguine ipso confuso, nimis stricto, & adeo obserato, ut laticem aquosum intimius permixtum e sinu suo ægre dimittat: cujusmodi casus retulerunt *Riverius*, *Vvillisius*, *Sylvius*, atque inter medicinam faciendam ipsemet etiam aliquoties observavi; exindeque eum agnovi, quod nullus dolor *Ischuria ex sanguinis discrasia.* *Ejusdem curatio*

lor vel lumborum vel pubis præcesserat; & vesica (teste cathetere) urinæ omnino vacua fuisset: hæcce inquam notabilis & (nisi tempestive & rite tractetur) lethalis urinæ suppressio curatur (D. *Baynard.* monstrante viam) per *spiritum vitrioli nitrive* in vehiculo idoneo liberaliter propinatum, atque eo certius, ut opinor, si *venæsectio* præmittatur. Hujusce instantias apud *Philos. Transact.* N. 215. lectu & observatu dignissimas videre licet. „Sæpius in praxi experimur (inquit *Vvaldschmidius*), quod senes „ *urinæ suppressione* corripiantur, quandoque cum „ alio graviori morbo, quandoque sine eo, & „ talis urinæ suppressio plerumque solet esse le- „ thalis; oritur enim a deficiente secretione „ tum spirituum in cerebro, tum fermentorum „ in visceribus, ut & seri in renibus, ut recte „ totalem viscerum obstructionem & lymphæ „ coagulationem hic accusemus: si enim esset „ a calculo, tum dolor lumborum adesset, & „ reliqua calculi symptomata.

Senes huic morbo sunt proclives.

Pujati sententia.

Ischuriæ convulsivæ species.

Art. 1672. In acutis, urinas convulsorio modo intercipi haud infrequens est in *Hippocrate* legere, Ischuriam vero a nervorum distentione fieri, rarum admodum legitur apud Practicos, & Observatores. Neque enim memini nisi apud *Ettmullerum* me legisse hujusce mali caussam quandoque esse pertinacem sphincteris spasmum a doloribus abdominis convulsivis exortum. Cum igitur observatio a me habita novam ferme morbi ideam medentibus objiciat, operæ pretium duxi eam clinicis exhibere.

Ejus curatio.

Art. 1673. Casum ennarrat rustici cujusdam gracilioris sicciorisque corporis habitus annorum

50,

50. vino indulgentis, atque ab infantia morbo ſacro obnoxii, cui dum æſtivo tempore magis magiſque a convulſivis inſultibus exerceretur, bini parvi tumores ſupra ſpinam oſſis ſacri erupere, & tunc aliquali prius difficultate in lotio reddendo per 7. aut 8. dies, demum legitima iſchuria laboravit. Hic vix mixturæ ſequentis quatuor hauſtis cochleariis quod bis minxit, atque dolore, & tenſione ad pubem liberatus eſt. ℞. *Aq. ſucc. meliſſ. unc.* vj. *liq. C. C. ſuccin.* ℈j. *ſem. laud. liq. ſydenh. gutt.* xvj. *m.* Emolliens antea ei injiectum fuit clyſma, pertuſaque vena pedis cum octo ſanguinis unciarum eductione, tum etiam inuncta ſpina dorſi eſſentia roriſmar. ol. ſpicæ, ſuccinique ſtillatitiis, pubiſque regio ac Perinæum ol. ex ſcorpionibus Matthioli. Ab aſſumpto igitur paregorico poſtridie alvus ei ſubducta fuit flor. Caſſiæ cum conſ. viol. ac Tart. crem., neque inde rediit Iſchuria. Tumores curabantur a Chirurgo.

Farrago ſententiarum.

Art. 1674. Nullus hoc morbo laborans ſupervixit diem xvij. uti hoc in mea praxi obſervavi. *Greenfield*. *Diem xvij. non ſupervivunt.*

Art. 1675. In ancipiti caſu & moribundo ex *iſchuria* plurium dierum, aliis medicis dimiſſis hominem ſic reſtitui, ℞. *Succ. limon. recens expreſs.* ℥vj. *ſucc. cochlear. hortenſ.* ℥iv. *hepatic. plantag. ana* ℥ij. *violar.* ℥ij. *m.* hujus ℥iv. tertiis quibuſque horis ſiccavit, & poſtridie urinam copioſe reddidit. *Liſter*. *Remediũ ſingulare.*

Art. 1676. *Apes ſiccatæ* in pulverem redactæ propinentur *vino albo*, urinam paulo poſt provocant, N. iij. ſufficiunt ut plurimum. In ſe- *Pulvis apum.*

ipſo

ipso Ischuria laborante sæpius expertus est *Hiberniæ primarius Armaghanus. Majerne.*

Remedia alia. *Art.* 1677. *Bals. copav.* ad ℨj. vel ultra, decoct. incrassans, *haust. diuretic. acid. & pil. diuret. Fulleri* usui esse possunt; item *expressio diuret. seq. Vvillisii.* ℞. *Milleped. viv. tinct. sal. tart. ana* ℥ij. *contunde, & fortiter exprime Dos.* gr. xl. vel l.

STRANGURIA.

Tralliani sententia.

Causarum stranguriæ diagnosis. *Art.* 1678. Urinæ difficultas partim cum dolore, partim sine dolore oritur. Si igitur urina vix, & cum dolore excernitur, scire licet vesicam morbo laborare, sin autem cum rosione vehementi etiam pus excernatur, & citra gravitatem; ulcus esse in vesica suspicandum est. Si vero gravitatis sensus accedat suspicabitur magis, aut de inflammatione, aut de abscessu, si absque gravitate dolor, aut distentio sola percipiatur retentionis causa erit spiritus copiosus, & flatulentus, & si æger nullum dolorem, aut tumorem, aut distentionem circa vesicam sentiat scito obstructionem, aut calculum in renibus, vel meatibus urinariis existere. Præterea si acrimonia quædam in urinis, & totus habitus ad acriorem biliosioremque fuerit conversus, conjiciendum prorsus est, stillicidium ob rosionem, quæ ex acrimonia provenit, excitari; sin autem nihil tale fuerit, sed contra & urina magis alba appareat, & ea quæ præcesserunt frigidiora, frigida potius intemperies vesicæ causari debet, quæ urinam non sinit evenire.

Earumdem curatio. *Art.* 1679. Ad obstructionem urinarum quæ

ex

ex viscosis humoribus nascitur, bene facit oxymel, & mulsa, & decoctum rhamni, quod ex radice ipsius fit, item origani decoctum, ac magis adhuc, si magna obstructio fuerit, ut urinæ retineantur, efficax est corticis tithymalli decoctum, quod incidit, & aperit.

Si quidem acrimonia fuerit, humectantibus, & contemperantibus, nullo calido, aut salso utendum est. Omnino igitur ptisana his utilis est per se, & cum modico hydromelo, aut chrysattico, interdum etiam cum lacte. His apta sunt etiam continua balnea, & aqua tepida ante cibum, & cucumerum medulla, & pepo, & germina fœnugræci, & uva dulcis, vinumque dulce, quale est Bithynum.

At si stillicidii vitium ob frigidam intemperiem fieri contingat, iis quæ calefacere possunt, & in victu, & in medicina uti necesse est. Vinum igitur calidius his est idoneum, mulsum absinthites. Inter olera apium, porrum, daucus, & quicquid citra rosionem calefacit. Interdum scordii, & artemisiæ decoctum ad stillicidium, & difficultatem urinæ benefacit, ubi non est multa acrimonia, aut inflammatio.

Ettmulleri sententia.

Art. 1680. Stranguria, Latinis urinæ stillicidium, est quando urina guttatim excernitur cum acerbo dolore & continua stimulatione ex acore urinæ; ulcus vesicæ interdum pedetentim sequitur. *Stranguria quid.*

Art. 1681. Exhibendum est *emeticum* cujus vires magnæ sunt in affectibus urinariis, item *laxantia* cum *mercurio dulci, rad. liquiritiæ cum fol. malv.* in jure pulli, decoctum *cort. aurant. opiata.* Pro euporisto decoctum *raparum* reme- *Curatio.*

dium

dium sine pari, decoctum *sem. cannab. ol. amygd. dulc. syr. de alth. succus cancrorum fluviat. decoctum bacc. alkekengi cum passulis*. Conveniunt *clysteres emollientes*, *injectiones* in vesicam ex *lacte cum ol. amygd. dulc.* &c. *Thermæ* etiam prosunt.

Pujati sententia.

Stranguriæ potior causa.

Art. 1682. At nunc mihi illud animadvertere liceat, quod nescio an a practicis huc usque satis animadversum sit. Ajunt equidem inter stranguriæ causas esse humores acres in vesica productos; at horum humorum genesis clariorem ideam nobis minime objiciunt.

Mihi itaque sæpe animo subiit, an non vitiata secretio illius humoris, qui e glandulis nerveæ internæ vesicæ tunicæ extillat, vesicam irritando difficultatem urinæ quandoque non pariat? Sic ab acriore lympha per glandulas Epiglottidæas, Aritenoidæas, trachæales secreta, muscularibus trachææ fibris crispatis, & homo ad tussiendum subinde impellitur, & respiratio vitiatur. Forte etiam omnino sublata quandoque muci vesicalis secretione, contra irritantes urinæ sales, nuda vesica exponetur, vitiumque in lotio reddendo manifestabitur; quæ omnia a cl. Hesteri adnotatione illustrari videntur, qui animadvertit glandulas dictum mucum ex Graaffio, & Dracke secernentes, circa vesicæ collum magis conspicuas apparere, ubi nempe mejendi stimuli a stranguriosis percipiuntur.

Omnia hæc non ita a ratione abhorrentia mihi videntur, ut ea sæpissime contingere non credam; potissimum quia Cous Senex inter morbos, qui senes corripiunt, quos a defluxionibus cum tussi; ab articulorum doloribus, a totius cor-

corporis pruritu; aliisque morbis, sive a crasso, sive ab acri phlegmate provenientibus tentari dixit, urinæ quoque stillicidia, difficultatesque numeravit. Quin praxis quotidiana ostendit, senes eos potissimum stranguriosos fieri, qui mucis, seu lympha acriore scatent.

Farrago sententiarum.

Art. 1683. In ardore urinæ magis afficitur urethra, & sphincter ab ejusdem urinæ acrimonia, quod inde constat, quia retineri potest per aliquod tempus, donec ejus quantitas fuerit collecta, & tunc demum, quando excernitur, doloris sensus percipitur, in stranguria vero ureteres, & vesica magis afficiuntur, hinc etiam dum per ureteres, vel guttula urinæ destillat ad vesicam statim, & in his, & in visica dolorem atque stimulum ad excretionem inducit, hinc hoc in affectu continuo mingere conantur ægri. *Stranguria a dysuria differentia.*

Art. 1684. In Cura ante omnia intentio dirigatur ad acrimoniæ correctionem, quæ obtinetur: primo per diluentia, copiosum potum. aquæ fabarum ex consilio *Sennerti*, vel aquæ extinctionis fabrorum &c. deinde per absorbentia terrea, oculos cancr. lapides &c. tertio per viscida, & glutinosa, mastichen, thus, gumm. arab. tragacanth. terebinth. mucilag. sem. psyll. & cydon. lac bubul. & caprin. emulf. sem. quat. frig. maj. min. amygdal. & castanear. decoct. ptisanæ & rapar. passar. rad. malv. glycyrrh. &c. quibus non male si dolor fuerit nimius anodyna: ut sunt sem. papav. alb. & hyoscyam, vel crocus adduntur. *Langius.* *Stranguriæ curatio.*

Art. 1685. Non inconveniens quoque erit cuncta hæc glutinosa, & pinguia, vel loco illorum *Maxime per injectiones.*

rum albumen ovor. conquaſſat. terebinth. cum album. ovor. ſubactam, & ſub emulſionis forma; aut mel dilutum, vel balſamum ſulph. vel de Copayva in ipſam veſicam per urethram immittere: longe enim citius inviſcationem acrimoniæ præſtabunt, quam interius ſumpta; in primis ſi jam eroſa, & inflammata ſunt interiora.

Quæ a phlogoſi diluentia repoſcit. *Art.* 1686. Stranguria (ea nempe quæ a veſicæ ſphincteris, aut adjacentium partium phlogoſi oritur) auſcultat ſæpiſſime ſolis diluentibus calidis, ex. gr. thee, coffee, tanta copia adhibitis, donec lenis diaphoreſis ſuccedat, conjunctis, ſi neceſſarium videatur, temperantibus nitroſis, *Junkerus*.

Remedia varia. *Art.* 1687. Decoctum foliorum ribium nigr. utile admodum expertum eſſe, in ſtranguria teſtatur *Foreſtus*. Olei ceræ gutt. iij. vel iv. in decocto cicerum rubrorum exhibitas Stranguriam ſolvere inquit *Hartmannus*. Externe vero axungiam hirci umbilico applicat *Helmontius*, & oleum maſtiches ſtillatitium, nec non inſeſſus, & fomentationes ex herbis emollientibus peragit.

Ad ſtranguriam, inquit Lucas Tozzi, ea potiſſimum convenire videntur, quæ urinæ acritudinem temperant, quando vero morbus conſequitur arenulas, calculum, inflammationem, aut veneream luem, medicamenta his opportuna in uſum ducenda ſunt.

Si a cantharidibus. *Art.* 1688. Si a cantharidum uſu aut ex alia acrimonia morbus oriatur, conducunt in primis viſcida, & glutinoſa ut emulſiones ſem. frig. min. & major. juxta *Riverium* & *Binningerum*, lac in quo fl. chamæmel. decocti ſint, atque etiam ex *Sibbaldo* reſina abjetis magn. nuc. moſch. cum ſaccharo aſſumpta tamquam ſingulare remedium.

DY-

DYSURIA.

Ettmulleri sententia.

Art. 1689. Dysuria est excretio urinæ cum conatu & dolore, & ardoris sensu; ut plurimum fit „ ab abrasione muci naturalis ductuum uri„ nariorum, quos isto munimine orbatos urinæ „ acrimonia irritat, & vehementer lædit; quan„ doque causatur ab excoriatione vel exulceratione vesicæ colli vel urethræ; excernitur materia crassa vel mucilaginosa, nutrimentum partium læsarum; malum est perquam molestum, non tamen per se lethale, interdum diuturnum, unde periculum est, ne exulceretur tandem vesica, aut urinæ incontinentia superveniat. *Dysuria quid.*

Art. 1690. Remedia ad stranguriam hic conveniunt, ut *ol. amygd. dulc. decoct. malvæ*, *terebinthinata & balsamica*, *antimon. diaphor. cum tereb.* in forma pil. *clysteres emollientes*, *injectiones*, de quibus vide locum, *p.* 738. „Sequens muci„ lago valde commendatur, ℞. *Gum. Arabic.* ℥ij. „ *tragacant.* ʒij. *aq. cinnam. ten.* ℥x. *syr. de alth.* „ ℥ij. *f.* Mucilago cochleatim sumenda. *Remedia nonnulla.*

Lucæ Tozzi sententia.

Art. 1691. Dysuria seu mejendi difficultas, quamvis a nonnullis cum stranguria confundatur, proprie tamen ab illa differt: etenim in dysuria non cogitur vesica tam frequenter, & guttatim urinam reddere, cum possit, nedum justo tempore illam continere, sed etiam diutius, quam deceat. At vero cum emittitur, difficilis simul, & dolorifica est, quamvis cum prodierit ubertim profluat. *Dysuria a stranguria distinctio.*

Causa. *Art.* 1692. Hujus causa refertur quoque, vel ad vitium urinæ, quæ mordax, & acris est, unde dici consuevit ardor urinæ; vel ad vesicæ cervicem, & urethram erosam, & ulceratam fortasse a calculo, arenulis grandioribus, & asperis, lue Gallica, medicamentis acribus præsertim ex cantharidibus, injectionibus in penis ductum aquarum erodentium, aliisque.

Curatio. *Art.* 1693. In Dysuria danda opera est, ut urinæ mordacitas temperetur, illaque quodammodo dulcescat; quamobrem expressiones alias memoratæ ex seminibus, & condituris anodynis hic locum habebunt, & multo magis si urinæ ardor, ex cantharidum usu oriatur. Gummi Arabicum pulveratum optimum dicitur a Boyle ad urinæ ardorem. Item gummi tragacanthum, gummi cerasorum, & prunorum, cum albumine ovi inspissato, & siccato, rad. alth. & symphyti, & succus glycyrrhizæ.

Si ab ulcere fiat. *Art.* 1694. At vero si ulcus in vesicæ orificio timeatur, inutilia ista erunt, sicut etiam in senibus ex languore, & mucosis, acidisque succis; in quibus expostulantur roborantia, attenuantia, & aromatica subamara, vinum, vinique spiritus. Commendat Heurnius vinum tenue cum myristica, & lixivium ex cineribus suc. rorismarini, & vino albo, Thonnerus ol. succini purissimum ad gutt. vj. in aqua petroselini, & Horstius etiam aromata in urinæ ardore præscribit, quamvis vitiosus humor acer, & calidus videatur.

Victus ratio. *Art.* 1695. Victus ratio ejus sit conditionis, ut nec urinam, crudosque succos cumulet, nec ad vias urinæ recrementa deducat. Modico igitur cibo, & parciori potu utatur æger, acria, & acida devitet, sed in cibum urtica minor, sysymbrium aquaticum, raphanus, siler, cæpa, alia-

aliaque his similia in juribus excocta sæpe sæpius contulere.

Cæterum Narcotica, & opiata tuta non sunt, nisi dolor urgeat nimis. *Cautela.*

Farrago sententiarum.

Art. 1696. Multis difficultas fuit urinæ, quod corpus vesicæ aut crassius fuerit, aut quod multa pituita corpori vesicæ adhæserit, unde aliqua ex parte occupata fuerit capacitas ipsius vesicæ, & sic pauca urina contenta fuit. Id vero vitii maxime iis contigit, quibus carnositas aliqua in urethra fuerit. Nam tenuior & subtilior pars materiei excreta fuit per penem: crassior vero remansit, quæ obhærescens id symptoma attulerit. Et hujus dysuriæ, & brevis mictionis causa ignoratur. Id Domino *le Veau* contigit. Medici putabant esse calculum, aut resolutionem aliquam. Et hinc nisi diligenter animadvertitur, datur occasio generationi lapidis utendo diureticis, & perperam falsa calculi opinione utimur iis, quæ frangunt calculum, quum dysuria a veteri carnositate fortasse fuerit. *Ballonius de Constitutione æstiva anni* 1578. *Dysuriæ causæ aliquando difficiles.*

Art. 1697. Dysuria a calculo, inflammationibus & ulceribus, gonorrhœa, febribus variis, aliisque, quorum symptoma est, remedia reposcit, quæ hujusmodi causis aptiora cognoscuntur, quæ vero ab urinæ acrimonia oritur ita curari debet. Phlebotomia primo ex brachiis mox e pedibus pro plethoræ magnitudine, virium & ætatis ratione, aut inflammationis periculo repetenda celebratur; clysteres inde ex sero lactis aut ipso lacte cum rad. alth. liquir. lilior. malv. utriusque, portulac. lactuc. plantag. nymph. violar. sedi utriusque, telephii, aceto, endiv. &c. *Causarum curatio.*

Seminibus quat. frig. maj. min. sem. pap. alb. foenugr. lini, psyll. cydonior. flor. chamæmel. melilot. malv. trium cordial. nymph. cum cassia, lenitivo, butyro insulso, ol. lilior. violac. lini amygdal. dulc. &c. mel. violac. rosac. &c. Per os autem exhibenda ægro quæ bilem contemperant ejusque acrimoniam demulcent. Prosunt & mucilagines cum decocto alth. addito nitri momento, & serum lactis in quo decocti fuerint flor. chamæmel. cyani, calcatrippæ. Ad humores simul purgandos, & leniendos confert dilutum cassiæ in decocto rad. alth. & summit. aut flor. malvæ cum crystal. mineral. ad plures dies usurpatum; sed his omnibus adjungenda venit diæta refrigerans, & leniens, ex *Calmette.*

Dysuria a stomacho. *Art.* 1698. Dysuriam præcipue in senibus aliquando a stomachi, & primarum viarum acidis putridisque viscositatibus oriri observat *Dolæus*, quo casu jubet vomitoria, & stomachica; tum terebinthinata omnia, & aquam contra ardorem urinæ *Mynsicht*, & decoctum contra ardorem VVeckeri. Præstare quoque succinata, ait, inter quæ essentiam succini, vel balsamum sulph. succinat. vel liq. C. C. succinat. aliis palmam præripere affirmat. Tum addit: Parens meus optimus dysuria vexatus ab usu essentiæ succini egregium levamen sensit.

Externa quædam ad dysuriam. *Art.* 1699. Ad magis liberum reddendum urinæ exitum instituatur semicupium, in quo dum per temporis spatium insedit æger, regio pubis ejus inungitur linimento ex unguento martiali agrippæ & ol. laurin. parat. Sic etiam enemata ex lacte puro, vel mucilaginibus mixto optima sunt. Hisce nihil juvantibus ad Thermas confugiendum est.

Dysuria vetusta sanata. *Art.* 1700. In Ephemer. German. (Decur. II. Ann. 9. Obs. 61.) narratur de Comite quodam, quem

quem pertinax dysuria per aliquot dies lecto affixum tenuerat, donec terrore vehementi incusso ex incendiariæ campanæ sono percepto, visaque simul in proxima vicinia ingenti flamma sanatus fuit.

URINÆ INCONTINENTIA.

Æginetæ sententia.

Art. 1701. Relaxatio musculi collum vesicæ ambientis urinæ incontinentiam producit; quapropter pueris fere accidere consuevit, proinde communiter iis, quæ robur inferunt potissimum utendum, caventes quæ valide refrigerant: foventes potius ægros, quantum fieri potest, calidis. Refrigeratio enim veluti resolutionis vim obtinet. *Causa & indicationes.*

Naturaliter autem huc faciunt. Gallinaceum guttur crematum aqua tepida jejunis potui exhibetur, aut leucanthemi flores, modo non absimili, aut leporis testiculus in vino bene fragranti friatus, bibendum porrigitur: nepeta item, myrrhaque ante cœnam, aut rutæ sylvestris semen tostum per triduum propinatur. Pudenda vero eorum, creta cimolia cum succo perdicii circumliniri ex usu est. *Remedia.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1702. Involuntarii urinæ profluvii causa est deficiens sphincteris vesicæ constrictio a paralysi, contusione, diuturniori mora in aqua frigida, partu difficili quandoque in ultimis gestationis mensibus. (*Lectimingi* plerumque sunt vel infantes vel senes sub cura medica haud cadentes.) Affectus est difficilis curatu, qui vigi- *Incontinentiæ urinæ causæ.*

lantibus contingit; in senibus immedicabilis, nisi interdum iis *therma* succurrunt, in morbis acutis male ominatur.

Curatio difficilis. *Art.* 1703. Pro scopo curativo in genere conveniunt *astringentia*, *nervina* & *antiparalytica*; speciatim decoctum *e lignis sudoriferis*, *calamintha* & *mentha*, *pulv. mastic. thus*, *gum. Arab. castor.* &c. laudantur; specificum audit *guttur galli tostum* ad ℥ß. in vino rub. propinatum, item pulv. *tunic. stomach. gallin. pudendum seu vulva suis* quocumque modo præparat. in vigilantium ac dormientium affectibus singulare experimentum, *mures exsiccati vel in butyro elixati.*

Langii sententia.

Urinæ incontinentia ex risu. *Art.* 1704. Vesicæ urinariæ sphincter in quibusdam subjectis solemniter risu excessivo laxatur ob nimium constrictas fibras ejus motrices carneas tunicam mediam efformantes: novi puellam cui involuntarie a risu semper fluebat lotium, nisi fasciis ventri arcte circumjectis munita incederet, utpote quo unico medio hucusque admodum rebelle malum sufflaminari potuit, sine dubio ob cohibitum musculorum abdominis enormem motum, quo urinaria vesica alias comprimebatur. Concordat cum hoc exemplo illud quod in Act. Haffn. vol. III. pag. 13. legitur de virgine, quæ non mingebat, nisi ab ancilla simul mingente admonita, vel facetiis, & jocis ad affatim ridendum invitata, sed hoc quidem fœminis commune est in Italia quod sub vehementi cachinno urinam continere nequeant.

Diamnes quæ? *Art.* 1705. Licet quodammodo ad involuntariam mictionem urinæ stillicidium ob continuam irritationem, quam patitur vesica a liquore acri alla-

allabente pertineat; solum tamen hic de illa incontinentia agimus, quæ sine omni dolore, ac fere insensibiliter inter dormiendum potissimum accidit, quæ alias peculiari nomine *Diamnes* audit.

Corripitur hoc affectu solemniter infantilis, & puerilis ætas; quandoque vero, & in adultis vel in ipso senio hoc vitium deprehenditur, sic ut vel plane urinam non contineant, sed omni momento involuntarie transmittant, aut saltem si per diem, & vigilantes illam supprimant, noctu tamen & somno sepulti stragula permingant, qui ultimi propterea stylo Helmontiano *lectiminga* vocantur. *Descriptio.*

Art. 1706. Causa unice vesicæ sphincteri tribuenda, qui vel impar est retinendi urinæ copiam ut in infantibus, potatoribus quibusdam, & senibus, vel irritatur ab acrimonia urinæ, calculo, aut uteri magnitudine in gravidis, vel paralysi afficitur ob casum ab alto, vertebrarum, aut ossis sacri luxationem &c. vel ob læsionem fibrarum ex scalpelli Chirurgici acie in partus, & calculi sectione, ineptus plane ad retinendum redditur. *Causa.*

Pueris potatoribus, & senibus detrahatur potus dum cubitum eunt, deinde per adstringentia, & nervina sphincter roboretur. *Curatio.*

Si ex irritatione sphincteris: corrigenda est acrimonia potu ex ficubus, passulis, & glycyrrhiz. parato, quem expertum laudat *Bartholinus* in Actis Haffnicis Vol. II. p. 273. Si calculus in culpa fuerit ejus cura habeatur. Si uteri magnitudo: absoluto gestationis tempore, & fœtu enixo sponte sua curabitur.

Quæ ex luxatione est per solam repositionem, sicut quæ ex paralysi per antiparalytica &c. restituitur.

Tandem quando sphincter plane dilaceratus, vel dissectus est, ambigua admodum erit cura, præprimis si morbus jam inveteratus fuerit.

Morgagni sententia.

Incontinentia urinæ casus singularis. *Art.* 1707. Ubi fœminis hypogastrium tumeat, etsi læsi uteri non desint notæ, de vesica tamen, quæ ante uterum sita est, non est omnis prætermittenda suspicio: Hoc sancivi multiplici edoctus observatione præsertim vero Mulieris 40. circit. annorum natæ quæ profluvio sanguinis ex genitalibus cum acerbissimis hypogastrii, & subjectarum partium, nocturnis præsertim doloribus correpta, tunc sensit disjecta quædam tubercula quæ olim in medio hypogastrio perceperat in unum tumorem coaluisse. Subsequente vero anno cum hic tumor in ea ipsa sede esset, eo tamen usque ascendit ut ab umbilico vix duobus distaret digitis transversis: subrotundus, æqualis, prominens, & renitens. Assiduum accesserat urinæ stillicidium, dolor spasmodicus ad guttur, nausea, & vomitus aliquando, macies, febris. His malis admodum fracta decubuit, & intra sex septemve dies tandem defuit nemine dubitante quin ex cancroso uteri tumore defecisset. Et cancer quidem uterum ex parte eroserat, sed tumor ad ipsum non attinebat ut ex cadaveris dissectione innotuit, in quo repertum magnum illum tumorem fuisse vesicam urinariam valde distentam, & lotio plenam, quæ ad hujus expulsionem se se contrahere penitus nequibat, quia ejus anterior facies alte supra pubem cum ventris parietibus coaluerat.

Cautiones practicæ. Ratio cur ex disjectis olim tuberculis unus factus sit tumor, videtur ad distentam attinere vesi-

vesicam, quæ dum altius vi spasticorum cruciatuum se efferre incœpit, proxima intestina sursum urgendo, & partes eorum aliquas inferiores comprimendo, illam fortasse divisorum tuberculorum speciem ex iis effecit. Porro quis unquam, qui lotium a vesica non retineri sed jugi stillicidio effluere cognovisset, suspicatus, id quod erat, fuisset, magnam tamen lotii partem in vesica restitasse? *Ruischius* similem vesicæ plenitudinem in puerpera deprehendit, quæ pariter nihil urinæ in vesica, quamvis magna ejus copia distenta, se credebat habere, eodem, ut videtur, stillicidio decepta, & in Sepulchreto Theophili Boneti altera mulier prostat cui fœtus indicia erant uterum gravantis, sed revera nihil nisi magnus abscessus, qui inter anteriores increverat vesicæ tunicas, gestationis tumorem mentiebatur.

Farrago sententiarum.

Art. 1708. Urinæ incontinentia recens, quia sphincterem vesicæ debilem pro causa agnoscit roborantibus; & nervinis externis atque internis, martialibus, aromaticis, ac spirituosis, balneis martialibus, & nervinis, vino rubro, vel alio generoso modice usurpato curanda; atque externa præcipue regioni pubis, & perinœi imponenda. Urinæ incontinentia post partum a læsione, laceratione, debilitate, relaxatione, vel paralysi cervicis vesicæ oriri solet, & malum est molestissimum atque simul ut plurimum per medicamenta curatu difficillimum. Interea tamen roborantia, & traumatica principio sæpe aliquid proficiunt: ut infusa herbarum traumaticarum, essentia traumatic. VVedel. tinct. terr. Japon. chinæ, & cascarillæ, immo, & tincturæ mar- *Remedia varia.*

martiales; item externe fotus herbarum illarum cum vino rubro, vel aqua ferrariorum facti, & sæpius applicati. *Heisterus.*

Ad urinæ incontinentiam laudatur vesica capræ, aut Agni exsiccata, & pulverata, atque ad ʒj. in vino rubello epota, sæpiusque repetita, vel vesica vervecina in clybano siccata, ac deinde pulverata, ut scribit *Robertus Boyle.*

Alii laudant pudendum suis cum brassica capitata; nec non piscis in ventre lucii inventus, cinis erinacei, gummi Arabicum, styrax calamita, cera, myrrha, mentha, hypericum. Vinum autem, in quo decocta sint ruta, castoreum calyces glandium quernarum, semen myrti, & thus commendatur a P. Bayro, qui Bayrus emplastrum quod habet: Ladani, & mastich. ana ʒij. lign. aloes, styrac. calamit. cinnam. & terebinth. ana ʒj. & cum succo menthæ pubi, & perinæo etiam applicat.

Magni faciunt alii pulverem a Rhasi descriptum, vel murem decorticatum, & in cibum exhibitum, quo remedio se edoctum fuisse a mulieribus Delphensibus testatur *Forestus.*

Fomenta quoque ex verbasco, mentha, myrtho, absinthio, balaustis, rosis, punicis, adjecto alumine prosunt. Item balneum, & unguentum valde efficax conficit *Hartmannus.*

Sed elegans sane, atque admirandum remedium memorat *Henricus ab Heers*, quod est: bufonis vivi in nova olla usti pulvis facculo e collo suspensus, quod in Mercatore Leodiensi se expertum esse testatur.

MI-

MICTUS CRUENTUS.

Coelii Aureliani sententia.

Art. 1709. Fluor sanguinis per vesicam manifestus est, quando acervatim per urinæ meatum sanguis excluditur. Solent enim sicut in podice, vel fœminarum sinu, aut matricis collo, etiam in vesica hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstant, quibusdam intervallis variatum, quod oportet apprehendere prudenter, cum non coacervata primo fuerit effusio, sed augmentis quibusdam promota, interjectis defectionibus, ac sæpe retento sanguine doloris pubetenus admonitu; cessante cum tensione inguinum, & gravedine clunium, vel renum consensu, & cum sanguis (iterum) eruperit supradictorum relevatione sequente. *Singularis mictus cruenti causa.*

Art. 1710. Est præterea ex putredine sanguis ater, & male redolens, atque purulentus, qui ex ulcere proficiscitur, dolore antecedente, quo putredinis causa advenisse videtur, tum etiam antecedentibus excussu, saltu, aut percussu. Sed quoniam non solo ex ambitu vesicæ fluor iste fit, sed etiam ex collo, vel mictualibus viis acervatus sanguis excluditur, aliquando etiam de renibus, erit locorum discretio facienda. *Mictus cruenti diagnosis; quonam e loco sanguis veniat?*

Nam renibus patientibus dolor in clunibus (seu lumbis) demonstratur, vesicæ autem ambitu patiente sub umbilico, vel pube tenus apparet dolor, & sæpe urinæ commixtus sanguis excluditur; item collo vesicæ patiente circa veretri initium, quod Græci perineon vocant, dolor sentitur. Mictuali autem via patiente, ipsam veretri radicem dolor afficit, testante sanguinis puritate, cum jugi; & non intercapedi-

nata emissione, etiamsi digitis loca, quæ juxta infimam partem veretri sunt presserimus. Nam si ex aliis locis sanguis feratur digitorum impressione magis abstinetur, cum supradictis locis h. e. perineo, vel podici vicinis renititur impressio. Tunc enim ex vesicæ collo impedito pressu referetur, ac in superioribus viis abstinebitur.

Curatio. *Art.* 1711. Solutionem patiente vesica locandus est, æger in frigido mediocriter loco adhibita requie, cum abstinentia, & articulorum tenaci ligatione: & si sanguinis fuerit fluor lumbis prominentius sublevatis; & officio mictus præmonente, quantum datur, imperandum ægro, ut neque id retento faciat spiritu, neque vi quadam, vel conatu.

Apponenda etiam spongia nova aceto tincta secundum clunes vel umbilicum pubetenus, ac usque ad veretri initium, addita tenaci cum amplexu ligatura. Tum Epithemata iisdem locis atque cucurbita constrictiva adhibenda.

Potus dandus frigidus, parvus cibus, medicamina quæ ad sanguinis fluorem, & sputum conveniunt. Prodest & sessio ex vino vehementiori confecta, in qua sint præcoctæ myrtæ bacculæ cum rosis: vel in posca aut aceto facta decoctio herbæ thaliæ vel rubi, aut mali punici corticis, & horum similium.

Vel per ferramentum quod Græci *catheterem* vocant injectio facienda eorum, quæ similiter medendo constringant ut: acaciæ, hypocistidis, aut plantag. succi, vel polygon. intybi vel poscæ frigidæ per se, aut adjuncta thuris ℥j. cum æquali pondere hypocist. vel gallæ cum vino nigro vel thaliæ herbæ aqua cœlesti concoctæ: quæ cum fuerit expressa, & adjecta, erit aqua recoquenda, donec ad mellis veniat crassitudinem.

Ett-

Ettmullerii sententia.

Art. 1712. Sanguis, qui tingit urinam, frequenter a renibus effluit, interdum ex ureteribus, interdum ex vesica, aut ex arteriolis penis; est hæmorrhagiæ species. Præcedere solet dolor gravativus & tensivus in loco affecto; aliquando est *criticus*; a diureticis fortioribus interdum causatur, item a nimia venere, a contusione, vel casu ab alto, equitatione, saltatione, &c. urina sanguinolenta semper est, opaca, turpida, & crassiuscula plus minus, prout plus minus sanguinis est permistum, ex opaco nigrescit, ita ut linteum immersum suo rubore sanguineo inficiat, si aliquamdiu steterit, crassamentum deponere solet nigrescens, sanguinem grumosum exacte referens. *Mictus cruenti, causæ variæ.*

Art. 1713. In genere tollenda est sanguinis acrimonia; remedia ad *hæmoptysin* dicata conducunt; *venæsectio* interdum locum habet; *cathartica* non conveniunt excepto *rhabarbaro*; semen *hyosciami*, sicut in aliis hæmorrhagiis, vim singularem obtinet. *Indicatione curative.*

Mayerni sententia.

Art. 1714. In mictu cruento intentiones sunt, ut humorum acrimonia, si adsit, obtundatur, aut impetus minuatur; inflammatio si adsit, tollatur, & vasa consolidentur & constringantur. *Intentiones.*

Art. 1715. Vidi quemdam, annorum circiter 40. qui a retentricis renum imbecillitate & vasorum laxitate tantum cruoris fundebat cum urina, ut corpus macilentum, exangue & pene tabidum evaserit, pulsum habens languidum ac febrilem. Eo usque res devenerat, ut refrigerata *Curatio singularis.*

rata urina, inconcoctus sanguis in ea concresceret albicans, & gelatinæ potius quam sanguini affinis. Vano labore assumptis & adhibitis omnibus remediis, tandem intra tres quatuorve dies convaluit, hausto quotidie mane *lacte vaccin.* recens mulcto supra ramum *menthæ rubræ*, eoque calente ex animali, dulcorato satis *syrupo cydon. & cinnamom.* plures annos supervixit.

Friderici Hoffmanni sententia.

Phlebotomia quando adhibenda.

Art. 1716. Si malum a criticis hæmorrhagiis suppressis oriatur præcipuum tam ad curationem, quam ad præservationem in venæ sectione repositum est momentum; quare sanguinis missio in principio largior quidem instituenda est. Quando vero sanguinis mictus suas servat periodos, duabus vel tribus ante accessionem horis vena pertundenda, & prout corporis conditio fert, sanguis emittendus.

Mictus sanguinei curatio.

Art. 1717. In mictione sanguinis ab ulcerato rene vel vesica, vinum album mellei coloris jucundissimum, probe temperatum bibendum peritissime suadet *Hippocrates*. Alvi laxitas item concilianda est rhabarbarinis præcipue passulis mixtis, ut sunt passulæ corinthiacæ, solutione rhabarbari per blandam inspissationem laxativa reddita, vel pulvere rhabarbari cum cremor. tart. nec non clysteribus emollientibus. Fervor sanguinis temperandus nitratis & pro vehiculo, sero lactis dulci & acidulo, aqua decocta hordeo vel sola etiam aqua pura fontana. Vasa nimium laxata leviter adstringenda decoctis vel infusis ex leviter vulnerariis: ut agrimor. heder. terrestr. equiseto, millefol. cum summit. virga aurea, rad. consol. maj. cum melle Prussico renibus mirum amico, quæ decocta pro re nata

etiam

etiam misceri possunt cum lacte. Renibus aut vesica exulceratis conferunt, syrup. dialthææ Fernelii, item decoct. Foresti nec non ejus, quod Minsichtius contra mictum cruentum laudat. Facit hic quoque infusum, quod præter jam dictas herbas vulnerarias cortic. rad. acaciæ; gummi cerasor. habet.

Art. 1718. Ad dysuriam immo ischuriam, quæ frequens & periculosum renalis, vel etiam vesicalis hæmorrhagiæ symptoma esse solet, dum sanguinei grumi ureterum principium, ubi vesicæ inseruntur, vel ipsius sphincterem vesicæ obstruunt; non certe efficacius, & promptius auxilium, quam aqua pura calida, copiose hausta, & exterius balneum applicatum prostat. Tum quoque præstat aquam tepidam syringa in urethram, & vesicam injicere, quo acris humor diluatur, & grumuli hi dissolvantur. Atque etiam ipse Hippocrates eadem hæc remedia commendat, lavacrum nempe aquæ calidæ, & tepefactoria ad locum affectum apposita. Quodsi vero ob grumos sanguineos in ipsa vesica, seu sphinctere ejus obvios spasmi oriantur, ut inde totalis, & pernicialis ischuria non inducatur, interne emulsionem ex seminibus quatuor frigid. cum lapid. cancror. & nitro; externe vero vesicam repletam decocto flor. emollient. ex lacte abdomini applicatam, nec non alvi apertionem, cum manna, vel clystere emolliente, & oleoso, usus deprehendimus longe præstantissimi.

Farrago sententiarum.

Art. 1719. Interdum aucto corporis motu cruentum lotium absque labe renis vel calculi præsentis suspicione potest accidere. *Boerhaave.* *Quandoque accidit nullo existente calculo.*

Art.

Lac ovillum. *Art.* 1720. *Lac ovillum* maxime laudatur a *Foresto*; sæpe, inquit, sanguinis mictum solo *lacte ovillo*, nempe sumendo *lactis* ℥iv. & *bol. armen. ver.* ʒj. curavi. Idem etiam laudant *Hollerius* & *Duretus* ex *Hippocr.* & *Avicenna*.

Sanis quandoque accidit. *Art.* 1721. Constat mictionem cruentam statis periodis recurrentem ob hæmorrhoides suppressas quibusdam sine sanitatis detrimento accidere; hinc verum est illud *Hippocr.* quando ait, quod sanguinem mingere raro quidem, & sine febre ac dolore nihil mali significet, sed lassitudinum solutio fiat.

Remedia varia. *Art.* 1722. Remedia ad hunc affectum curandum a capite de *hæmorrhagia* petenda sunt. *Stercus porcinum* apud rusticos est remedium certissimum pro jumentis sanguinem mingentibus. *Radix symphyt. in lacte chalybeato coct.* quibusdam profuit. *Electuarium Boyleanum*, *decoct. catechu*, *decoct. incrassans*, *haustus japonicus*, *nitrum saturnisatum*, *trochisci Gordonii*, &c.

Si sanguis purus mingitur. *Art.* 1723. Si excretio sanguinea effusissima sit cum summa virium jactura, mixturam adhibet Sylvius efficacissimam ex aq. plantag. unc. ij. portulac. cinnam. acet. destillat. ana unc. j. sem. coral. rubr. pp. lapid. cancr. terr. sigillat. ana ℈j. laud. gr. iij. syrup. corall. Quercet. vel de symphit. Fernel. q. s. ad gratum saporem.

Ad urinam sanguinolentam sapo venetus ad ʒj. bis terve per diem sumptus cum aliquo vehiculo multum valere ait Boylius; ut & flores consolidæ majoris in vino rubro cocti, & bis in die assumpti.

Ulceris inde relicti curatio. Ulceri fortassis relicto abstergendo conducunt præsertim decocta vulneraria cum balsamo sulphuris, extractum hyperici, consolidæ, verbasci, pulveres sarcotici dicti, terebinthina, tragacanthum, cera. Sylvio perutiles censentur inje-

injectiones ex decocto plantarum aromaticarum in aqua, vino, vel hydromele, addito balsamo sulphuris, vel Peruviano.

Art. 1724. Mictum cruentum nasci posse a cantharidibus negat *Sennertus*, testaturque etiam ab usu interno cantharidum se numquam tale quid observasse; contrarium tamen testatur *Langius*, qui a cantaridum sola externa applicatione pro vesicatorio mictum cruentum observavit. Id ipsum confirmat Boyle qui simul refert exemplum *Michaelis Pascalis* Chirurgi, qui cantharides in pera gestando mictum cruentum sibi contraxit. *Mictus cruentus a cantharidibus.*

Art. 1725. Probe notetur circa usum adstringentium, nequis abutatur illis in omni mictu cruento; tantum enim abest, ut locus sit ipsis, ubi malum ex translatione sanguinis ex alia parte, aut evacuatione critica, & naturali originem sumat, quin potius illis in casibus notabiliter noceant, naturæ conatum impediendo. *Langius.* *Nota bene.*

DE URINIS:

Inter legendum & ex observatione.

Art. 1726. Urina præcipue ex aqua, sale, & terra conflatur; & quo plus salis respectu aquæ in se continet, eo rubicundior est, & quo minus, eo pallidior; & quo plus terræ, eo magis contentis saturatur, & contra; si itaque terra & sale multo abundet, dicitur urina crassa, si pauco, tenuis: atque hinc quidem oriuntur maximæ urinarum diversitates, ex quibus deducuntur judicia, scilicet, a *consistentia*, *colore*, & *contentis*; adeo ut quicquid de urina aliqua particulari pronunciari potest, huc tantum re- *Urinarũ compositio & diversitas.*

deat; scilicet hanc urinam plurimum salis continere & terræ parum; secundam multo salis & terræ abundare, tertiam ex modico sale & terra & plurima aqua conflari, & sic de reliquis.

Colores varii. *Art.* 1727. Colores urinarum sunt albus, fulvus, flavus, rubeus & niger. *Albus* est vel *tenuis lympida* & *aquosa*, vel *crassior* & *subalbicans*, quæ juri carnium semicoctarum assimilatur; & hujusmodi lotium plerumque reddunt pueri, dum febricitant, & etiam ii, quorum viscera lumbricis scatent, & non solum hi, sed etiam pueri sæpissime, qui optima valetudine fruuntur, adulti quoque nonnunquam, ut taceamus fluore albo vel gonorrhœa laborantes, in apparatu variolarum, ut ipse sæpissime observavi, excernunt *albicantem* urinam. *Alba remissior*, ut *lactea*, & *glauca*, incipientibus, & increscentibus febribus reddita, copiam materiæ putridæ, naturæque laborem demonstrat; quod si autem diutius fertur, longi frigidique indicium morbi præbet.

1. Urina alba.

Tenuis & aquosa. *Art.* 1728. Urina *tenuis* & *aquosa* in plurimis morbis occurrit; talis redditur in affectibus ventriculi, & indigestiones ac cruditates plerumque denotat; item in chlorosi, cachexia, hypochondriacis & hystericis affectibus; hujusmodi urina tenuis & aquosa copiosa quantitate non raro est signum animi perturbationum, & sæpissime paroxysmorum hystericorum vel affectuum quorundam spasmodicorum prodromus, unde conjicere licet hos affectus a salibus urinosis provenire, vel saltem iisdem foveri. Tenuis urina quoque conspicitur in diabete, hydrope, aliquando in apparatu variolarum, frequentius in declinatione. In nephriticis paulo ante paroxysmum, denique a compotatione aquarum mineralium aliorumque liquorum tenuium, spirituosorum, diureticorum, &c. In febribus male ominatur;

a tur-

a turbida & crassa in tenuem & aquosam mutata; est signum imminentis phrenitidis, scilicet, per materiæ febrilis in cerebrum metasthesin.

Art. 1729. *Fulvus* sive *citrinus color* in urina statum naturalem utplurimum denotat. Et quoad quantitatem urina debet esse in proportione aliquanto minori (forsan subtripla) liquorum assumptorum: ab hac norma vero non raro deflectit, nunc superabundans, nunc deficiens. *Citrina.*

Art. 1730. Urinæ *flavæ* sive *aureæ* duo sunt gradus, viz. *flammea*, quæ in febribus tertianis, ut etiam in variolosis, & non raro in benevalentibus cernitur: Et *crocea*, quæ hystericis, scorbuticis, hypochondriacis, ut etiam iis, qui rhabarb. crocum, folia sennæ, &c. comederunt, plerumque cernitur. *Flava sive aurea.*

Art. 1731. Urina *rubicunda* est signum febricitantium, sed non proprium; nam in scorbuto diuturno urina tam intense rubescit, ut non magis in febre ardente, in arthritide quoque urinæ intensa rubedine saturantur. *Rubicunda.*

Art. 1732. Urina *viridis* ac *nigricans* est signum plerumque morbi cujusdam virulenti aut venenati, aliquando in febribus quartanis conspicitur, ut etiam in puerperis, & iis, quæ menses habent obstructos (teste *Galeno*), in calculosis etiam post calculum foras eliminatum, in melancholicis purgatio non operans urinam facit nigram; cassia & alia quædam pharmaca intus sumpta lotium atrum reddunt. *Viridis ac nigricans.*

Art. 1733. Contenta urinarum respectu locorum in matula tria nomina sortiuntur, viz. in summitate *nubeculam*, in media *enæorema*, in ima parte *hypostasin* vocamus. *Urinarum contenta.*

Art. 1734. Nubecula in urina in morbis tam chronicis, quam acutis est signum redeuntis in

ſtomachum fermenti, & recuperatæ plus minus digeſtionis.

Bulla & ſpuma. *Art.* 1735. In ſummitate urinæ interdum conſpiciuntur *bullæ* & *ſpuma*; talem urinam vidi in mania laborante, in qua ſpuma & bullæ per integram nycthemeram manſerunt, & eadem urina hypoſtaſin valde nigricantem deponebat. *Cremor innatans* in urina phthiſicorum plerumque cernitur, ſed frequentius in hypochondriacorum. Urina in ſummitate *caudam* pavonis repræſentans ut plurimum eſt ſignum ſcorbuti. *Pinguedo* aliqualis & *guttulæ* quædam *oleoſæ* frequenter apparent in urinis febre ardente, colliquativa, aut etiam hectica, ulceribus renum, & ſimilibus afflictorum.

Enæorema. *Art.* 1736. *Enæorema* in praxi quandoque occurrit, ſed nihil peculiare, quod ſcio, indicat; niſi quod in febribus plenioris concoctionis appropinquantis indicium ſit.

Sedimenta varia. *Art.* 1737. *Hypoſtaſes* ſive *ſedimenta* in Urinis ſunt vel alba, vel nigra, vel rubra, aut ſaltem his vicina; *album ſedimentum* in benevalentibus occurrit, *nigrum* in Urinis nigris, de quibus antea. *Rubrum* & *craſſum* ſedimentum ad inſtar pulveris laterum in febribus intermittentibus, & remittentibus, & etiam in ſcorbuto, & colica frequentiſſime occurrit. Quibus febricitantibus, in Urinis ſubſidentiæ fiunt craſſiori farinæ ſimiles, longam infirmitatem ſignificant (inquit *Hippocrates in Aphoriſ.*)

Contenta præternaturalia. *Art.* 1738. Sunt & alia in Urinis contenta, quæ præternaturalia, & quaſi accidentalia dicta ſunt; talia ſunt arenæ, calculi, pus, ſedimenta furfuracea, ſanguis, &c. *Arena* in ſcorbuticis; *caruncula* & ſedimenta *furfuracea* in Urinis calculo laborantium, necnon in veſica & renum ulceribus excernuntur *furfuracea*; ſedimenta aliquando

quando etiam in morbis cutaneis, ut pruritu, ſcabie, &c. occurrunt. Materia *purulenta* non tantum a renibus, verum aliquando a veſica, & meatu Urinario ulcere affectis in lotio deponitur; quandoque e vaſis, & locis genitalibus ſanies, ſemen corruptum, & fluor albus Urinis ſuffunduntur, & ſubſidentias purulentas efformant; peſtremo ſedimenta purulenta in Urinis peripneumonia aut empyemate laborantium reperiuntur, quæ etiam morbum ſolvunt. Urina *cruenta* non tantum in calculoſis occurrit, ſed etiam in pleriſque ſcorbuticis multo cum levamine, modo limites non excedat; nec defuerunt quædam fœminæ, quæ ſua catamenia per vias urinarias inter lotium per multos annos innocue emiſerunt, hujuſmodi hiſtoriam habemus apud *Hollerum*, &c.

Art. 1739. Poſt omnia vero quotquot dicta fuerunt (ut proverbiali utar dicto), *urina eſt meretrix & mendax*; nihilominus urinarum inſpectio in praxi medica eſt uſus eximii, modo cum riliquis ſymptomatis diligenter penſitatis conjungatur, tum ad judicandum ægritudines earumque ſtatum, tum etiam ad curandos morbos. Ideoque periti, & fidelis eſt medici operam dare, ut, quod artis eſt de Urinis, haud temere negligat, neque artis ſuæ limites tranſiliat. *Corollarium.*

CAPUT VIII.

Sive Fasciculus Morborum octavus.

CORPULENTIA NIMIA.

Ettmulleri sententia.

Corpulentia sive obesitas.

Art. 1740. Corpulentia nimia sive obesitas nimia, est, quando corpus totum tam venter quam artus in tantum augentur, ut actiones, imprimis motus ac respirationis, aut omnino impediantur, aut insigniter vitientur. *Sennertus* refert mulierem 450℔. item virum 600℔. pendentem. Prostant exempla apud *Schenckium* corpulentorum obesitate suffocatorum. „ Obesitas nimia corpus reddit variis mor-„ bis obnoxium, speciatim apoplexiæ, asthma-„ ri, hæmorrhoidibus, calculo, ulceribus cru-„ rum, hydropi, &c.

Difficile tollitur.

Art. 1741. Ad obesitatem tollendam non datur præstantius remedium quam *acetum scilliticum* jejuno stomacho haustum. Semen *fraxini* seu *linguæ avis* ad ℥j. mane in haust. vini propinatum insigniter commendatur ad evacuandam urinam, ratione cujus, & hydropicos curat, & crassos emaciat.

Valde obesi quandoque subito moriuntur.

Art. 1742. „ Borellus commendat masticatio-„ nem *fol. tabaci*, sed in omnibus minus con-„ venit, ne ad *tabem* disponat. Qui natura „ sunt valde crassi magis subito moriuntur, „ quam graciles; “ *Hippocratis Aphorism.*

Junckeri sententia.

Art. 1743. Nimia obesitas uti totam vitam satis molestam reddit, ita & in Medicis multas deliberationes excitavit, qua fieri posset ratione, ut ejusmodi subjecta ab hoc onere liberarentur. *Nimiæ obesitatis causa frustra quæritur.*

Vanis speculationibus superstructum est, quod secundum veteres hepar calidum temperare, vel secundum recentiores illud fermentum aut sal subigere, & corrigere quod pinguem lympham coagulat, nuncupatur. Immo nec illa quidem methodus, quæ sanis rationibus innititur, hic sufficit. Licet enim blandæ laxationes, & venæ sectiones æquinoctiales instituantur, excretiones naturales promoveantur, & diæta tenuissima imponatur, hæc tamen omnia obesitati nihil detrahunt.

Art. 1744. Multo minus operæ pretium faciunt illa remedia, quæ specifica passim celebrantur ex. gr. piper, sal absinth. succus citri, acet. squillit. decoct. lign. sanct., masticatio fol. tabac. & similia. Exiguum etiam emolumentum afferunt chirurgica præsidia: videlicet vesicatoria, fonticuli puncturæ cum acubus, ut pinguedo effluere debeat. *Plurima remedia celebrantur inutilia.*

Art. 1745. Per salivationem, fortissima purgantia, freqüentes sudationes, & alia impetuosa remedia corpulentiam nimiam removere, temerarium, & periculosum est tentamen. Febres acutæ atque intermittentes auferunt quidem sæpius obesitatem ad summam usque corporis emaciationem, sed non raro, quod consumptum est, mox recuperatur. *Quadã etiam noxia.*

Art. 1746. Moderatus usus thermarum, & acidularum salutaris quidem subinde observatur, *Nonnulla qua*

magis valent. tur, ita ut corpulentiæ quid detrahat, & speciatim sterilitatem in obesis fœminis auferat, attamen brevi post pondus pristinum resarcitur.

Hinc nisi vita otiosa, & sedentaria in laboriosam, eamque sufficienter per prudentes successus, & gradus mutetur, reliqua omnia erunt manca, & inepta. In laboriosis enim quamquam habitus corporis pinguis nonnumquam reperiatur, ad excedentem tamen corpulentiam non pertingit.

CACHEXIA.

Cachexiæ causæ. *Art.* 1747. „ Cachexia ita dicitur a corporis „ malo habitu; nascitur plerumque ex intem„ perantia ægrotantis, vel alicujus morbi præ„ gressi mala curatione; a tumore scirrhoso je„ coris vel lienis, vel a fluxu hæmorrhoidum „ nimis longo, & profuso, vel aliis hæmorrha„ giis; ex febribus continuis diuturnis, vel in„ termittentibus male curatis; ex crapula, vel „ nimia spirituosorum liquorum ingurgitatio„ ne; ex chlorosi, catameniorum obstructio„ ne vel fluxu nimio, & ex innumeris aliis „ causis.“

Signa diagnostica. *Art.* 1748. „ Signa diagnostica sunt pallor su„ balbidus, aliquando etiam plumbeus color, „ debilitas ac piger corporis motus cum infla„ tione aliquali, in quibusdam ventris fluor „ cum febricula vesperi recurrente, pulsus cre„ ber ac densus, cibi fastidium, & vini magis „ appetentia, urina biliosa, interdum vero ru„ bicundissima, frequenter autem cruda, & „ pallida.“

Cœlii

Cœlii Aureliani ſententia.

Art. 1749. Cachexia nomen ſumpſit a corporis habitu malo. Ejus curationem ante *Themiſonem* nullus ordinavit. Fit autem ſive naſcitur hæc paſſio intemperantia ægrotantis, vel curatione mala medicantis, aut poſt ægritudinem tardæ reſumptionis cauſa; item ex medicaminibus (in primis purgantibus) ſæpiſſime potatis, vel ex ſaxea duritie jecoris aut lienis, vel ex fluxu hæmorrhoidali longiſſimi temporis, aut vomitu &c. *Cachexia cauſa.*

Art. 1750. Eſt autem hæc paſſio ſæpiſſime hydropiſmi antecedens cauſa, aut macularum in ſuperficie corporis accidentium. Sequitur cacheticos pallor ſubalbidus, aliquando etiam plumbeus color, debilitate tardus, & piger corporis motus cum inflatione inani, in aliquibus etiam ventris fluor cum febricula in plurimis latente, quæ circa veſperam magis augetur; pulſus creber ac denſus, cibi faſtidium, & vini major appetentia, urina fellea, & extenſio venarum. *Effectus.*

Art. 1751. Hujus morbi curationem elegantius ſic exornat Ægineta: ſanguis ſi nihil prohibeat pedetentim, & partitis vicibus per triduum aut quatriduum exhauriendus eſt: evacuandi autem maximæ ſunt, qui ob hæmorrhoidalis aut menſtrualis expurgationis retentionem in hanc affectionem inciderunt. In iis vero, qui ob humorum plenitudinem hoc malo conflictantur, ab evacuatione ſanguinis per venam abſtinendum: omnino vero hiera ex colocynthide apparata purgandum. Victus ratio hoc malo implicitis tenuis ac ſiccifica ex uſus eſt. *Curatio.*

Naturalium aquarum uſus conceditur maxime,

me, quæ aluminis, & nitri mixtura constant; deinde quæ sulphuris naturam habent. Mirifice autem ipsos juvit delibatio juris absinth. & dropaces. Quodsi affectus in aquam intercutem deciderit, tum hydropicorum curatione subveniendum est.

Ettmulleri sententia.

Cachexia descriptio. *Art.* 1752. Cachexia est affectus in quo nativus, & floridus cutis color, ac imprimis faciei nitor perit, mutaturque in pallidum, lividum, luteum, virescentem, intense rubicundum, &c. frequenter cum corporis habitu subtumido, lassitudine, &c. adest sæpe febris lenta, ægro vix sensibilis.

Curationis methodus. *Art.* 1753. Principium curæ a ***vomitu*** faciendum est: attamen ante vomitorium consultum erit, ut *digestiva salina* præmittantur cruditates solventia, ut ***crem. tartar. vitriolatum***, ***sal digestivum hypochondriacum***, dos. a ℈j. ad ʒß. bis in die; ***sal. absynth. tinctura sal. tartar*** &c. ***item pulveres absorbentes*** dicti, ***antimon. diaphoretic. antihectic. Poterii***; & tunc propinandum est ***vomitorium***, vel, si minus conveniat, catharticum; deinde his ita præmissis fit accessus ad ***martialia***.

Remedium singulare. *Art.* 1754. „ In tota republica medica vix da-„ tur præstantius remedium quam ***mistura ecphra-„ ctica Fulleri***.

Tozzi sententia.

Art. 1755. Cachexia plerumque sequi solet obstructionem, & affectionem hypochondriacam vel scorbuticam, in fœminis autem sæpenumero ab utero oritur, vel ob immodicum menstruo-

ſtruorum profluvium, vel ob eorumdem ſuppreſſionem. Neque vero ſolum fœminis ſed viris quoque viſcerum infarctus Cachexiam attulere ex Anotomicis obſervationibus Bartholini, Lotichii, Highmori, Hildani, Heurnii, & aliorum.

Art. 1756. Cachexiam diutius protractam inſequitur Hydrops, qui in Aſcitem Tympanitem, & Anaſarcam communiter dividitur ut paulo ſupra. Ad ejus cauſam emendandam præter ea, quæ ad viſcerum obſtructiones uſurpantur, ſumme proderit tinctura hæc quotidie mane plures, prout neceſſitas exegerit, repetita. ♃. *Limat. mart. q. v. Tartar. albiſs. duplum decoquantur in aq. pluviæ repurgatæ octupla vel decupla quantitate quouſque pulvis in fundo vaſis ſiccus remaneat. Mox vero extrahatur inde cum ſp. vin. tinctura, & ſeorſim ſervetur. Reſiduum iterum cum ſ. q. ejuſdem Aquæ ad ſiccitatem uſque decoquatur, & tinct. pari modo ut ſupra extractam priori adjice, & tertio id ipſum denuo repete. Tandem per filtrum trajice, & in vaſe vitreo tinct. ipſam ad uſum ſerva. Hujus doſis eſt unc. ſemis.* *Martis Tinct. ſingularis.*

Heiſteri ſententia.

Art. 1757. Si cachexia a febribus intermittentibus inveteratis, vel male tractatis oriatur, primo ad humores noxios evacuandos lenia laxantia, ut pilulæ tartareæ, extr. panchym. *Crolii*, pilul. noſtræ polychreſtæ, Beccherianæ, aliæve ſimiles dandæ, ac deinde medicamenta antifebrilia, ſalina & amara, quo cortic. aurant. cortex peruvianus, & caſcarilla pertinent quæ ſæpius uſurpata maxime conducunt, & præſertim *Cachexiæ a febribus curatio.*

tim etiam vina medicata, quæ præter alia amara, modo laudati cortices ingrediantur.

Ab hæmorrhoidibus aut mensibus suppressis. *Art.* 1758. Si ab hæmorrhoidibus suppressis, tunc præmissis attenuantibus, & evacuantibus, speciatim hæmorrhoides pellentibus, si eæ iterum non fluant, hirudines ano applicabuntur vel venulæ tumentes scalpello aperientur, aut si hoc non placeat, earum loco venæ sectio in pede instituitur, quæ deinde præservationis gratia circa æquinoctia repetitur, idoneo victu subjuncto, & motu frequenti.

Cachexia a mensibus suppressis vel inordinatis requirit, ut fluxus eorum restituatur, atque in ordinem redigatur: quod qua ratione fieri debeat, dictum est, quibus postea roborantia, & tonica adjungentur.

A nimia hemorrhagia. *Art.* 1759. Si ab hæmorrhagiis nimis prægressis cachexia oriatur, blanda analeptica, emulsiones, gelatinæ, & juscula, maxime vero moderata diæta adhibenda, ne copiosioribus alimentis chilus crudus, indigestusque nimia copia generetur: quapropter & blanda stomachica, ac roborantia, præsertim amara, itemque mixtura tonica ex sp. C. C. cum tinct. tart. remixto, vel ex essent. absynth. composita cum essent. chinæ aut cascarillæ, vel & vina medicata amara, & roborantia sunt suadenda, vitando calidiora aromatica, & spirituosa, ne novus orgasmus aut ebullitio in sanguine excitetur, quæ alias novam facile hæmorrhagiam concitaret.

A repulsa scabie. *Art.* 1760. Si a scabie repulsa, purgantia mercurialia, & diaphoretica, sæpe jam laudata, alternatim adhibenda, speciatim vero inter diaphoretica: essentia helenii, & fumariæ, itemque decocta lignorum, sive infusa eorum pugillaria calida, matutino præsertim tempore

cum

cum leni ſudoris regimine, reliquis palmam præripiunt. His denique mixtura tonica aliave roborantia ſubjungenda.

Farrago ſententiarum.

Art. 1761. Cachexia habet pro cauſa vel liquidi nutrientis depravatam indolem ab aſſumptis, quæ non poſſunt aſſimilari reſtituendis, a defectu motus animalis a vitiatis organis, vel vaſorum recepturorum vitium ob nimiam contractilitatem & laxitatem, vel defectum facultatis applicantis, quia vires circulantes ſu t nimis languidæ, & nimis violentæ. *Boerhaavius.* *Cachexiæ cauſæ.*

Art. 1762. Organi sprimarum concoctionum leni digeſtivo, vomitorio, purgante vel roborante probe diſpoſitis; attenuantibus, diureticis & ſudoriferis inſiſtendum aliquamdiu erit, atque ultimo loco calybeata adhibebuntur, Alcalina, ſaponacea, cum exercitio curſus, vectionis, frictionis, balnei. *Idem* *Curandi ratio generalis.*

Art. 1763. Acrimonia humorum poteſt aliquando cauſam dare conſumptioni, & tabi cacheticæ, illamque in hoc morbo adeſſe nonnumquam indicavit Celſus, dum de hoc morbo agens, dixit: *Huic, præter tabem, illud quoque nonnumquam accidere ſolet, ut per aſſiduas puſtulas, aut ulcera, ſumma cutis exaſperetur*, quod ab acrimonia majori humorum ad cutem delatorum fieri videtur. Sed ex tabe inde exſurgente liquido innoteſcit, quod dum acida acrimonia laborant juniores diu, totum corpus miſerrime contabeſcit, ſolo abdomine tumente, & infarcto, a reliquiis indigeſtis ciborum. Sic in ſcorbuto inveterato: ubi acrimonia magna humorum adeſt atrophia ſequitur. Item in cancro exulcerato, dum veris ſanies pro parte reſorpta *Tabes Cachectica.*

ſan.

ſanguinem infecit, videmus toroſa corpora vero maraſmo exſiccari, licet optimorum alimentorum debitam copiam ſumant. Ut autem curatio hujuſmodi tabis Cachecticæ rite procedat prius debet cognoſci acrimoniæ prædominantis indoles propria, quantum per artem hoc indagari poterit. *Van Schvvieten.*

Cachexiæ a primis viis curatio. *Art.* 1764. In Cachexia curanda quando primæ viæ ſunt in culpa vomitorium, vel purgans primo requiritur, poſtmodum in maſſa ſanguinea, ſtagnanſque in partibus pituita facili negotio per appropriata reſolventia, & diaphoretica remedia eliminatur, qualia ſunt: rad. ari, armoratiæ, vincetoxic. cichorii, helenii, zedoar. galang. herb. centaur. min. Card. bened. abſinth. roriſmar. menth. rutæ, ſalv. naſtur. cochlear. ſaturej. thym. puleg. meliſs. hyſſop. Rhapont. dauci, origan. & alia aromatica ac ſalina volatil. præcipue ſal volat. viperarum.

A debilitate ſolidorum curatio. *Art.* 1765. In Cachexia a ſpirituum defectu, & fibrarum motricium languore præ memoratis ſpirituoſa utiliter adduntur qualia ſunt: Meliſſa cum vino, cinnamom. &c. immo ipſe vini ſpiritus, quo *Ridlinus* cachexiam hujuſmodi curaſſe teſtatur, inter cœnandum, & prandendum tantum adhibitus. *Langius.*

Monitus ad praxin. *Art.* 1766. Ad pedum tumores, ne indecore augeantur, faſciæ idoneo modo involutæ faciunt, vel machinæ ex corio vel linteo ad modum tibialium conſtructæ, de quibus vide Inſtitut. Chirurg. *Heiſteri Tab. XXXVI. fig.* 11.

Tandem circa curam Cachexiæ in genere hanc attendat cautelam Medicus, ne remediis fortioribus illam aggrediatur, sed, in quantum poſſibile, leniſſimis, citius enim obtinebit intentionem ſuam, ſi debitam diætam ſimul obſervaverit æger, & animi pathemata rite compoſue-

posuerit. Siquidem novum non est cachexiis felicissime succurri, statim ac ægris animus redit, antea curis, aut aliis objectis adversis pressus. Venus hinc non raro medica observatur, virginumque fœdos colores auferre.

H Y D R O P S.

Art. 1767. Hydrops morbus est auctæ magnitudinis totius corporis vel inferiorum artuum præsertim vero abdominis a lymphæ stasi, quasi ab aqua, quæ consuetum absolvere nequit circulum: unde græci vocabuli significatio derivat. De hujus morbi speciebus omnes sane æque non conveniunt; sed ex Antiquorum mente easdem opportune sic distingui posse percipimus. *Omnes hydropis species.*

1. Hydrops improprie dictus totius corporis Græce *Leucophlegmacia* summus gradus Cachexiæ videtur, quod impedito lymphæ circuitu eadem in vasis suis stagnando, & minimas præsertim intercutaneas arteriolas venulasque comprimendo cutis albedinem atque omnis exterioris corporis habitus flaccescentiam, & turgescentiam producit. Hanc vero speciem sapienter Hippocrates hydropem secundum venas dixit; quamquam nec hydropis vocabulo dignam reputet in Aphoris. 78. Sect. VII. ubi ait: *Leucophlegmati hydrops supervenit.*

2. Hydrops proprie dictus totius corporis Græce *Anasarca*, prima morbi species videtur, cui proprie hydropis nomen conveniat. Hæc nihil aliud est quam gravior Leucophlegmacia, ex eo quia serum sanguinis a vasis lymphaticis per cellularem tunicam tandem erumpit; & hanc Hippocrates *Hydropem secundum carnes*, Galenus *aqua intercutem*, & Serenus Samonicus *lymphaticum errorem* vocarunt.

3. Hy-

3. Hydrops per *diffusionem* quem lympha non per cellularem tunicam, sed in quadam corporis cavitate affatim congregata tumorem edendo producit. Atque hæc species pro diversitate loci: ubi effusa lympha congregatur, varia acquirit nomina: nam in Thorace *Pectoris hydrops*, in Pericardio *pericardii hydrops*, in Capite *Hydrocephalon* &c. vocatur. Ubi vero Abdomen tenet tunc triplicem subit divisionem puta: in *Ascitem*, *hydropem cysticum* vel *vesicalem*, & *hydropem Peritonæi*, de quibus omnibus singillatim infra.

4. Hydrops *Tympanites* abdominis, in quo venter non magis aqua, quam contento aera turgescit, quæ species improprie hydrops diceretur si nisi ex aere esset, sed quia una cum eo etiam plurima aqua seu limpha semper invenitur, sicut ipse ascites omni aere non caret, ideo nec perperam Tympanitidi hydropis nomen tribuitur, nec omnis abdominis hydrops unius speciei semper reputandus.

LEUCOPHLEGMATIA,

Leucophlegmatia unde. *Ejusdem signa.*

Art. 1768. „ Quoties in toto habitu pinguedinis subcutaneæ lympha stagnat, vel effunditur, hydrops oritur ἀνὰ σάρκα, ὑπὸ σάρκα, λευκοφλεγματία, qui & circa abdomen, & circa scrotum. " *Boerhaave.*

Aretæi sententia.

Binæ Leucophlegmatiæ species.

Art. 1769. Si omne corpus intumescat præter Ilia, & ventrem ex alba pituita crassa, & viscida morbus *Phlegmatias* dicitur; si vero carnes liquatæ sint in humorem sanguineum, aquosum, & tenuem, qualis ab intestinorum ulceribus

ribus emanat, cujus similis effluit, vix ac alicubi cutis superficies vulneratur morbus dicitur *Anasarca*.

Art. 1770. In utroque hydrope sub tumore omnia mala delitescunt, somni sunt graves, torpentes, breves, animi languor, circa minima quæque solicitudo, vivendi cupiditas, tolerantia non ex animi alacritate, ac bona spe, ut in iis est, qui prospera fortuna utuntur; sed ex ipsa morbi natura; neque causa dici potest, sed mirari tantum id licet, quod mehercule magnum est; namque in aliis haud omnino perniciosis affectibus ægrotantes abjecto sunt animo, tristes & mortis amatores; in his vero, & bene sperant, & vitæ cupidi sunt. Interea colore ex atro viridique permixto infecti sunt, oscurasque, & nigras venas habent. *Utriusque symptomata.*

Inter hydropes leucophlegmatia mitior habetur: nam multæ & variæ sunt ejus tollendæ prosperæ occasiones, sudoris nempe aut Lotii excretione, aut alvi nonnumquam copioso effluvio. *Prognosis.*

Art. 1771. Morbum hunc describit Cœlius Aurelianus: quod mollis sit atque humida inflatio ventris, ac vultus, & crurum, & scroti, vel præputii, relucente liquore per cutem albidi coloris, item cum oris vel spirationis, sive anhelitus fœtore: totius corporis gravedo, & impressioni digitorum cedens tumor ita, ut paululum cava permaneant loca. Aliquibus etiam alborum atque crassorum humorum vomitus, vel per ventrem egestio: unde etiam nomen passio sumpsisse a græca derivatione videtur; *leucon* enim albidum, *phlegma* humorem crassum vocaverunt, vel quod ægrotantis color albidioris pituitæ imaginem referat. *Descriptio altera.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1772. Signa Leucophlegmatiæ sunt totius corporis tumor albus, mollis, laxus, revera œdematosus in pedibus ac cruribus potissimum, & manibus, bibendi desiderium, urinæ tenues, albæ, &c. incipiente cachexia (inquit *Lommius*) „ vitiatur cibi concoctio, incolumi etiam appetentia: progressu vero temporis hæc quoque offenditur: spiratio debilis ac rara, alvus varia ac inæqualis est, atque hujusmodi *cachexia cruda* seu *pituitosa* nominatur, hydropis speciem antecedit, venturamquæ prænunciat, quam λδίκοφλεγματίαν *Græci* nominaverunt.

Curatio. *Art.* 1773. Præter *purgantia & martialia*, &c. in cura *cachexiæ* superius laudata, hic conveniunt *sudorifera* & *diuretica*, speciatim decoctum *ligni guaiac.* &c. *Lixivium ex ciner. absynth. genist.* &c. post *martialia*, *amara* (& *stomachica*) utramque faciunt paginam: In *Anasarca* conveniunt *folia virid. bardanæ* plantis pedum, & juncturis applicata: nam mirum est quantam uliginem extrahant cum ægrorum levamine.

Vvillisii sententia.

Anasarca. *Art.* 1774. Anasarca est totus corporis exterioris, aut quarundam ejus partium, tumor albus, mollis, tactui cedens, & foveam a compressione relinquens.

Curatio. *Art.* 1775. In curanda anasarca *lixivialia* cæteris diureticis longe præstant. ♃. *Ciner. genist. ad albedinem calcinat. & cribrat.* ℥iv. *ponantur in lagena vitrea cum vin. alb.* ℔ij. digerantur clause & calide per hor. iij. vel iv. dein coletur vinum

num dos. cochl. vj. vel viij. bis in die. ♃. *Ciner. genist. alb. & mundat.* ℔ij. *rasur. lign. sassafr.* ℥iij. *rad. galang.* ℥j. *bacc. junip. sem. dauc. ana* ℥jß. f. saccul. pro cong. iv. cerevis. post 7. vel 8. dies hauriri incipiatur. *Chalybeata* in hoc morbo sæpenumero egregie prosunt, & aliis præstant præparatis, quæ *sulphure* non spoliantur; ♃. *Rasur. lign. sanct. sassafr. ana* ℥iv. *rad. irid. florent. calam. aromat. galang. minor. enul. campan. ana* ℥iß. *bacc. junip. laur. ana* ℥ij. *sem. anis. carui, fœnic. dulc. coriandr. anath. ana* ℥iß. *piper. long. cubebar. ana* ℥iß. *caryoph. N. M. zinzib. ana* ℥ß. *piper. Jamaic.* ℥ij. *fol. sicc. salv. scord. calamenth. agrimon. ana* mj. *liquirit.* ℥iij. *incis.* & contus. coq. in aq. font. cong. iv. ad mediet. colatura servetur in lagenis vitreis ad usum; hujus potu constanti plures Anasarca fere deplorata laborantes convaluisse novi, p. 254. Medicamentum sequens, *Radcliffeanum*
„ *fuit præscriptum.* ♃. *Cort. interior. sambuci* m.ij.
„ *summit. absinth. Roman.* mß. *rad. gentian.* ʒß.
„ *sem. sinap. dauc. sylv. ana* ʒiij. *infund. in vin. alb.*
„ *Gallic.* ℔ij. Bibat. haustul. ter in die.

Farrago sententiarum.

Art. 1776. Anasarca totius Corporis potius quam imi ventris affectus sic describi potest, quod sit totius corporis exterioris, aut quorumdam ejus partium tumor albus mollis, tactui cedens, & foveam a compressione relinquens, ab humore aquoso extravasato, atque tum intra musculorum interstitia, tum intra carnium, cutis, imo glandularum, & membranarum poros aggesto procedens. *Definitio.*

Art. 1777. Hydropem Anasarcam, & vena secta interdum, & purgatione curare oportet inquit *Trallianus* quantum vires permittunt. Se- *Anasarca interdum sanguinis*

 cus

emissionem exigit. cus commode sanguis detrahitur ubi vires recreatæ, & copia vitiosi humoris Picra levata fuerit. Post usum vero eorum, quæ aperiunt, materiamque fluxilem reddunt, transeundum est ad ea quæ tuto, & paulatim evacuant. Explicat autem sanguinis missionem faciendam esse, in quibus & maxima est obstructio, & inflammatio scirrhosa.

In eadem insolatio proficua. *Art.* 1778. *Celsus* vero partes quæ tument Soli subjicere jubet, sed non nimium ne febricula incidat, & si vehementior est caput velandum, tum frictiones laudat madefactis tantum manibus aqua cui sal, & nitrum, & olei paulum sit adjectum.

Tum tibiæ incisio. *Art.* 1779. In Leucophlegmatia incisio in tibie parte interiore fieri debet, duobus super talum digitis, ita ut vulnus ad cellulosam membranam nec ultra penetret, quo per dies aliquot frequens humor feratur, crus autem interea fovere oportet decocto herbarum emollientium, & calidarum, adjecto spiritu vinoso, cui addita sit camphora. Hanc medicinam non tantum in hac morbi specie, sed & in ipso ascite multum profuisse, quin & interdum sanasse multoties expertus sum; profluente per multos dies, tanta liquoris copia, ut fidem superet. Ita *Meadius* quem verisimile credimus hujusmodi remedium a *Celso* mutuatum esse. Inquit enim: „ Incidendum quoque est super talum „ quatuor fere digitis ex parte interiore, qua „ per aliquot dies frequens humor feratur, at- „ que ipsos tumores incidere altis plagis opor- „ tet „. Monitum vero addit insuper *Meadius* quem plurimi facimus, videlicet cavendum esse, non in ea tantum incisione, sed & in omnibus, quæ in quacunque corporis parte aquæ educendæ causa fiunt, ne nimis inde exhaurientur

tur

tur vires, quas æque prosternit humor ita emissus, ac si sanguis tantumdem effluéret.

Art. 1780. In hujusmodi hydrope quoque præstant stuphæ siccæ, sive sudatoria in lecto secundum artem facta, modo febris absit. *Remedia alia.*

Anasarcam catharticis validioribus impeti cum *VVillisio* vel *Sylvius de le Bois* sentit, *Barbette* contra cum Antiquis placet evacuatione per epicrasin curare. De utroque purgantium genere nos summopere ambigendum credimus, utiliora namque diuretica, & sudorifica reputamus.

ASCITES,

Cœlii Aureliani sententia.

Art. 1781. Generatur hydrops (præcipue ascites) ex accedentibus plurimis, atque diversis causis, ut cachexia, febribus in corpore tardantibus, item duritie, & saxea densitate jecoris, vel lienis, aut stomachi, vel peritonæi membranæ aut matricis: item spirationis difficultate quam græci dispnoeam vocant, vel ventositate stomachi, aut coli, aut ventris passione quam coeliacam vocant: item longi temporis dysenteria, vel in fœminis menstrualis fluoris retentione: item hæmorrhoidarum veterum repentina, atque incondita curatione facta abstinentia, vel coacervata bibentium transvoratione, & magis si salsa fuerit aqua; item medicaminum frequentata potione, & horum similibus. *Omnis hydropis causa.*

Art. 1782. Asciten sequitur ventris inflatio, vel extantia, & pro corporis motu liquoris sese collidentis sonitus ad concussum palmæ tanquam semipleni utris resonus; item cum ex uno latere in alterum æger vertitur, & palma impressa, demersio & resurrectio liquoris. Supe- *Diagnosis.*

.iores vero partes siccæ sunt, & tenues perinde ac cutis secundum ora, vel colla, aut jugula, vel pectora extenderetur. Jacentibus præterea ægrotantibus diffusa, atque latior tumoris extantia fit, surgentium vero vel stantium major, atque extenta.

Crescente passione corporis frigus atque torpor accedit, aliquando etiam tussicula, & stercorum vel urinæ suppressio, & per ventrem fluidior exitus, & apprehenso scroto atque veretro extans inflatio reduplicata, quia veretrum ipsum tamquam in nodum torquetur, & aliarum partium surgens tensio sicut in leucophlegmatia.

Prognosis. *Art.* 1783. Difficiles curatu sunt hydropes a saxea duritie facti alicujus visceris, a dysenteria, a jecore: quam qui a simplici duritie, a nimio potu, & a liene fiunt. Difficilius maribus curantur fœminæ, adulti, & senes quam pueri, vel pubentes, æstate ob multam sitim ægrius quam hyeme. Observat insuper *Hippocrates*: Quibus magni tumores facti emarcescunt, ac rursus attolluntur hi magis convalescunt, quam illi qui ex sanguinis eruptione implentur, seu hydropici fiunt; nam hi hydropes ipsos ægros fallunt, faciuntque ut a medicis discedant, ac pereant. Si autem febris post multum sanguinem sursum ac deorsum eruptum insuper accesserit, & æger multa aqua inde repleatur, hic hydrops brevissimi temporis est, ex quo paucissimi evadunt.

Eum qui ab hydrope correptus est, & superstes esse volet; bonis visceribus præditum esse oportet, ita ut natura se exerat simulque facile concoquat, & bene spiret, sitque sine dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum; Me-

lius

lius est autem, ut tumores potius habeant in extremis partibus. Optimum tamen est neutrum horum habere. Nam molles & graciles esse convenit extremas partes, itemque ventrem ad contactum mollem, tussim vero adesse non oportet, neque sitim, neque linguam resiccari, tum reliquo tempore tum post somnos, cibos libenter accipere, & ubi multum satis comedit non affligi, alvum vero ad medicamenta quidem celerem habere, reliquo autem tempore egerere recrementum molle efformatum; Urinam pro fluidorum ratione, & vinorum mutatione transeuntem. Laborem denique ferre oportet facile, & lassitudinis exortem esse. Homo ita per omnia dispositus securissime sanus fieri poterit; sin minus, sed plurima ex his habeat, spes erit, ut superstes evadat; qui vero nihil horum habuerit, sed contraria eum desperatum esse scito. *Hippocrates*. Lib. II. prædict.

Sydenhami sententia.

Art. 1784. Foveæ a digitorum impressione in surarum parte inferiori, sub noctem imprimis conspicuæ & mane evanescentes, primum hujusce morbi indicium præbent, maxime si adsit dyspnœa. Paulatim crescit morbus, & abdomen quoque intumescit, & reliquæ corporis partes emaciantur. Tria hunc morbum stipant symptomata, *dyspnœa*, *urinæ paucitas*, & *sitis intensa*. Causa hujus mali in genere est debilitas sanguinis. *Hydropis historia.*

Art. 1785. Indicationes curativæ sunt tantum duæ, viz. *aquæ evacuatio* & sanguinei roboris *instauratio*. Magni interest, an æger facile vel difficulter purgetur. *Cathartica fortiora*, & quæ *Indicationes curativa.*

celeriter operantur, mitioribus & segnioribus sunt præferenda, & repetenda sunt, quoties ægri vires ferre queant. Duo sunt medicamenta palmaria; nempe **elaterium**, & infusio **croci metallorum**. Quinam sint meatus isti, per quos aquæ ex abdominis cavitate in intestina deducuntur, incertum est; experientia vero constat a dicto emetico sursum ac deorsum potenter evacuari, & quasi ruptis repagulis pleno alveo effundi. Est etiam aliud medicamentum, quod hunc morbum expugnat, vomitionem ac catharsin ciens pariter ac crocus metallorum; viz. ℞. *Cort. interior. sambuc.* m. iij. coq. in aq. & lact. ana ℔j. ad dimid. Colaturam capiat ægrotus dimidiam vesperi & reliquam mane, repetatque quotidie, donec convalescat.

Sanguis ac viscera corroboranda sunt. *Art.* 1786. Fatendum est tamen, quod in quibusdam casibus **emetica** & **cathartica** malum non tollant, sed potius augeant; rebus itaque sic se habentibus totus curationis cardo in sanguine ac visceribus omni ope **corroborandis firmandisque** omnino vertitur; ad hoc autem magnopere conducunt **aeris mutatio** atque **exercitium**. Ii quorum crases sunt debiliores, quam ut purgantibus ferendis pares sint, *diureticis* evacuandi sunt; illa optima sunt, quæ e salibus *lixivialibus* fiunt, nec quicquam refert e quorum vegetabilium genere cineres petantur: sequente infusione uti soleo; ℞. *Ciner. genist.* ℔j. *fol. absynth.* m. j. vel ij. *vin. Rhenan.* ℔iv. infunde frigide; dos. ℥iv. mane hor. 4^a^ pomerid. & sero.

Diuretica usurpanda.

Stomachica & amara. *Art.* 1787. Aquis his modis eductis ad *corroborantia* deveniendum est; in hunc finem ægrotus bibat vinum & liquores generosiores, item capiat *invigorantia*, *stomachica* & *amara*; primum locum obtinet *chalybs*, *allium* quoque multum confert. Semper recordandum est, quum

san-

sanguinis corroborationi navatur opera, quod tota res in eo solum cardine vertatur, & æger nullo modo expurgandus sit. Morbus ad supremum gradum provectus artis subsidia spernit.

Ettmulleri sententia.

Art. 1788. Hydrops *primarius* per se incipiens plerumque vitio læsæ in primis viis digestionis ortum debet; *secundarius* ex variis causis oriri potest, ut hæmorrhagia, febre intermittente, &c. Hydrops superveniens morbis chronicis, & ætate gravescentibus rarius curatur. Sudor in *ascite* plus nocet quam prodest; evacuationes per alvum & urinam sunt magis proficuæ. In initio Hydrops tanquam *cachexia* curatur. Recte dicit *Lindanus* qui vult curare Hydropem, raro debet purgare, dare tamen tunc debet ea, quæ certo ac vehementer purgant, sed raro; intermedio tempore appropriatis & aperientibus, ac massæ sanguineæ vitia ex cruditatibus orta, ac reliquorum humorum corrigentibus, & in naturalem crasin reducentibus, debet insistere. Instituantur purgationes decrescente luna. „ Qui „ cachexia laborant inveterata (inquit *Dolæus*) „ & qui sunt quasi eviscerati, iis non conducunt *cathartica* nec *diaphoretica*, aut alia ulla „ remediorum genera aquis exhauriendis accommodata, sed solis *corroborantibus* utendum. „ Hujusmodi itaque in casibus sero nimis accersito medico aliud nil quicquam restat faciendum, nisi ut prudenter præmisso permagni „ illius, in quo ægri versantur, discriminis prognostico experimentum faciat, quantum auxilii „ sit sperandum ex usu *cardiacorum martialium*. „ Et si scorbuti labes simul adsit, cum *antiscorbuticis* commixtis res peragenda est.

Methodus medendi.

Art.

Diuretica & purgantia. *Art.* 1789. In Hydrope curando *diuretica* sunt omnium optima, sed semper præmitti debent universalia *attenuantia*, *aperientia* & *laxantia*, alias non tuto ad *diuretica* acceditur. *Purgantia* sunt *cort. sambuci*, *ebuli*, *rad. irid. resin. jalap. gum. gutt.* præ omnibus *elaterium* teste etiam *Lindano*, denique *colocynthis*; inter mineralia, *pilul. lunares*, *mercurialia*, &c. cæterum his purgantibus semper interponenda sunt *stomachica*, inter quæ eminet *absynthium*, *marrhubium*, &c. proximo loco *diuretica* in usum revocanda sunt, *radix allii* multum laudatur (in quibusdam vero intolerabilem capitis dolorem excitat) item *bacc. juniperi*; sed præ reliquis omnibus succus *herbæ kali* ad ℥ß. bis in die in haustul. vin. tribus tantum diebus singulis septimanis usurpetur, alias nimis urinam pellit; item eodem modo cineres *bufonum* ad ℈j. vel ultra. „ Hoc remedio *Romæ* sanatus fuit Hydropicus diu decumbens, „ cui ejus uxor, sumptuum pertæsa, de eo dederat, veneno tollere cogitans, unde copiosum reddidit lotium, iterumque dato pulvere, ut mortem præcipitaret, sed multo uberius reddita præter spem sanatus est vir ejus, „ ut habetur in lib. Vvieri de Lamiis. Helleborus niger (monente *Avicenna*) urinam potenter movet. Hujusce remedii (inquit D. *Freind.* „ Hist. Med. p. 105. vol. 2.) vires frequenter expertus sum, & in Hydrope, confiteor, effectus plus admirandos, observavi, quam ex alio „ qualicunque diuretico.

Vvillisii sententia.

Ascites. *Art.* 1790. Ascites *anasarca* superveniens est facilioris curationis, quam morbus *solitarius* propter tumores circa viscera, vel propter vasa lym-

lymphatica, aut lactea disrupta eveniens. Si quando in Ascite, a cathartico exhibito, aqua copiose cum ἀφορία per sedem evacuatur, indeque abdominis intumescentia quidpiam minuitur, de curatione non desperandum erit, si vero venter plus intumescat, & velut *tympaniticus* evadat, morbi eventum non nisi funestum expectare licet.

Art. 1791. Fœmina ascite gravissima, ac, uti mihi videbatur, deplorata laborans, medicamine seq. per vj. dies continuos assumpto, multo melius se habuit, & brevi postea integre convaluit; ℞. *Gum. gutt. Gamb.* gr. xij. *ol. cinnam.* gr. j. *conserv. rosf. rub. q. s. f.* bolus; dosis indies augeatur ad gr. xx. *julapium* & *elaterium* potentissima *hydragoga* habentur. *Diuretica* quoque in hoc morbo conveniunt; & si cum *tympanite* complicatur, applicari potest *empl. diasaponis*, & injici enema ex *urina sani*, &c. infra descript. *Curatio.*

Boerhaavii sententia.

Art. 1792. Hydrops in genere producitur ab omni causa, quæ valet 1. liquidum serosum ita coercere, ut stagnare faciat in vasis, vel 2. ipsa vasa rumpat ita, ut intra membranulas effundatur, vel 3. vasa reducentia a cavitatibus ita obstruat, ut liquida non exhalent, nec resorbeantur. Causæ hæ sunt variæ, aliquando morbi acuti, tumores scirrhosi alicujus visceris insignioris, evacuationes quæcunque nimiæ, præsertim hæmorrhagiæ, &c. Signa sunt tumores, primo pedum ac crurum, & postea abdominis indies crescentis, hujus extensi sonus in *tympanite*, si percutiatur, in *ascite* strepitus fluctuantis aquæ; at in ascite ab aquis clausis in suis cistis, fallit. Adest insuper dyspnœa, sitis, gra- *Causa hydropis in genere.* *Signa.*

gravitas, torpor, alvus dura, urina pauca, febricula lenta, sudor nullus, macies, vultus livor, &c.

Intentiones curativæ. *Art.* 1793. Ad curationem primo fluor conciliandus est lymphæ *cardiacis*, *roborantibus* & *stimulantibus*, quæ, si sitis valida non urgeat, petuntur ex *aromaticis*, *salinis*, *oleosis*, & *calidis* sub variis formis, inter quas eminet *vinum medicatum* & *infusum nostrum*. Si vero morbus erit validior, & sitis vehementer urgeat, adhibenda sunt *cardiaca reficientia*, *acida grata*, & leniter *aromatica*. Videantur remedia quæ in hoc casu sunt *tartarus vitriolatus*, item *aquæ Spadanæ*, *Tunbrigenses*, &c. tum vin. Rhenan. Secundo liquidi nimia tenacitas (si adsit) tollenda est *salibus alcalinis*, *volatilibus* & *fixis*, item remediis *mercurialibus*, *antimoniatis*, & e *cupro* præparatis. Tertio aquæ in cavitates congestæ educuntur, interdum *Paracentesi*, de qua operatione vid. locum, *emissariis* arte factis, *causticis*, *lanceolis*, &c. (sed huic praxi adversatur *aphorismus Hippocratis*; Hydropicis ulcera in corpore orta non facile sanantur.) *Diureticis*, *vomitoriis*, quæ mirabiliter in hoc morbo prosunt; *catharticis*; *dissipatione*, *calore foci*, *hypocausti*, *furni*, *arenæ*, *salis*, *salis*, *fimi*, &c. tum maxime pertinaci abstinentia a potu, victu panis biscocti cum pauco sale ex pauxillo vini oleosi. Labes viscerum debilitatorum emendatur *chalybeatis* & *roborantibus*, *victu sicco*, *vino veteri meraco*, & *exercitio*. Egregium est vinum chalybeatum, stomachicum nostrum. ℞. *Limatur. chalyb. cort. Peruv. crasse pulv. ana* ℥ij. *rad. rhei pulv.* ℥ß. *vin. hoccomorens.* ℔ij. *infunde frigide*; *dos.* ℥ij. *vel* iij. *ter in die*.

Ma-

Mayerni sententia.

Art. 1794. *Mercurius dulcis* cæteris intactis quasvis causas morbificas aggreditur, & si superari possint, prosternit; sed dandus est iste athleta in debita dosi: scio aliquando huic succedere *ptyalismum*, qui præcavebitur addito *cathartico* satis activo; sed si nihilominus moveatur sputum, nihil est periculi, imo *salivatio* in Hydrope, quamvis semper sit molesta, attamen sæpissime est salutaris. Nihil majus dat Hydropicis levamen, quam larga *urinarum profusio*, idque cum minima virium dejectione. Sales omnes sunt diuretici, verum *nitrum* omnibus præfero, quod sitim, intolerabile in hoc morbo flagellum, extinguit, & calorem præternaturalem visceribus in hac muria mersis impressum egregie temperat. *Ova formicarum* in lacte ebutyrato cocta copiose urinam movent. ℞. *Ovor. formicar. coch.* j. coq. in lacte ebutyrato, exprime & dulcora pauco sachar. detur mane superambulando hor. 4. ante prandium per octiduum. Mulier Hydropica, cui hæc *ova* præscripsi, mire commendavit, dixitque movisse ingentem flatuum copiam, & prolixos crepitus magno cum levamine; dixit etiam frequens primo ortum mejendi desiderium, tandem se fudisse copiosas urinas, ita ut una vice totam repleverit matulam sæpius.

Laus mercurii dulcis.

Nitri.

Ovorum formicarum.

Listeri sententia.

Art. 1795. Quædam Hydropica ab omni potione ex toto abstinuit per mensem; ad sitim autem fallendam sic fecit, tenuem ac parvam particulam panis tosti cum *spiritu vini* intincti

Abstinentia a potu.

super

super linguam detinuit ad salivam potenter movendam, & convaluit.

Abstinentia a potu. *Art.* 1796. „ Pharmacopola quidam, habitus „ obesioris, vir equidem haud mediocris ingenii, neque inhonestæ existimationis, in Hydropem incidebat; valde intumuerunt crura, „ & venter quoque turgescere incepit. Hic ex „ lectione *præcedentis sectionis* animum obfirmavit, & secum decrevit ab omni potu per „ 30. dies abstinere, & abstinuit; unde a morbo gravissimo liberatus est. Idem vir probus „ (ut nuper aliquis mihi retulit) in eundem „ morbum lapsus *eidem experimento* spem omnem sanitatis recuperandæ iterum crediturus est. Huic affinis est Historia *Samuelis* „ *Ongly Equitis aurati opulentissimi*, civibus Londinensibus, dum vixit, satis noti. Hic, cum „ septuagenarius esset, in Hydropem incidit „ deploratissimum, medicis celeberrimis (quibus fretus) prorsus incurabilem. In hoc rerum statu animo secum statuit *se a potulentis quibuscunque ex toto abstinere*: sitim vix „ tolerabilem forti animo aliquot menses sustinuit, ac convaluit; & vixit sex vel septem „ annos ab isto morbo immunis, & non nisi „ biennium circiter abhinc, dum hæc scribo „ mortuus est. Atque hic reticere nequeo (*utcunque me forsitan ludibrio sibi quis habuerit*) „ experimentum, paucis credo adhuc notum, „ curandi intumescentiam crurum equorum mediante nimirum *potus eorum decurtatione*. Hic „ morbus Hippiatris vulgo *The Grease* appellatur, equi hoc malo affecti decumbere omnino respuunt, unde intumescentia valde augetur, & insuperabilis quandoque evadit. Methodus medendi breviter sic se habet. Qui „ curam equi attendit, *duas tantum aquæ libras*

„ ad

„ ad potandum equo præbere solet, mane & „ vesperi, ad dies 6. vel 8. quo tempore cura- „ tio efficitur; crura detument, & equus ad „ dormiendum procumbit, &c.

Art. 1797. Quod ptarmica faciunt in naribus, idem *elaterium* aut *euphorbium* in intestinis efficere videtur, pituitam vehementer movendo. Illud notandum est, *elaterium* (quæ istius medicamenti summa est commendatio) dejectiones movere, *authore Dioscoride*, citra stomachi injuriam, exhiberi potest ad gr. x. ℞. *Elater.* gr. x. *sal. gemm.* ℈j. *miv. cydon. q. s. f. bolus*. In casu ancipiti & moribundo ex dysuria plurium dierum, aliis medicis dimissis, sic hominem restitui; ℞. *Succ. limon. recenter express.* ℥vj. *cochlear. hortens.* ℥iv. *hepatic. plantag. syr. violar. ana* ℥ij. *m.* hujus ℥iv. omni trihorio potavit, postridie urinam copiose reddidit, & postea modicis *hydragogis* detumuit venter & convaluit. Hydrope siccato *aq. absynthii stillat.* in qua *rhabarbarum* maceratum, est usus eximii ad confirmanda viscera. (Virtutes *elaterii* per totam exercitationem summopere extollit author, & revera laudem omnem exsuperat.) „ Hoc remedium „ equidem successu vix credibili aliquoties ex- „ hibui. Anno proxime elapso, verno tempo- „ re, seni asthmaticæ, diuturnitate morbi con- „ tritæ, cui pedes crura & femora valde intu- „ mebant, quod moribundis fere semper eve- „ nire solet, elaterii dosin unam & alteram at- „ que tertiam, interpositis debitis intervallis, „ effectu plane admirando propinavi. Prima „ vice humoris serosi per sedem evacuata sunt „ duodecim pondo, secunda purgatione decem, „ & tertia demum vice, solummodo duo vel „ tria. Atque ita a tumoribus Hydropicis omni- „ no liberata est, & valetudine mediocri vixit

Laus elaterii.

„ us-

„ usque ad initium hyemis, cum, ingravescen-
„ te asthmate, colica vel iliaca passione corre-
„ pta est, ex qua, postquam ultra hominis æta-
„ tem vixisset, tandem naturæ satis fecit.

HYDROPS VESICALIS.

Hydrops Vesicalis. *Art.* 1798. Hydrops abdominis Vesicalis est *ascitis quædam species*, in qua quidem inclusa aqua tumorem abdominis facit, non vero in ejus cavo fluctuans, sed in vesiculis sive hydatidibus innumeris variæ magnitudinis contenta; quæ hydatides nihil aliud sunt, quam portiones vasorum lymphaticorum alicujus visceris, in quibus motus lymphæ est impeditus; unde spatiola inter valvulas, liquore prædicto distenta, in figuras oblongo-sphræoidales efformantur, & totam cavitatem adimplent; ita ut post abdominis apertionem quandoque nihil aut parum aquæ extravasatæ effluxerit. Hic morbus in brutis animantibus frequentius occurrit, præcipue in ovibus. In corporibus humanis exempla prostant apud *Sennertum*, *Tulpium*, *Bartolinum*, &c. Valde curiosum est illud in Collectaneis Gallicanis Acad. Scien. *Memoir.* p. 215. anno 1722.

Historia. *Art.* 1799. Sexennium abhinc historiam mihi communicavit D. *Richardus Blinch. pharmacopola Bidifordensis* juvenis cujusdam nautici, qui ex febre ardente, in qua permagnam frigidæ copiam potasset, in ingentem abdominis intumescentiam incidebat. Applicata erant emplastra, & cataplasmata, ex quibus parum utilitatis: demum loco prominenti ad latus sinistrum umblici caustico imposito apertum est foramen, ex quo *hydatides quamplurimæ prodierunt*, aliæ ova gallinæ æquantes, nonnullæ grandiores, plu-

plurimæ minores, omnes numero ad minimum octoginta. Homo convaluit, & adhuc vivit ab omni morbo immunis.

In Transactionibus Philosophicis N. 370. extat historia cujusdam hominis hujusmodi Hydrope laborantis, e cujus abdomine facta paracentesi exivit ingens hydatidum copia, figura & magnitudine diversarum Num. septem vel octo millium; una cum his etiam evacuata erat magna quantitas materiæ gelatinosæ, coloris grisei & lutei, albumine ovorum aliquanto spissioris. Vid. locum. *Alia.*

HYDROPS PERITONÆI.

Art. 1800. Hydrops Peritonæi est collectio aquæ inter abdominis musculos, & Peritonæum, maxime inter hoc, & tendines musculorum transversalium, unde ex errore quidam authores, anatomiæ ignari, hunc morbum *Hydropem duplicaturæ peritonæi* falso nominarunt. Tumor abdominis aliorsum æquabilis circa umbilicum minus prominet, ob strictam ibidem tendinum muscularium peritonæo adhæsionem; atque hoc *propriam morbi hujusce diagnosin* constituit. Aqua sive lympha eo loci comprehensa, ibidemque moram ducens, carnem muscularem corrumpit, & hinc ulcus sordidissimum internum progressu temporis procreatur. Hic Hydrops *tempestiva paracentesi* forsan sanari potest. D. *Cheselden* vero aliter sentire videtur, Anat. p. 126. *Hydrops Peritonæi.*

Art. 1801. Operatio Paracenteseos cum historia ipsius medicinæ est coætanea, ab *Hippocrate* memorata, & ab *Albucasi* æque accurate descripta ac in nostra ætate. Experientia recentiori docemur aquas una vice ad siccitatem tuto *Paracentesis.*

depromi poſſe, quod praxi in noſtris noſocomiis, & Lutetiæ Pariſiorum confirmatur.

Art. 1802. Memorabilis eſt hiſtoria apud D. *Cheſelden Anat.* p. 187. &c. cujuſdam Aſcite laborantis, qui novies vigeſieſque in uno anno paracenteſin ſubivit, & deprompti fuerunt pluſquam ſeptuaginta aquarum congii. Tribus ultimis ſeptimanis ante obitum *rheumatiſmo* laborabat, & frequenti *narium hæmorrhagia*, quæ immediatæ rationes vel cauſæ mortis ejus videbantur; aperto cadavere jecur repertum eſt ſanum,

Art. 1803. Operatio paracenteſeos non molienda eſt in corporibus valde macilentis, vel ſenio vel tabe confectis, nec (niſi in Hydrope ſubito exorto) in ægris, qui non reſpirandi difficultate laborant, & quorum partes nobiliores adhuc fere ſanæ & integræ ſunt. De operatione, & ejuſdem difficultatibus, vide *Barbette* & alios ſcriptores chirurgicos.

HYDROPS PECTORIS.

Sponii ſententia.

Hydropis pectoris, ſigna diagnoſtica.

Art. 1804. Si Hydrops in pulmone accidat, juxta *Hippocratem*, febris & tuſſis vexant, æger confertim reſpirat, pedes intumeſcunt, ungues incurvantur, & velut empycus afficitur, ſed remiſſius & diutius. Hæc ſigna diagnoſtica Hydropis pectoris apprime ſunt ſcitu neceſſaria; eſt enim morbus ſatis frequens, nec tamen ſatis cognitus; ſed qui iſta ad unguem tenebit, hunc morbum ab aliis facile diſtinguet. Plurima habet cum *empyemate* ſigna communia; ea tamen ſymptomata ſunt remiſſiora, quia ſerum ſive aqua minus impedimenti in pulmonum *bronchiis* & pectore afferunt quam pus ipſum;

at

at diutius durat affectus, quia sero non ita corrumpitur aut opprimitur pulmo, ac purulenta ibidem collecta materia. *Sponii Aph.* p. 145. &c.

Ettmulleri sententia.

Art. 1805. In Hydrope pectoris præter pectoris tumorem, & sensum fluctuationis, adest tussis sicca, difficilis respiratio, orthopnœa, palpitatio cordis, febricula. Ex ruptis vasis lymphaticis oritur, & curatur ut aliæ Hydropis species. De *paracentesi* vid. locum, *p.* 766. *Symptomata.*

Vvillisii sententia.

Art. 1806. In Hydrope Pectoris lympha in compagem pulmonarem restagnante sæpenumero accidit vesiculas, hydatidas dictas, in extima hujus visceris superficie excitari, quæ postea disruptæ *ascitem in thorace* producunt. Hujusmodi affectio in ovibus, quando ob tempestatem humidiorem, & pascua aquosa ab Hydrope gregatim intereunt, passim cernitur. Morbus dignoscitur ex aquarum fluctuatione. Author historiam producit Hydropis Pectoris per *paracentesin* curati; & aliud affert exemplum cujusdam juvenis curati per *cathartica* & *diuretica*. *Hic affectus in ovibus valde frequẽs.*

Art. 1807. De Hydrope ovarii, Hydrope uterino, & uteri inflatu alibi in morbis mulierum dictum est.

PARACENTESIS.

Art. 1808. Paracentesin generatim Medici vocant pectoris, vel abdominis, imo etiam scroti perforationem illam, quæ pro materia purulen- *Definitio.*

ta, cruore, aqua, rebusque id genus aliis præternaturalibus emittendis instituitur.

PECTORIS PARACENTESIS.

Heisteri sententia.

Quo loco fieri debet. *Art.* 1809. Latus affectum in quo materia perniciosa delitescit cognoscitur considerando. 1. in quonam pectoris latere inflammationem atque dolorem æger antea senserit. 2. Deinde ubinam gravitas quædam cum flutuatione fuerit animadversa; 3. tum in quodnam latus cubare commodius æger possit; in hoc ipso enim vitium delitescere solet; nam in latere sano decumbere nequeunt; 4. denique tumor etiam plerumque aliqualis, cum calore vehementiore latus afflictum demonstrat.

Explorato jam latere affecto tutissimum est, operationem sic instituere, ut in sinistro latere inter secundam, & tertiam, in dextero inter tertiam, & quartam costam spuriam, ab infima numerando, eo loco, qui palmam circiter, aut quinque, vel in majoribus hominibus sex digitos latos, ab ipso dorso, atque ab infimo scapulæ angulo abest, foramen fiat.

Quomodo operatio exornanda. *Art.* 1810. Ipsum istum quem indicavimus locum atramento notare convenit; tum ægri corpus pronum quodammodo inclinare, ut ipsæ costæ paulo latius ab invicem diductæ spatium satis amplum pro vulnere faciendo relinquant. Inde vero adducta Chirurgi, & ministri digitis cute, ut in fonticulis excitandis usuvenit, scalpello eadem incidatur, plagaque trium circiter digitorum transversorum inflicta caro reliqua una cum pleura intra binas costas supra designatas transversim diligentissime discetur. Sic

vul

vulnere satis amplo facto digitus in illud immitti debet; & si pulmo forte in vicinia adhæret, ab eo separari; ut contenti humores vitiosi melius effluere queant. In factum vulnus ex D. *Petiti* documento linamentum molle, atque caudæ quasi formam habens, immittatur; quo non tam ipsum vulnus apertum conservatur, quam noxia materia continuo, & optime educi potest. Supra linamentum istud vulneri insertum linamenti carpti, & convoluti portio quædam filo annexa una cum linamentis carptis aliis, emplastro item, & fascia graviter deligantur.

Art. 1811. Diebus sequentibus semel, aut pro re nata, bis etiam, vel ter quotidie vulnus deligare convenit, prout anxietates ægrum sæpius, aut parcius urgent, amissaque, quantum ægri vires permittunt, materiæ vitiosæ portione, bis aut ter in deligationibus singulis liquorem purgantem, eumdemque calidum, injicere, diligenterque rursus emittere. Facere autem in primis hic solet decoctum calidum ex herba quadam vulneraria, nimirum veronica, scabiosa, aut Solidagine Saracenica, cum rosarum melle, atque myrrhæ oleo; quin & nisi tussis ægrum vexarit, cum pauxillo essent. myrrhæ vel & *VVurtzii* balsamo pectorali permixtum. *Garengeotus* persicariæ, atque ubi, ex pleuritide, vel peripneumonia malum ortum est, altheæ decoctum etiam atque etiam hic commendat, quamquam etiam sp. vin. vulgaris, cum antimonii sulphure permixtus haud minorem cum in expurgando, tum & sanando vulnere virtutem exerat. Alii aquam calcis cum mellis rosati portiuncula juncta longe nobilissimam hic esse proponunt. *Deligatio quomodo instituenda.*

Art. 1812. Quo autem melius humores in- *Cautela.*

 jecti

jecti ex vulnere rursus profluant, necessarium semper videtur hominem ægrum in ipsam partem illam, in qua vulnus est, diligenter inclinare, atque ut fortiter spiritum ducat jubere.

Quando injectus liquor ab omni materia vitiosa purus ex vulnere profluit, tunc sane sufficienter expurgatum esse pectus intelligitur, ideoque vulnus ea ratione glutinandum, quam in pectoris vulneribus usurpare solemus.

ABDOMINIS PARACENTESIS

Junckeri sententia.

Tempus hujus operationis.

Art. 1813. Antequam morbus nimium inveteravit operatio hæc instituenda est: sed, vel mox in principio, vel in augmento secus ac vulgo usuvenit, cum ad hanc operationem prius non accedatur quam varia remedia per longum tempus frustra fuerint propinata. Quando eamdem exornare constitutum sit, æger paululum antea ambulet, vel alio modo corpus moveat, ut sedimentum aquarum a fundo quasi excitetur.

Modus eamdem instituendi.

Art. 1814. Deinde sellæ insideat, vel in lecti spondam ita collocetur, ut locus perforandus reliquis sit declivior. Postea minister tumorem manibus suis premat deorsum ad urgendum renisum, & facilitandum instrumenti transitum. Denique acus tricuspidata cannula argentea munita, Gallis *Trocart* dicta, in ventrem quocumque in latere immittatur, & quidem sine metu læsionis intestinorum. Aquæ enim inter hæc, & integumenta multum spatii relinquunt. Quando item locus electionis conceditur, alterutrum latus trium, vel quatuor infra umbilicum, totidemque a linea alba digitorum intervallo

vallo eligitur; necessitate autem urgente punctio in illo loco instituitur, quem tumor quidam quasi monstrat. Si umbilicus ita protuberat, ut aquæ conclusæ levissimum dumtaxat extenuatæ cutis discrimen objiciant, in hoc casu haud difficulter pertunditur, neque alius locus eligendus est.

Art. 1815. Facta perforatione acus extrahitur, cannula autem relinquitur, & per hanc una vel altera libra seri quotidie evacuatur, non tamen continuato, sed aliquoties interrupto cursu: Interea locus perforatus emplastro, & turunda munitur. *Quomodo aquæ extrahi debeant.*

Post singulas aquarum egestiones infimus venter fasciis constringatur, quo ipsius integumenta visceribus conclusis admoveantur. Quando aquæ proventus post abdominis depressionem non magis succedit, fistula extrahitur, emplastrum duplex, & linteamen triplex imponitur. Sic cutis vulnusculum facile coalescit.

Farrago sententiarum.

Art. 1816. Ex ingenti hydropicorum numero quos D. du Verney perforavit, regulæ sibi perspectæ fuerunt, quibus certam prognosin adferre valuit de exitu, quem hujusmodi operatio sibi vindicaret. Eædem vero ita se habent. *Paracentesis prognosis.*

1. Cum effluentes hydropicorum aquæ Ptisanæ citratæ formam referant consistentia mucilaginosæ, odore urinoso, atque sapore subsalsæ sint, quo magis eædem ab hujusmodi qualitatibus recedunt eo minor spes recuperandæ salutis evadit.

2. Ii, quibus aquæ parum a lympiditate fontanæ exhauriuntur, quæque evaporatæ parum quidem sedimentum relinquunt, ut plurimum

occumbunt, eorum quippe venter brevi tempore iterum inflatur, externusque tumor augescendo durescit.

3. Aquarum eductarum graveolentia suspecta prorsus videtur; quæ sunt sanguinolentæ itidem merito timentur, maxime si ex nigredine quadam verissimillimum sit sanguinem, cum diffuso liquore diu in ventre stagnasse.

4. Aquæ luteo vel rubro colore nimium saturatæ pravam bilis qualitatem indicant.

5. Eæ, in quibus filamenta quædam albicantia, & pinguedinosa occurrunt, suppuratum corruptumque omentum ostendunt, atque proinde operationis exitum lethalem.

6. Quibus hydropicis urinæ rubicundæ, paucæ, turbidæque seu lateritiæ remanent, vel quibus ab Operatione ulla absque causa manifesta inquietudo accedit, quamvis plurimum levati videantur, mors ut plurimum supervenit. Id ipsum quoque dicendum est de iis, qui Ictero tentati hydropici facti sunt, præcipue si una cum hydrope etiam icterus perennet, tum etiam de iis, quorum venter mox ab operatione iterum intumescit.

7. Si a Paracentesi æger oppressionibus ut antea exerceatur, indicio est Pectoris hydrope quoque laborare.

8. Quanto a mulieribus aquæ mucilaginosæ educuntur, pro certo habendum est earum hydropem fuisse cysticum, atque adeo rarissime sanabilem.

9. Si ab Operatione alvi fluxus accedat, ab ejus diuturnitate æger exsiccatus, taboque confectus occumbit; hujusmodi enim evacuatio colliquativa semper evadit.

10. Quibus febriles accessus superveniunt a rigoribus indicati, tunc vel interna quædam fit sup-

suppuratio, vel liquorum refluxus evenit. Modo dicti rigores internas contractiones convulsionesque producunt, eodemque tempore tantas virium exinanitiones, ut ægri sæpissime ultimum diem subeant.

Omnes hujusmodi prædictiones ex instituta Paracentesi in Actis Academiæ Regiæ Parisiensis prostant, unde easdem deprompsimus ut in Medicinam exercentium decus, & utilitatem cederent, quæ itidem videri possunt *Memoir. de l'Academie ann.* 1703. *pag.* 150. *& seq. edit. Paris.*

Art. 1817. Quantum vero ad varios pectoris ventrisque hydropes observat D. de *Gorter*, medium ventrem frequentius, ac quis incautus judicaret, hydrope tentari, qui pro varia sede non semper eadem præbet phænomena: 1. quandoque aqua colligitur in pericardio, & *hydrocardia* tunc dicitur, anxietatem inducens, cordis palpitationem, & lypothymiam frequentem 2. Aut in alterutro, vel utroque cavo pectoris simul, vasis lymphaticis ruptis, vel ex hydatidibus exstillat, vel vasis absorbentibus obstructis accumulatur aqua, quæ tenuis si sit fluctuatione concusso corpore, sui indicia præbet: magis vero glutinosa difficile cognoscitur; ut & ille qui implet. 3. Membranam internam bronchiorumque ejusque glandulas; vel 4. Colligitur in cellulis pulmonum vomicas formans, vel hydatides. *Pulmonum & pectoris hydrops.*

Art. 1818. In ventre inferiore plura sunt loca, & viscera, in quibus hydrops generari potest, & hic etiam frequentius conspicitur, quam alibi. Nam 1. si aqua in cavo ventris colligitur Ascites est cum abdominis augmento, & intus flutuantis murmure, ut plurimum etiam cum scroti & pedum intumescentia, superiorumque par- *In inferiore ventre hydrops.*

partium extenuatione. 2. Si in hydatidibus, vasculisque lymphaticis dilatatis, cellulisque pinguedinosis omenti colligatur aqua, venter circa præcordia intumescit, circa pubem autem gracilis, nulla percipitur fluctuatio, & stomachus ab ingestis gravatur: 3. Si autem in peritonæi formatis hydatidibus hæreat, fere eadem conspiciuntur, sed totus venter æqualiter intumescit & paracentesis nihil juvat. 4. Etiam in utero ejusque ovariis hydrops generatur 5. nec non in scroto membroque virile, ut suo loco videbimus.

Hydropis curatio. *Art.* 1819. Ad generalem hydropis curationem requiruntur 1. Liquoris inviscati attenuatio. 2. Liquidi abundantis diminutio, aucta quadam evacuatione. 3. Symptomatis urgentis lenimen. 4. Detractio pabuli novum suppeditantis potus abstinentia, & diæta exsiccante. 5. Tandem corporis roboratio ne recidivet.

Farrago sententiarum.

Tussis in Hydrope. *Art.* 1820. Qui ex morboso jecore oritur hydrops, vehementissimam, sed inanem tussim conjunctam habet, quæ in aliis hydropum speciebus vix aut raro apparet. *Baglivus.*

Prognostic. varia ex Hipp. *Art.* 1821. Hydrops (inquit *Hippocrat. in Coac.*) qui medicinæ concedit & revenit, desperatus est. Hydrops omnis (inquit idem) qui ex acutis morbis oritur, malus & lethalis. Hydrope detentus (addit) curari potest, si robustis sit visceribus, si bene concoquat & spiret, sine dolore sit, & extrema colliquefacta non habeat. Omnes fere Hydropici circa plenilunium moriuntur. *Tycho Brayhe.* „ Diarrhoea „ in Hydrope, quæ non juvat, est pessima;

„ pra-

„ pravam enim in visceribus diathesin osten-
„ dit. "

Art. 1822. In Hydropicorum cadaveribus (inquit *Cheselden*) semper observavi cor solito majus, fibrasque ejusdem valde laxatas, & vasa sanguifera plurimum distenta, & praeterea concretiones polyposas, interdum in ambobus auriculis & ventriculis, sed frequentius in dextris. *Cor magnum.*

Art. 1823. Stomacho & visceribus rite emundatis *infusum theae viridis* in vino Rhenano evadit medicamentum laudabile, non modo diureticum, & stomachicum, sed etiam sanguinem exagitans, & ejus motum adaugens. *Vvainevvright.* Ex vegetabilium classe (inquit *Dolaeus*) pro arcano in hoc morbo revelo succum *brioniae* sequenti modo collectum; luna crescente, tempore imprimis verno, radicem *brioniae* terrae adhuc commissam excava, & semper iterum impone operculum ex superioris radicis parte abscissa paratum, & singulo mane invenies coch. ij. vel iij. istius succi, quem exhibe singulis matutinis horis Hydropico a coch. j. ad ij. vel iij. quo solo vili medicamine plures, Deo adjuvante, curavi. Deploratissimum Hydropicum curatum vidit Dr. *Beeston* medicus *Bathoniensis* celebris, nuper defunctus, ut mihi retulit, per radicem brioniae circumforaneo quodam exhibente, cum ex aliis remediis quotcunque a peritis medicis exhibitis nullum juvamen acceperat. Sequens infusum diureticum fuit praescriptum celeberrimi Lovveri, & in sua praxi frequenter usurpatum: ℞. *Rad. lapathi acut.* ℥ij. *taraxac.* ℥j. *flor. sambuc.* mj. *summit. abiet. fol. cochlear. becabung. nasturt. aquat. ana* mß. *raphan. sylv.* ℥ij. *sem. sinap.* ʒj. *infund. in vin. alb.* ℔ij. *clause & calide per hor.* 4. *coletur pro usu, dos. coch.* iv. *vel* v. *bis vel ter in die.* *Infusum theae.* *Succus rad. brioniae.*

Art.

Remedia varia. *Art.* 1824. Inter remedia reliqua melioris notæ recensentur *pil. hydropicæ* Bontii : ♃. *Aloes opt.* ℥iiß. *gum. gut. gam.* ℥iß. *diagrid.* ʒj. *gum. ammoniac.* ʒiß. *tart. vitriolat.* ʒß. *syr. rof. solut. q. s. f. massa pil. dos. a* ℈ß. *ad* ℈j. *Electuar. hydragogum* Sylvii. ♃. *Bacc. junip. in aq. coct. express. & ad pulpæ consistentiam redact. pulp. tamarind. ana* ℥iv. *rad. jalap.* ℥iß. *scammon. elect.* ℥j. *cinnam. acut. sem. fœnic. dulc. ana* ʒij. *sacchar. clarific.* ℥x. *m. f. electuarium; dosis in adultis a* ʒiij. *ad* ℥ß. *Potio hydragoga* Listeri ; ♃. *decoct. sennæ Gereon.* ℥iij. *syr. e spin. cervin.* ℥iß. *succ. limon.* ʒß. *elater. gr.* iv. *m. f. potio Tinctura allii vino absynth. extract. tinctura cochlear. compos. cataplasma Hydropicum; pil. hydragogæ, cerevisia Hydropic. cerevisia purgans hydrop. haustus hydragogus, lixivium de calce, vinum Hydropicum. Sapo Castiliensis, express. diuretic.*

T Y M P A N I T E S.

Coelii Aureliani sententia.

Tympanitidis descriptio. *Art.* 1825. Tympaniten sequitur rotunda atque extans inflatio secundum ventrem, cum tensione plurima, & ad percussum palmæ resona velut tympani, unde etiam nomen accepit: item ructationes, & aliquando intestinorum tormenta; quæ excluso vento per podicem digeruntur, atque gravedinis detrahunt quicquam.

Curatio. *Art.* 1826. In tympanitide specialia, ut plerique volunt, juxta communem virtutem, recorporative curationis, ordinanda est decoctio centaureæ herbæ, & absynthii, & origani, & hyssopi, & marrhubii adhibenda, & similis virtutis Epithema, ut est quod appellatur *Dianitrum* ex fico atque nitro, & absythio confectum. Tundendum igitur aridum ficum, sed

quod

quod sit pingue, ac succidum, item singulatim absythium, & nitrum admiscendum duabus partibus fici, & quarta pars absynthii. Aliquando etiam rutæ admiscenda particula. Facit etiam medicamen, quod appellamus diahyssopum, item uva passa cum cumino, vel farre cum adipse veteri & vino. Alii item bubulo stercore ungendoscum aceto ægrotantes dixerunt. Utile tamen erit, si longi fuerint dies, partiri modum sumendi cibi; facilius enim accepta digeruntur duorum temporum oblatione divisa.

Boerhavii sententia.

Art. 1827. Tympanites iisdem mediis, & eadem methodo, tollitur, ac *anasarca* & *ascites*, si ortum duxit a rarefacto vapore humoris extravasati, & putrefacti; tum enim, causa ablata, tollitur: Si vero ortum duxit ex aere per membranas intestinorum putrefactorum perforatas in cava delapso, retroire non potente, sed calore corporis rarescente, tum cuncta cito putrefiunt aere juvante, malumque ex posita causa est fere semper insanabile: unde *hydrops siccus humido* longe magis immedicabilis habetur; *punctura* sæpe solatio, raro sanationi, suffecit; *fasciæ* post puncturam locum habent. *Tympanites.*

Vvillisii sententia.

Art. 1828. De hujus morbi *ætiologia* præ reliquis audiendus est *Vvillisius*. *Tympanites* est tumor ventris; sed quæ sit materies morbifica tumorem istum inducens, quomodo in ventre aut progignatur, aut aliunde illuc adveniat, plane nescitur. In *ascitem* degenerare solet. Non a flatibus intra vel extra intestinorum ca- *Quomodo generatur.*

vitates

vitates conclusis excitatur, verum exoritur (quantum conjectura assequi possumus) quatenus in imo ventre spiritus animales ad viscera membranacea spectantes, ab incongruo quodam in ἀτάξίας adacti, fibras ubique nerveas tumultuarie irrunt inflantque, nec statim denuo ab iis recedunt: hinc peritonæum extumescit, intestina ampliata, & distenta velut inflantur, mesenterium, aliaque viscera membranacea spiritu impetuose turgida, velut in molem attolluntur; porro dum hæc fiunt, ut vacuitates a viscerum concavorum extumescentiis factæ impleantur, humoris statim cujusvis intus contenti portio in vapores rarefacta, illico in flatus spatia isthæc inania oberrantes cedit.

Quinam huic morbo sunt obnoxii. *Art.* 1829. Spiritus animales potius quam flatus ejusmodi ventris intumescentias saltem breves, & transitorias, quales in paroxysmis colicis, & hystericis contingunt, excitant: atque hinc evenit, quod, qui affectibus *hypochondriacis*, *colicis*, aliisque imi ventris *spasmodicis* diu obnoxii fuerunt, demum *tympanitici* fiant.

Curatio. *Art.* 1829. Hic affectus raro per se interficit, quin longo tempore protractus, quo demum certius jugulet, sibimet *ascitem* lethi prænunciam adsciscit. A *catharticis*, præsertim fortioribus fere semper exacerbatur hic morbus, saltem non alleviatur. *Enemata* crebro injecta eximii sunt usus, & hoc præ cæteris; ℞. *Urin. sani* ℔j. *sal prunel.* ʒj. *tereb. Venet. cum vitel. ovi solut.* ℥iß. *m. f.* enema. Applicetur *empl. de sapon.* toti abdomini. Ad sitim intolerabilem in hoc morbo; ℞. *Conserv. lujul. per setaceum traject.* ℥iij. *pulp. tamarind.* ℥ij. *sal. prunel.* ʒj. *syr. e succ. lujul. q. s. f.* Eclegma molle, de quo sæpius lambat æger.

Art.

Art. 1830. „ Tympanites est flatuosa abdo- *Vix dif-*
„ minis moles, rugitu strepens, dumque per- *fert ab*
„ cutitur, instar *tympani* resonans. Vix differt *ascite.*
„ ab *ascite*; raro enim flatus absque aqua repe-
„ riuntur, nisi in ipsis morbi primordiis. Ex- *Reme-*
„ perientia didisci hoc malum tractari debuisse *diū em-*
„ remediis *antihystericis*, *antiscorbuticis*, & *cor-* *piricum.*
„ *roborantibus*, priusquam in ascitem demigra-
„ verit: Sequens est remedium *empiricum* val-
„ de decantatum; ℞. *Succ. folior. porri & sam-*
„ *buci ana p. æ.* analytice misceantur, capiat æger
„ coch. iij. vel iv. bis vel ter in die; hoc valet
„ aliquando in extremis post alia omnia incas-
„ sum tentata. *Antihysterica*, *chalybeata*, *empl.*
„ *de cicuta cum ammoniaco*, *fotus ad tympaniten*,
„ &c. sunt valde proficua.

Littrii sententia.

Art. 1831. Scriptoribus de Tympanite inter se minus convenit, quippe qui neque causam morbi neque sedem designarunt. Ex cadaverum Tympanite mortuorum sectionibus patet ventriculum & intestina, præ reliquis crassa, mirum in modum distendi, ac ingenti mole vix sane credibili ampliari. Frequenter (*souvent*) observavi *cæcum & colon femur humanum crassitie æquantia*, reliquorum viscerum in abdomine contentorum dimensionem ultra naturalem nusquam inveni. In recentibus Tympaniticis humiditatem tantum aliqualem in abdominis cavo reperi, & in inveteratis non nisi duas vel tres libras aquæ; quantitas adeo exigua neutiquam pro morbi causa haberi potest: ideoque *inflationi ventriculi & intestinorum* monstruosa ista ventris moles soli debetur. Ventriculus & intestina quasi musculus cavatus spectari possunt, *Essentia morbi tandem detegitur.*

cui

cui aer inclusus est antagonista. Parietes intestinorum & aer internus sunt tanquam duo ἔλατρα se mutuo indesinenter impellentia. Quamdiu hæ duæ potestates æquipollent, ventriculus & intestina alternatim se contrahunt & dilatant salva dimensione naturali, suntque officiis suis obeundis paria, manente scilicet æquilibrio: si autem laterum ventriculi & intestinorum systoles vim elasticam aeris inclusi superat, fistula intestinalis supra modum coarctabitur: e contra si quando fibrarum intestinalium vires elasticæ quoquo modo imminuantur, aer inclusus canalem plus justo dilatat, & quo debilior est intestinorum elasticitas, eo major evadit eorum capacitas, *unde Tympanites ortum ducit*; qui affectus ut plurimum est incurabilis ob amissam aut valde diminutam istorum viscerum elasticitatem; fibræ nimis laxatæ sese contrahere rursus nequeunt, aut saltem admodum debiliter: & proinde ventriculus & intestina non nisi imperfecte admodum officia sua peragunt, in quantum præcipua earundem energia & operatio a contractione, dilatatione, & motu peristaltico magnopere pendent. *Memoir. de l'Acad.* Vol. 17. p. 314.

Farrago sententiarum.

Art. 1832. In Tympanitide, inquit *Lommius*, frequentis ructus desiderium est, eoque edito levari aliquantulum homo videtur: pedes non usque adeo ut in cæteris generibus hydropis tument: reliquum corpus extenuatur. Sæpe hoc malum ventriculi, & coli inflammationibus, itemque longis febribus successit. Illud vero ab *Hippocrate* animadversum video: quibus torsiones circa umbilicum, & circa lumbos dolores sunt,

sunt, qui neque medicamentis, neque ullo alio modo solvuntur, ii in hoc ipsum genus sicci hydropis incidunt.

Art. 1833. Hydrops siccus, sive flatuosus *Hippocratis* tunc dicitur, quando adest alvi siccitas cum foecibus stercori caprino similibus: Nec non adsunt tormina, & dolores magni circa umbilicum, & lumbos, febris, sitis, tussis sicca. Fit ab hectica intestinorum intemperie, sequitur alios morbos potissimum acutos. Morbus est acutissimus, & difficillimus, citoque interimit; alvus & urina statim supprimitur, & nihil magis perniciosius remediorum copia & farragine. Cathartica perniciosissima sunt, usus nitratorum, serum lactis, lac asininum, & generaliter omnia humectantia intus forisque juvant. *Baglivus.*

In iis qui sicco hydrope moriuntur observantur glandulæ mœsenterii aridæ, exsiccatæ, & tabefactæ, unde causa mali ex *Ballonio.*

Art. 1834. Vinum quoddam ab Epiphanio Ferdinando præscribitur, quod mirabile, sæpiusque expertum dicitur, ad educendos flatus, atque adeo tutum esse, ac saluberrimum remedium tam in Ascite, quam in Tympanite. Hoc hujusmodi est. ℞. *Cucumer. agrest. seu asinini, sambuc. ireos, saldonell. ana unc.* iij. *incid. & infund. per hor.* xij. *in vin. alb. & clar. lib.* vj. *deinde bull. ad consumpt. tertiæ partis, mox add. sem. cumin. anis. fœnicul. ammeos, dauci, seseleos, ruth. aneth. ana pug.* j. *cortic. citr.* ʒij. *cinamom. elect. unc. sem. tragacanth. mastich. ana* ʒj. *iterum bull. tandem col. & serv. dosis unc.* vj. *vel* viij. *Hartmannus* pro speciale remedio liquorem habet ex flor. tapsi barbati elicitum, quem ad ℈j. exhibet in decocto seminum, & radicis fœniculi, interea ventrem *Remedia varia.*

fovet urina pueri calida, in quam ſal prunellæ diſſolvit.

Hæc vero methodus laudatur ab *Heiſtero*: Singulo triduo, vel quatriduo laxans e pillulis lenioribus, atque balſamicis, aliiſque ſimilibus, vel pulvere e jalapa, & mercurio dulci, vel ſale amaro cathartico exhibeatur: hiſque per duas treſve hebdomadas, aut diutius prout neceſſitas exiget continuetur, poſtea vero tonica, & roborantia uſurpentur: ut eſſent cort. aurant. flor. chamæmel. &c. item limatura martis cum extractis amaris ad modum *Sydenhami* pro tono partium roborando in forma pillularum, vel electuarii, ſervato eodem regimine ac diæta, ut in cachexia. Abdomini olea deſtillata, & balſama carminativa calide ſæpe illini debent; vel emplaſtrum de cumino, aut de baccis lauri, vel diaſaponis imponi poteſt.

ALIÆ VENTRIS INTUMESCENTIÆ.

VVeinharti ſententia.

Ventris tumor ex diverſitate affecti viſceris.

Art. 1835. Hepar, lien, & glandulæ meſenterii ſubinde afficiuntur etiam tumoribus ſtrumoſis, & ſcirroſis, quod non rarum in infantibus cum atrophia, & tumore quaſi tympanitico abdominis.

Diagnoſis.

Si in hepate adeſt durities, & renitentia in dextro hypochondrio percipitur, figura hepatis circumſcripta eſt, gravitas & ponderis ſenſus in reſpiratione accedit, difficilior decubitus in latus ſiniſtrum, color faciei pallidus, ac quaſi vireſcens, corporis macies, quandoque & tumor pedum, & ſi in liene, hæc obſervantur in ſiniſtro hypochondrio, & difficilior eſt decubitus in

latus

latus dexterum; si in mesenterio, itidem tactu, & ex situ loci percipitur; Interim bene res perpendenda, ne durities quæ circa sinistrum hypochondrium sentitur, resideat inter musculos abdominis, & peritonæum, vel in glandulis omenti, & mesenterii vel in intestino stercore crassiori obsesso, & tumorem farciminalem exhibente, cum durities lienis non sit adeo frequens prout vulgo putatur.

Scirrhus sine sensu curationem non admittit, qui vero difficulter sentit, difficilis quoque curatu est; adeoque ventris tumor ab hac causa vix vel ne vix quidem medellam admittit, quin imo præstat suæ sorti relinquere, quia si scirrhus aut interior ipsius tumoris causa ad suppurationem deducitur facile in cancrum degenerat. Inveteratus in Hydropem abit; Ictero autem succedens, vel ipsum faciens valde perniciosus est. *Prognosis.*

Art. 1836. Martialia ante perfectum scirrhum optima sunt præsertim aquæ ferratæ, quæ tumentes lienes absumere dicuntur. Experientia quidem constat, animalia apud fabros ferrarios assueta aquis, in quibus candens ferrum extinguitur, exiguos habere lienes. Prodest igitur *tinct. mart. aperitiv.* vel *Mars aperitiv. VVillis* quorum descriptionem vide in Praxi *D. Gaukes*, vel *limat. mart.* ad ℈j. quotidie præmissa, & subinde interposita evacuatione per *pilul. ex ammoniac. de tart. Quercet. tart. Bontii* vel seq. ℞. *gumm. ammoniac. gr.* viij. *mass. pilul. Melanagog. Querc.* ℈j. *extr. gent. cent. min. a gr.* iv. *cum s. q. syrup. de fumar. m. f. pil. num.* ix. Nec irritum erit evacuantia cum calybeatis nubere veluti. ℞. *Mart. cum sulphur. calcinat.* ʒiij. *gumm. ammon. depur. scamm. sulph. a* ʒj. *syrup. de cichor. cum rhab. & sp. vin. q. s. m. f. massa pilul.* quarum dosis a gr. viij. ad ℈j. *Remedia interna.*

 quo-

quotidie; vel ♃. *Gumm. ammoniac. depur. limat. chalyb. subtil. trit. & cribr. mercur. dulc. a.* ʒv. *castor.* ℈j. *resin. scam.* ℈ij. *mag. gumm. guttæ* ʒv. *troch. alkekeng.* ℈j. *ol. charyoph. gutt.* x. *m. f. pil. num. LVI.* dentur quotidie num. 3. 4. vel 5. Præterea ex deobstruentibus conveniunt; *tart. vitriol. cum sal. cichor. absynth. sal hypochondr. Poter. croc. mart. aperit. tinct. & sp. tartar.* item *aperientia*: ut jura pulli alterata *cichor. euscut. agrim. petrosel.* &c. *cum gutt.* aliquot *sp. tart. vel sal. armoniac.* alii etiam commendant *terebinth.* usum; alii in scirrho lienis specificum dicunt *urtic. mort.* in vino decoctum.

Remedia externa. Ex topicis in usu sunt præsertim semicupia, & fomenta veluti: ♃. *Rad. bryon. alth. lil. alb. ana* ℥j. *fol. malv. violar. pariet. absynth. agrim. a. m.* j. *sem. lin. fœnugræc. aneth. a.* ℥. *ß. flor. cham. melil. ros. a. p.* j. *coq. in* 3. *p. aq. &* 1. *vin. alb. sub finem addit.* vel in tantundem aquæ, & aceti pro foment. quo spongiis utere per semihoram, & si scirrhus contumacior sit addes *rad. Ireos cucumer. agr. ebuli* &c. postea fiat inunctio seq. ♃. *Ol. tamarisc. lil. alb. a.* ℥j. *dissolv. mass. empl. de cicut.* ℥ij. *& f. linim.* vel ♃. *Ol. capp. absynth. mastich. a.* ℥. *ß. succ. rad. bryon. apii a.* ℥. j. *ß. coq. ad succ. consumpt. add. mucilag. rad. alth. acet. ros. fact.* ℥. *ß. gumm. ammon. acet. squill. dissolut. & inspissat.* ʒvj. *cer. q. s. m. f. unguent.* Reliqua videantur penes Auctorem in Univ. Med. Nucl. Lib. VI.

Morgagni sententia.

Ventris tumor a jecore & liene. *Art.* 1837. Quamvis hypochondria ad ventrem apposita intumescant in affectionibus jecuris, & lienis, eadem vero alia etiam ratione, vel seorsim, vel una cum reliquo ventre elevantur, etiamsi nullum hydropis signum interveniat. Quan-

Quantum ad eorum intumeſcentiam ob jecoris & lienis vitia obſervat in Epiſt. Anot. Med. 36. art. 28. tantam eſſe inter utrumque viſcus commercii viciſſitudinem, ut ſi altero vitiato, in altero quoque vitium ſit, id nullam habeat admirationem: habeat vero ſi vitium in alterutro dumtaxat occurrat veluti cum in ſepulchreto Boneti (lib. III. S. 14. Obſ. 36. §. 4.) legitur: *hepar grande, & multis in locis durum reliquis viſceribus ventris naturalis erat conſtitutio*: aut alibi: *hepar fere* exſuccum & pallidum; ... *Lien autem, & Renes naturaliter habebant*. Attamen vel longo in morbo, ubi majus in aliis viſceribus, quam in jecore vitium deprehenditur, minime neceſſe eſt, ut in hoc quoque a longo tempore vitium ſit.

Lienis arteria ſi forte a primordiis ſine flexibus non fuit, videri alicui poterit hos amiſiſſe, dum impedito in durum jecur arterioſi ſanguinis curſu, major hujus copia in ſplenicam illam arteriam influere coacta eſt. Quantum autem obſtructo jecinore, arterioſi intra ipſum ramuli comprimantur, minuſque ſanguinis admittant, cum ratio indicat, tum obſervationes oſtendunt; ſic affecto jecinore facilis tranſitus ad cachexiam eſt; ſi vero gravius vitium hepar occupet, ſæpius non ad cachexiam modo, verum etiam ad hydropem gradum fieri, frequentiſſimæ obſervationes teſtantur.

Ventris humor a meſenterio. Præterea hypochondria cum reliquo ventre inſigniter aliquando intumeſcunt, ut Medicis imponant, id vitio jecuris vel lienis contingere; quamvis niſi fiat a tumoribus in meſenterio genitis. In Ep. 39. §. 6. inquit: „ mihi igitur „ non ſit veriſimile, nunquam a coquis a la„ niis, a victimariis ullum in meſenterio tu„ morem animadverſum, & Medicis fuiſſe oſten-

 „ ſum,

„ ſum, cum Galenus ſcirrhoſum circa cor tu-
„ morem in gallo inſpexiſſe videam, & ad ho-
„ mines tranſtuliſſe. Crediderim potius, quæ
„ in libro aliquo priſci medici ea de re attige-
„ rint, longo tempore, ut tot alia, intercidiſ-
„ ſe. Nam ſi Julius Pollux, ut legi apud In-
„ graſſiam *circa meſenterium etiam ſtrumas fie-*
„ *ri*, *voluit*; certe aut a Medico aliquo ipſe
„ Grammaticus id ſurrepſerit, aut ſi forte per
„ ſe vidit; creditu difficile eſt, a Grammatico
„ admonitos Medicos, quicunque ab Sæculi II.
„ fine ad XVI. initium ſcripſerunt; Commodo
„ enim imperante, ut Galenum, ita & Pollu-
„ cam vixiſſe, ajunt, nullum de hujuſmodi
„ meſenterii morbi verbum feciſſe,. Heu fa-
cientis morbi caſum §. 2. ſic refert.

Caſus. Georgius Marcheſius magno interno tumore ventris laborans, ad dorſum & ad ſiniſtrum lumbum dolebat. Urinam ſæpe, inteſtinorum autem recrementa ſummis cum conatibus reddebat. Cibos appetebat. Tamen omnibus demum corporis partibus macie omnino extenuatis, niſi quod jam diu a duro tubere ſiniſtrum ſcrotum, noviſſimis autem diebus quindecim a magno œdemate pedes tumebant, cum horum ſiniſtrum erypelas corripuiſſet, poſtridie obiit. Ventre aperto, ad hujus centrum ingens tumoris moles apparuit, viſcera undique comprimens adeo, ut ſi non prorſus extra ſuam ſedem, & certe eſſent contractiora, pluribuſque in locis ſublivida, cæterum quantum oculis perſpici poterat, ſana. Pendebat tumor a meſenterio, tota anteriore facie omento opertus extenuato, multiſque partibus lacero. Ejus pondus eſſe poſſe videbatur librarum circiter XXV. ſed aliis in partibus extra tumorem turgebat omne meſenterium eadem ſubſtantia, quæ tumorem effi-
cie-

ciebat, quorum tumor etiam alter conjungebatur ejusdem naturæ, qui in testiculo sinistro erat. Scilicet utriusque natura fuit, quæ cancrosorum tumorum, & quorumdam præsertim, qui in mammis observantur, magna ex parte similis.

Nec semper cancerosi sicut tumores, qui hic generantur, sed non raro de genere cysticorum, de quibus *in Chirurgia*; sed vide quæ Auctor addit in eadem epist. §. 7. 8.

„ Fit interdum abdominis tumor non ex hy- *Ventris tumor a muscul. inflamm.*
„ drope aut infarctu obstructioneque contento-
„ rum viscerum, sed ex musculorum inflamma-
„ tione præsertim vero rectorum, & transver-
„ sorum, idcirco facile cognoscitur, & a cæte-
„ ris distinguitur non solum quod oblongus tu-
„ mor est, quamvis per totum ventrem exten-
„ sus, sed cum dolore, & febre acuta conjungi-
„ tur morborumque acutorum stadium absolvit.
„ Cutis hic non sine dolore contrectatur, &
„ apprehensa minime sequitur; si magis partes
„ profundæ afficiuntur, quia isti musculi sunt
„ membranosi circa finem, & plures nervos ob-
„ tinent, dolor est vehementior. In omni de-
„ cubitu eadem tumoris magnitudo manet. Ab
„ hepatis inflammatione distinguitur eo, quod
„ figuram musculorum sequatur, nec ita sit ro-
„ tundus. Curatio talis est qualis in aliis in-
„ flammationibus. *Jonstonus.*

HYDROCEPHALUS.

Schenckii sententia.

Art. 1838. Hydrocephalus est morbus adultis raro accidens, infantes vero sunt magis obnoxii, & frequenter fit a violenta obstetricatione. *Hydrocephalus.*

Est *tumor capitis aquosus*; colligitur autem humor vel inter cutem & cranium, aut inter cranium & cerebri membranas; *Aetius* addit inter membranas & cerebrum; (*Boerhaave* addit inter cerebri plicas, & in cavitatibus ;) sed hæ posteriores species sunt incurabiles ; externa & evidens causa est plaga aut contusio in puerperio . (Ex tumore intus sub cranio neminem convaluisse vidi ; sed ab externo tumore facile sanescunt.) „ Caput in tantam molem turgescit , ut quandoque *integrum corpus* præponderet . Insignis historia habetur in Transact. „ Philos. p. 407. Infantis bienni hoc malo mortui, e cujus capite sectione patefacto exivere „ *aquarum decem pondo* : humor erat tenuis , „ pallidus , & insipidus , in interstitiis meningum & cerebri ventriculis reconditus; de reliquis circumstantiis vid. locum.

Methodus medendi. Oppugnandus est hic affectus primo *resolventibus*; sed si id fieri nequeat, facienda est *incisio* vitato temporum musculo, & humor exprimendus est, (*Ambr. Paræus*) ℞. *Ol. cham.* ℥iv. *sulph.* ℥j. m. f. s. a. ungt. in hoc affectu magnarum virium. „ Hydrocephalus secundum *Boerhaave* „ levi *inustione*, *terebratione*, *punctura*, prudenter, lente, adhibitis , simulque *hydragogis* & „ *roborantibus* internis curatur: vel externis *discutientibus* dissipatur excepta ista specie incurabili, quæ in cerebri cavitatibus formatur .

Remedia varia. „ Inter cætera ad hunc morbum oppugnandum *psycrolousiam* emolumento fuisse animadverti . Inter evacuantia & corroborantia eadem sunt ac *in ascite*. Pro usu externo lixivium calcis vivæ egregium admodum est in „ discutiendo Hydrocephalo *teste Aquapendente*, „ & linimentum sequens a *Foresto* commendatur ; ℞. *Ol. cham.* ℥iv. *flor. sulph.* ℥j. *digere s. a.*

„ Hy-

„ Hydrocephali curatio (inquit *Barbette*) omni „ tempore experientissimis medicis insignem „ creavit molestiam. Purgantia, sudorifera vel „ diuretica raro aliquid conferunt: ad cauteria, „ vesicatoria, fonticulos, setacea, immo plerum- „ que ad incisionem vel ustionem impellimur, „ quæ tamen media quosdam in vita conser- „ varunt.

Petiti sententia.

Art. 1839. Hydrocephalus est tumor capitis aquosus adultis raro accidens, infantes vero in primis annis a nativitate, immo interdum ante nativitatem occupat; & caput infantuli ex utero nondum educti tam grande existit, ut *puncturam vel sectionem capitis* facere ad partum facilitandum chirurgo incumbat. Aqua secundum authores colligitur, vel externe inter cutem & cranium, vel interne 1. inter cranium & duram matrem: 2. inter duram & piam matrem, 3. in ventriculis ipsius cerebri; atque hanc ultimam speciem solam in praxi vel in cadaverum sectionibus unquam observare potui; credo itaque reliquas rarissime occurrere. Hoc morbo affecti sunt languidi, tristes, & pallidi, oculi illorum luridi & prominentes pupillis dilatatis; ossa cranii tenuia & mollia evadunt, & figuras irregulares induunt, nasus depressus, frons valde elatus, capitis magnitudo plane monstrosa, & gravitatis non sustentandæ, non raro crepat & disrumpitur, & mors non multo post insequitur. In cadaverum sectionibus notavi duram meningem plus solito cranio adhærentem, crasin cranii valde prolatam, & quaubique confractam, ossium margines membrnis e longinquo connexos, cerebrum minime

Accurata morbi descriptio.

cor-

corruptum, ventriculos cerebri adeo in immensum distentos, ut substantia ejus corticalis & medullaris extrorsum detrusa digiti vix duas lineas crassitie æquabat, & multis in locis a protrusione aquarum penitus divisa aquis usque ad meninges pertingentibus, vasa sanguifera prolongata & crassa, in pluribus *glandulam pituitariam scirrhosam*, quod inter causas hujus morbi locum habere videtur. Paracentesin quod attinet, tamdiu procrastinari solet, ut vix ullum ista operatione servatum vidi; intra 4. vel 5. horas plerumque moriuntur, si una vice aquas ad siccitatem depromant; sin vero tardius progrediantur, non ultra quadraginta horas supervivere solent.

I C T E R U S.

Inter legendum & ex Observatione.

Icteri signa diagnostica. *Art.* 1840. Signa hujus morbi & symptomata præcipua sunt lassitudines totius corporis, anxietas præcordiorum, difficilis respiratio, virium dejectiones, faciei pallor, pulsus debilis & lentus, urinæ tenues, aut crassæ, coloris flavi ad rubrum vergentis, croceo colore pannum immersum tingentes, interdum adsunt vomitus biliosus, dejectiones albæ, pruritus totius corporis, & ariditas & veluti exustione solis aspera cutis superficies, flavedo per universam cutem, maxime in oculorum albis, quo quidem colore interdum objecta omnia apparent tincta.

Art-

Aretæi sententia.

Art. 1841. Si bile flava, vitellina, aut crocea, aut nigra cum viride mixta omne corpus a viſcere ſuffuſum ſit, affectus hic a Græcis *Icterus*, a Latinis *Regius morbus*, ſive *Arquatus*, ſive *Aurigo* dicitur. Difficile utique in acutis malum eſt: quia non ſolum ante ſeptimum apparens, ſed etiam poſt ſeptimum infinitos necavit; raro item ad extremum febrem bene judicavit, ipſe vero haud facile diſcutitur. „Perniciosius tamen ante ſeptimum ac poſt eum „ in acutis eſt. *Definitio.*

Art. 1642. Neque vitio jecoris tantummodo provenit, ut nunnulli medicorum exiſtimant *Icterus a jecore.* ſed & ventriculus, & lien, & renes & laxum inteſtinum in cauſa ſunt; A jocinore quidem naſcitur ſi phlegmone aut ſcirrho viſcus illud opprimitur, quia meatu ad inteſtinum bilem deferente intercluſo bilis affluxu caret, idcirco ſtercora, quæ ab ea non colorantur, albida ſunt & argillam referunt, venter valde ſiccus eſt ſiquidem a bile non ſtimulatur.

Art. 1843. Si morbus regius a liene ortum habeat color cutis ater eſt cum viridi mixtus, conſuetaq. ſtercora nigriori colore imbuta ſunt.

Art. 1844. A laxo etiam inteſtino, & ventriculo arcuatus provenit, ubi concoquendi facultas in ventriculo, & laxo inteſtino, quod Græci Colon vocant, læſa fuerit; nam & in colo concoctio efficitur, & ab ipſo alimentum in jecur digeritur, ſed laborante colo albida non fit per alvum excretio. *Ab inteſtinis, & ventriculo.*

Art. 1845. Habitus quoque totius corporis ad morbum regium citandum ſummopere efficax eſt; nam in omnibus corporis partibus calor ad *A totius corporis habitu.*

con-

concoquendum insitus est, si igitur ad singula obeunda munera calidum fatigatum, lassatumque fuerit, ipsum quidem in acre atque igneum vertitur, humiditates autem omnes in bilem abeunt, quodsi & in sanguine cruditas incidat, sanguis biliosus efficitur, & quoquoversus nutriens dispergitur.

Sydenhami sententia.

Icterus ex colica. *Art.* 1846. Icterus interdum est proles *colicæ.* In tali casu solo *rhabarbaro* purgandum est & morbus plerumque sponte sua sensim facessit; sin vero non nisi ægre discedere videatur, convenit sequens apozema; *Ejusdem curatio.* ℞. *Rad. rub. tinctorum curcum. ana* ℥j. *chelidon. maj. cum toto, summit. centaur. min. ana* mj. *coq. in p. æ. aq. font. & vin. Rhenan. ad* ℔ij. *colatur. add. syr. e quinque rad.* ℥ij. *m. f. apozem. capiat* ℔ß. calide mane & sero usque dum convaluerit.

Curatio in genere. *Art.* 1847. At ubi icterus per se invadit, colica neutiquam prægressa, *cholagoga*, quæ per alvum bilem subducunt, ægro sunt exhibenda, & alia *antiicterica* usurpanda. His denique morbum non subigentibus ad *aquas ferreas*, quales sunt *Tumbrigenses*, adeundum, quæ ex ipso fonte sunt bibendæ.

Ettmulleri sententia.

Symptomata. *Art.* 1848. Icterus est totius corporis *cachexia* flavedinem inducens, ut plurimum cum cardialgia, hypochondriorum dolore, præcipue dextri, alvi segnitie, lassitudine, &c. Si flavedo ad viriditatem, vel ad cœrulitatem, vel ad oscurum livorem inclinet, Icterus niger vocari solet; febris interdum conjuncta est, interdum ab-

abest. Tristitia aliquando inducit Icterum. Icterum *flavus* diuturnior semper in *nigrum* degenerat, unde *essentialiter* non differunt. Anxietas in præcordiis, dolor præcordiorum compressivus, virium dejectiones, lipothymiæ, &c. ante eruptionem Icteri frequentissime occurrunt. Urina ictericorum succussa spumam flavam ostendit, & linteum tingit colore croceo, sed non semper, sedimentum croceum dimittit; fæces alvinæ sunt plerumque albicantes, vel cineritii coloris, & hoc postremum ut plurimum est signum *calculi in vesica fellea*. Urina crassa turbida & nigerrima est signum solutionis morbi. Quo magis flavus existit Icterus, eo facilior est curatu, quo vero magis niger, eo difficilior. Cum *hydrope* conjunctus raro curatur. *Prognosis.*
„ Si sudor erumpat (inquit *Sylvius*) citior plerumque curatio expectanda erit, sin vero urinis plus deponatur materiæ rubentis & paulo post subsidentis, segnior erit expectanda.

Art. 1849. Quoad curam *vomitoria*, *martialia*, & hinc *amara*, totam absolvunt paginam. *Curatio.* Præmissis universalibus usurpentur *stomachica*, *martialia* (*limaturæ crudæ* in Ictero nigro) *rhabarbarum*, *lumbricalia*, *viperina*, *alcalina*, *volatilia*, *amara*, *aquæ acidulæ*, *gum. ammoniacum*. *Venæsectio* & *catharsis* vix locum habent. Specifica sunt (omnium optimum) *chelidonium majus*, *marrhubium*, *flor. hyperici*, *crocus*, *genista*, *absynthium*, *sem. cannabis in lacte coctum*, *rad. curcum. rub. tinctor. urinæ potus*, *stercora* fere omnium *avium* & *animalium*, *pediculi*, *lapis in folliculo fellis tauri*. In genere moneo in curando Ictero resistendum esse ad tempus medicamentis *antiictericis*, quia morbus est chronicus & contumax: & quidem quandiu urina mingitur tenuis & splendida, tamdiu illis insistendum,

dum, donec signa coctionis apparent, usque dum urina fit crassa & turbida, & cum sedimento repleta; his tamen apparentibus spes est salutis. Cura peracta, ad abigendum cutis flavum colorem conveniunt *frictiones* & *balneatio*.

Vvillisii sententia.

Vomitorium & alia remedia. *Art.* 1850. Curatio Icteri inchoanda est cum *vomitorio*; ♃. *Fol. asari* N. 9. *incis. & contus. affund. vin. alb.* ℥iij. exprimatur succus & detur cum regim. Remedium vulgare & *empiricum* apud nostrates est, ut ix. *pediculi vivi* sumantur mane, per 5. vel 6. dies, quo remedio (cum alia minus efficerent) plures sanatos audivi. *Chalybeata* ut in aliis *cachexiæ* affectibus, ita in hoc juvamen præstant, atque hinc est quod *acidulæ* frequenter post omnia prosunt. „ Cum „ apozemate sequente (inquit *Dolæus*) semper „ initium curationis facere soleo; ♃. *Rad. tarax. chelidon. maj. ana* ℥j. *herb. cichor. fragar.* „ *ana* miß. *marrhub. alb.* mß. *tartar. alb. fol. senn.* „ *ana* ℥iij. infund. in vin. alb. & aq. font. ana p. „ æ. coq. ad ℔ij. cola, &c.

Velschii sententia.

Est affectus in prægnantibus satis frequens. *Art.* 1851. Mulieres sæpe gestationis tempore fiunt *Ictericæ*, præsertim in ultimis mensibus; an quod bilis tunc temporis viscosior evadat, & ita in glandulis hepaticis non secernatur? an quod uterus tumens comprimendo intestina in causa est, quod ductus choledochus nimis compressus bilem in intestina non transmittat? notandum est, quod hic morbus in prægnantibus *post partum* statim evanescat.

Sam-

Sampsonii sententia.

Art. 1852. *Saponis Castelliensis* ℥ß. *in haustul. vin. alb. solut.* valet ad urinas provocandas in Ictero & Hydrope experimento *domus Bedfordiensis*, ubi pro magno secreto habetur. *Sylvius* hoc idem medicamentum laudat, sed in lacte solutum ob salem fixum & oleosam ejus substantiam. Ego quoque in nonnullis *Ictericis* expertus sum, in his cum fructu, in illis aliter. Ubi acidi humores vel in *Ictericis* vel in *Hydropicis* abundant, credo hoc medicamentum valere, quoniam ab acri sale fixo temperantur, subiguntur, & per vias urinarias expelluntur: & e contra ubi acres humores dominio potiuntur, acre medicamentum nihil valet, metuo, ut noceat. *Sapo Castelliensis.*

Farrago sententiarum.

Art. 1853. Dubitatur, an Icterus semper oriatur ab obstructione bilis; quoniam neque in sanguine vel urina ictericorum ulla est *amarities*: Icterus etiam generari potest sine hepatis obstructione, *teste Sylvio*, & obstructiones in hepate non semper pariunt Icterum, *authore Ettmullero*. Aliquando oritur ex animalium quorundam morsu. Ictericorum alvus & aperta & fæces flavo colore tinctæ (interdum) conspiciuntur. *D. Gailard. in Thesi apud Cantabrigienses.* *Dubitatio.*

Art. 1854. Si sit suspicio *hepatis scirrhi*, apprime conveniunt fotus & empl. seq. ♃. *Fol. malv. alth. absynth. flor. melilot. chamæm. ana* mj. *fol. meliss. chamæpit. ana* mß. *sem. fœnugr.* ℥iß. coq. ex aq. ℔v. sub finem add. vin. alb. ℔ij. &c. cum *pannis laneis* foveatur latus, deinde superimponatur *In hepatis scirrho.*

empl.

empl. de cicuta cum ammoniac. vel *de ranis cum mercurio. Pitcarnius in* MS. Si vero jecur durum ſit, i.e. ſcirrhoſum, res eſt deſperata. *Hippocr. Aphor.* Si morbus diu duret, *hydropem* minatur.

Avium ſtercora. *Art.* 1855. *Candidum ex avium fimo* eſt earum urina, ideo confert Ictero, qui morbus *inflavatio* eſt: album in *anſerino ſtercore* diligenter abraſum ſiccatumque privatim ad icterum facit. *Liſterus.*

In Ictero pertinaci, medicamentis uſitatis minus cedente, ex repetitis experientiis omnibus commendo *Æthiopem mineralem tanquam remedium in hoc affectu potentiſſimum.* Icterus in ultimo ſtadio ſanguinem fundens per ſedem, per urinas, per ipſam cutem, per ſputum, vel ſtillicidium ex naſo, &c. vix unquam curatur.

Boerhaave. *Art.* 1856. Inſtar omnium religioſe conſulendus eſt præclariſſimus *Boerhaave*, qui de *Ictero multiplici*, & de *hepatite* egregie ſcripſit, *p.*201.

Remedia varia. *Art.* 1857. *Stercus ovinum* in cereviſia infuſum pro pauperibus eſt laudabile medicamentum. Decoctum *ſem. cannabin. ſapo Venet. flores ſal. armoniaci martiati*, *ens veneris*, &c. ſunt remedia optatiſſima; ut etiam ſequentia, *cereviſia icterica*, *decoct. berber. decoct. icteric. expreſſio milleped. icteric. hauſt. ſaponac. pil. icteric.* (probatiſſimum medicamentum) *vinum chalybeat.*

CA-

CAPUT IX.

Sive Fasciculus Morborum nonus.

RHEUMATISMUS.

Ballonii sententia.

Art. 1858. RHeumatismus vel sana corpora ulcerosa, & phlegmonodea lassitudine præcedente corripit, vel morbo longo jam jam desituro ægrotantia, aut qui falsa, & præcipite crisi solvi videtur. *Rheumatismo obnoxia corpora.*

Inter corpora autem quæ facile hunc morbum experiuntur sunt maxime aut valde cacochyma, aut non ita cacochyma, sed plethorica, & sanguinea, potissimum vero corpora illa, quæ febribus synochis putridis corripi solent.

Art. 1859. Eodem modo in sanis, & ægris sese prodit; totum corpus dolet, facies nonnullis rubet, circum articulos maxime sævit dolor, ut ne minimum quidem, vel pes vel manus vel digitus sine dolore, & clamore moveri possit. Æqualibus autem doloris causis præsentibus vel in parte, vel in toto corpore, magis ea pars dolet, quæ sensum exquisitiorem habet. *Morbi descriptio.*

Quum partibus apprimitur manus, sensus est & perceptio (licet etiam blande attrectaveris) cujusdam caloris acris. Si pulsum consulis, febri aut nulla aut exigua esse videtur. Et tamen febris est revera, sed non valde magna. Quodsi major fieret, esset vere febris continens putris, nullas manifestas habens exacerbationes.

Dolores quidem noctu exacerbantur, nec dormire queunt ægri, partim quia moveri loco nequeunt, & quo ſtatu fere primo jacent, ac decumbunt, in eo maneant, partim quia ſine cruciatu ac vehementi dolore vix moventur; aut attinguntur; tenſio eſt & acutus eorum quidem ſenſus: eſt enim & plenitudo & cacochimia.

Art. 1860. Quod Arthritis eſt in parte aliqua id ipſum eſt iſte rheumatiſmus in toto corpore; nec melius explicari deſcribique poteſt hic affectus, quam propoſita analogia, & affinitate, quæ eſt inter hunc, & Arthritidem. Durius utrumque eſt. At arthriticus dolor certis periodis repetit, certiſque temporibus; rheumatiſmus non item: niſi quod in iis, qui in vitæ genere peccarunt, ut nervis redditis infirmioribus, & ſuccreſcente cacochymia, tandem habitum, aut diatheſin arthriticam, afferre poſſet. Et revera qui iſtum rheumatiſmum bis aut ter ſunt experti vix (niſi ſibi caveant, conſulentque) tormentum arthriticum vitare poſſunt.

Ejus differentia ab Arthritide. *Art.* 1861. Morbus more eorum, qui conſiſtunt in inflammatione purgatione irritatur; in quo licet multum, & ſæpe ſanguis demitur, is plane corruptus eſt, & in ſerum quoddam putre reſolutus. Quare laudamus quidem impendio magis phlebotomiam; quam ſaluberrimum eſſe remedium teſtamur. Clyſterium frequens uſus valet. Medicamenta per os ſumenda nocent, inflammationem augent, & dolores in artubus; & habitu corporis irritant. Caſſia, & lenientia tamen omnino non improbamus, hæmorrhagia confert, ſub finem ſudores. Tandem urina craſſa multa, ut quæ ab abſceſſibus vindicat; & maxime in febribus laborioſis confert.

Curatio. Et quoniam ægri perpetuo conqueruntur, & ſen-

sum habeat caloris acris aliquatenus juvantur usu rerum frigidarum, sed nocent bifariam, partim quia difflatum prohibent; partim quia, ubi quis usus est paullo frigidioribus remediis, remanet, domito morbo, major infirmitas nervorum, unde arthritidis occasio postmodum nasci potest.

Vidi qui Thermis, & decocto ligni in dies uti voluerunt, sed nullo profectu. Immo omnia pœne recruduerunt. Cornicula frequentia, & hirudines copiosæ habitui corporis applicitæ conferrent.

Vidi plerosque sub finem morborum longorum hoc affectu laborasse.

Sydenhami sententia.

Art. 1862. Nullo non tempore, maxime autumno cum rigore, & horrore, & cæteris febris symptomatis adoritur, elapso uno vel altero die (citiusque) dolor adest atrox nunc in hoc nunc in illo artu, in carpis, humeris, & genubus præsertim; vicissim hos relinquens, & illos occupans, frequentius cum rubore, & tumore. Febris sensim evanescit, manente dolore: est morbus diuturnior, aliquando per menses aliquot durans, & annos non continuo, sed paroxysmis repetitis. In *lumbagine Rheumatica* immanis dolor adest circa lumborum regionem fixus, *nephritin* mentiens, nisi quod æger non vomituriat. In Rheumatismo sanguis pleuriticorum similis est. *Rheumatismi historia. Lumbago Rheumatica.*

Art. 1863. *Sanguis mittendus* est ad tertiam quartamve vicem, habita ratione virium, alternis vel tertiis diebus. *Victus* admodum *tenuis* præbendus est; æger quotidie e lecto ad horas aliquot exsurgat. Potus ordinarius sit cerevisia *Curatio.*

tenuis vel potius ptisana ex *hordeo rad. liquirit. acetos.* &c. vel *emulsio*; parti dolenti applicari potest cataplasma ex *pane albo* in lacte coct. cum tantillo *croc.* diebus a venæsectione liberis injiciendum est *enema* ex lacte saccharato, vel ex decocto communi pro *clystere*, &c.

Alia medendi methodi. *Art.* 1864. Si imbecillitas ægri *phlebotomiæ* repetitionem non ferat, tum post secundam vel tertiam venæsectionem curatio alia methodo tentanda est, viz. capiat alternis diebus potionem *purgativam* communem, donec convaluerit, & iisdem noctibus *paregoricum* ex *syrupo de mecon.* his minus ad votum conducentibus, *antiscorbuticis* morbi reliquiæ fugandæ sunt. In juvenibus, atque iis, qui temperate vixerunt, vino non plus æquo deditis, Rheumatismus *diæta simplici* admodum *refrigerante*, & mediocriter *nutriente*, æque feliciter, ac repetitis *venæsectionibus* profligari potest, nempe *diæta* ex solo *sero lactis*.

Schmitzii sententia.

Rheumatismus est quodã modo arthritis universalis. *Art.* 1865. Per Rheumatismum vulgo intelliguntur dolores erratici externum corporis habitum occupantes; crebri quandoque ac leviusculi horrores adsunt; febris si quæ adsit, mitis, noctu plerumque recrudescens, sed nocturna exacerbatione, & contumacia *luis venereæ* cruciamina æmulatur. Lubricus est Rheumatismi in *arthritin* transitus, nam communis est utriusque morbi materia, hinc *arthritis universalis* nonnullis appellatur.

Indicationes curativæ. *Art.* 1866. Commodius *sudoribus* solvitur. *Venæsectio* semper in hoc affectu curando est necessaria; est enim remedium ἡγεμονικὸν, neque sine magna sanguinis jactura, & virium ruina domari

mari potest; post venæsectionem *emetica* fortiora sunt propinanda, hinc *purgantia* leniora, ut pulv. *Comitiss. Vvarvicens.* &c. Partes affectæ foventur tepide cum *lapide medicamentoso* in aq. pluviali solut.

Musgravii sententia.

Art. 1867. In Rheumatismo tam ab acri sale alcalico, quam ab acido, lentorem fieri longe probabilius, *Baynardi* experimento liquet, viz. ex Rheumaticorum urina, salis alcalici ejus, quem habent sani bonaque utentes valetudine, pars quasi trigesima, nec quidem supra, distillando elicitur: unde conjicitur salem istum in sanguine retentum pituita (forsan adjuvante oleo, veluti in *sapa* compositione) irretiri involvique, & ad viscidum in Rheumatismo faciendum, ad dolores & tumores inferendos opere quidem maximo contribuere. Serum quoque sanguinis Rheumatismo laborantium *syrupo violarum* admixtum viridescit, & cum *mercurio sublimato* albissimum deponit concretum. *Lentor in sanguine a sale alcalico provenit.*

Art. 1868. De magna efficacia *vomitorii* aliquoties repetiti in hoc morbo debellando dignus est, ut consulatur auctor, p. 26. *Balsano sulphuris terebinthinato* artus motu privati bis die superillinantur, vel etiam *vernice terebinthinat. oleum terebinthinæ & camphora* sunt remedia interne, & externe proficua. *Vomitoriorum præstantia.*

Ettmulleri sententia.

Art. 1869. Arthritis vaga scorbutica seu Rheumatismus revera cum *Arthritide vera* convenit, accidentibus saltem variat, terminatur nunc per sudorem aut urinam aut per eruptionem cuta- *Rheumatismus cum arthritide convenit.*

neam instar purpuræ relicta cutis asperitate: adsunt interdum gravissimæ præcordiorum anxietates, sitis clangosa, sudores, dolores lancinantes, & pungentes; imbecillitas ad motum, locorum dolentium tumores, &c. fundamentum hujus morbi est sal scorbuticum fibras vellicans.

Curatio. *Art.* 1870. *Vomitus* in principio convenit: *venæsectio* in principio, & incremento: *volatilia* non debent exhiberi in principio; sed *alcalia & testacea*, ut etiam *antimonium diaphoretic. cinnabaris antimonii*, speciatim *arcanum duplicatum Mynsichti*; postmodum fiat accessus ad *volatilia* cum *antiscorbuticis* mixta; *lumbrici terrestres* sunt remedium sine pari in vino infusi, vel in sero lactis cocti, vel pulverisati; *millepedes* etiam commendantur. Declinante morbo conveniunt remedia ex *pino* vel *abiete* (*scobs abietis in sero lactis coct.*) *rob. bacc. junip. sambuc. decoct. e lignis. Decoct. strobilorum pini* curam fere absolvit. Externe locis dolentibus applicandi sunt *lumbrici terrestres* donec moriantur.

Farrago sententiarum.

Partes nonilio-res quãdoque obsidet. *Art.* 1871. Miasma rheumaticum quandoque cerebrum, pulmones & viscera obsidet cum dolore & ægritudine excrucians. *Boerhaave.*

Vires terebinthinæ. *Art.* 1872. Dedi nonnumquam *terebinth. Venet.* ʒvj. vel ℥j. (& tantam ejus quantitatem veteres vulgo adhibebant) cum vitello ovi solut. in haustu quodam, non modo in *paralysi*, verum in *arthriticis & rheumaticis* affectibus cum optimo successu, sed in hoc postremo affectu *venæsectio* debet anteire, &, si opus fuerit, repeti. *Harris.*

Stercoris equi. *Art.* 1873. Infusio *stercoris equi masculi* in vino tenui vel liquore posset. facta, ad ℥iv. vel vj.

bis

bis in die propinata, est medicina in hoc affectu minime contemnenda. *Vvillis*. ,, Et nunc quo-
,, niam de medicamentis sordidis sermo agitur,
,, prætereunda non est *urina vaccæ* apud *Pari-*
,, *sienses*, & etiam non ita pridem *Londinenses*,
,, perquam celebrata, non modo in rheumati-
,, smo, sed etiam arthritide, hydrope, asthma-
,, te, ictero, &c. curandis. *Memoir. de l' Acad.*
,, Vol. XI. p. 41.

Art. 1874. Lini *sylvestris* cathartici herba integra cum caulibus, & capitulis vino albo leni calore infusa satis valide purgat serosos humores, indeque in *Rheumatismo* valde prodest; sed non nisi robustis propinanda est quorum plurimos, ruri degentes, solo usu istius remedii curatos vidi. Non novi præstantius remedium quam *rhabarbarum* diu continuatum ad hunc morbum contumacem oppugnandum. Et si malum sit habituale, ejusdem *recidivationem* præcavet. In corporibus languidis & emaciatis, hujus morbi diuturnitate, nec non medicamentorum farragine, fractis & detritis, *lac asininum cum pulveribus testaceis*, saltem *diæta lactea* plerumque felici adjumento esse potest.

Linum sylvestre. *Rhabarbarum.* *Lac Asininum.*

Art. 1875. Ad rheumaticos lumborum dolores potum *lactis* cocti cum aqua decoctionis *theæ* & mane sumptum ad ℔j. circiter, felicissime sum expertus. *Baglivus*.

Infus. theæ lactea.

Art. 1876. Remedia *antiarthritica* & *antiscorbutica* fere omnia hic conferunt, præcipue declinante morbo, & in intervallis. *Pil. volatil. epithema saponaceum*, *unguent. salino-volatile*, &c.

Remedia varia.

SCORBUTUS.

Barbetti & Deckerzii sententia.

Scorbutus qualis morbus. *Art.* 1877. Scorbutus est aliqualis *cachexiæ* species ab humore melancholico peculiariter corrupto ortus; in *calidum* & *frigidum* plerumque distinguitur; sed revera omnis provenit ab unica causa, nempe lympha vel pituita crassa; unde tot symptomata pro temperamentorum, & locorum diversitate, ex variis obstructionibus, & humorum stagnationibus: Quadraginta novem diversa enumerat *Eugalenus* in suo tractatu de *scorbuto*; sed illa omnia nunquam concurrunt in uno eodemque corpore. *Symptomata varia.* Conqueruntur de dolore interdum punctorio, plerumque gravativo capitis, de cordis palpitatione, angustia, inflatione ventriculi, tensione ventris; tussiunt, putant se interdum suffocari, difficulter respirant, vomunt, febricitant; appetitus prosternitur; singultu, ructibus, flatibus, convulsionibus vexantur, tremunt, lassi sunt artus, maculis rubris vel purpureis aspersi, (quæ tamen non sunt multi faciendæ, nisi degeneraverint in ulcera, vel elevatæ sint) adest plerumque oris pruritus, gingivarum erosio, cum sanguinis effusione, dentium vacillatione ac nigredine, halitus gravis, immo cum teterrimo aliquando odore; salivatio adest multa, urina cruda & tenuis, jam vero crassa & rubra, immo fere nigra; pulsus semper inæqualis, ac ut plurimum debilis; dolores vagi, imprimis crurum, præcipue noctu ingravescentes; ulcera maligna, tumores varii generis plerumque œdematosi, sudores copiosi, ipsa atrophia, viriumque defectus, carus, & sopor profundus.

Art.

Art. 1878. His regionibus adeo familiaris est ut nullus fere reperiatur morbus, cui non aliquid scorbuti subsit; vere & autumno maxime infestat, in adultis, & senibus gravior est; inveteratus & hæreditarius difficillime curatur; solvitur aliquando per alvum, per hæmorrhoides, vel per urinam; aliquando in alios morbos degenerat, scilicet, *hydropem*, *atrophiam*, *apoplexiam*, *epilepsiam*, *stuporem*, aut *convulsionem*; interdum Scorbutici subito moriuntur; dysenteria rarissime laborant; plerumque *diarrhœa* vel *linteria*, quæ difficulter curantur, longo temporis tractu ægros necant *hydropicos* vel *tabidos*; respiratio difficilis non adeo periculosum est malum quam vulgo putatur. „ Scorbutus fixam habens sedem (inquit *Vvaldschmidius*) raro curatur, nisi quandoque palliative: impossibile enim est sanguinem totaliter corruptum ad statum naturalem reducere. *Diæta* in hoc malo est optima medicina, de qua videatur *Sennertus* in praxi.

Est morbus frequentissimus & diuturnus, & difficilis curationis.

Art. 1879. Exactissima *diæta* medicamentis præstat, sine qua Scorbutus sensim fit incurabilis; *venæsectio* non prodest; *purgantia* fortiora nocent; sufficiunt suo tempore leniora; præparandi sunt humores *incidentibus*, inter quæ *salia volatilia* quæcunque primarium obtinent locum. *Antiscorbutica simplicia primaria*: sunt *radix raphan. sylv. oxylapath. petasitid. scorzoner. taraxaci, zedoar. angel. polypod. helenti, lignum guajac. sassafr. sem. sinap. fol. cochlear. becabung. nasturt. aquat. trifol. paludos. acetos. persicar. mala aurant. acidior. pom. citri, bacc. junip. sem. dauci, gum. ammoniac. lacc. crem. tartar. vitriolat. chalybs, &c.* Saccharum & saccharata omnia *Scorbuticis* nocent. „ Omnem Scorbutum (inquit „ *Dolæus*) feliciter intra xij. dies, diis faventi-

Curatio.

Vires mercurii dulcis.

„ bus,

„ bus, tollam per *mercur. dulc.* & revera dulci„ ficatur singulari, & peculiari motu sublima„ tum, ut duntaxat sudorem moveat, & nullam „ efficiat salivationem, cujus ope omnes scor„ buti humores intra prædictum tempus consu„ muntur, & educuntur, sed durante hac cura „ nihil bibendum, nisi decoctum appropriatum, „ & ab acidis & carne suilla abstinendum.

Art. 1880. Singulorum symptomatum curam peculiarem videre licet apud *Eugalenum*, cujus hæc summa est; quod omnibus *specificis* parti affectæ dicatis admiscenda sint *antiscorbutica*.

Dyspnaa, In difficili respiratione *sp. salis armoniac. cum tinctura croci & aq. cochlear.* specifice prodest.

Gingivarum laxitas. In gingivarum laxitate, & putrefactione *tinctura gum. lacc. sp. cochlear.* &c. pro lotione, item mistura sequens. ♃. *Pulv. rad. ireos florent. gum. lacc. ana* ℥j. *alum. ust.* ℈j. *mel. rosf. q. s. sp. salis* parum pro grato acore, *m.*

Dolores vagi. In doloribus vagis crurum, &c. inter externa topica *epithema saponaceum Fulleri* maxime commendatur.

Tormina ventris. In torminibus ventris convenit *sp. sal. armoniac. cortic. aurant.* infus. cumque *sp. junip.* vel *sem. anisi* mixtus: externe fotus, & linimentum seq. ♃. *Ol. lumbricor. terrest. chamæm. sp. cochlear. ana p. æ.*

Convulsio. In convulsione, & contractione interne convenit *sp. sal. armoniac. cortic. aurant. salv. & rore marino* effusus, item *ol. hyperic. & cochlear.* pro inunctione tendinum.

Erysipelas. In erysipelate præter externa exhibeantur *sudorifera*, ut *rob. sambuci*, *sp. ejusdem*, *bezor. mineral. sp. sal. armoniac. cochlear.* &c.

Atrophia. In atrophia non datur præstantius remedium, quam *lac caprillum spiritu aliquo antiscorbutico* prius ipsi instillato.

Char-

Charletoni sententia.

Art. 1883. Scorbutus in his regionibus septentrionalibus est morbus *endemius*, & maxime frequens in locis Boreæ patentibus, uliginosis, palustribus & maritimis; huc faciunt quoque insalubres ædium calce recens obductarum exspirationes; & in carcerum, fornicum speluncarumque angustiis conclusus, nec solutus syderum luce aer. Scorbuto præ aliis maxime tentantur ii, quibus alimenta sale ac fumo indurata, crassa, viscida, terrestria, nautica, atque id genus alia, quæ nec facile digeri, nec ad statum summæ fluxilitatis cito perduci norunt, diutino in usu sunt; item quibus vina poligophora, & spiritus ardentes scaturientes particulis salinis, & sulphureis sanguinem succumque nutricium fœda rancíditate inficiunt; adjice & illos, qui oxygari, omphacii, acetariorum, aceti, &c. ejusdem commatis condimentorum languenti per luxum stomacho male consulunt; acida quippe omnia strenue faciunt ad productionem *melancholiæ hypochondriacæ*, quæ scorbuto adeo affinis est, ut non nisi gradibus quibusdam ab eo differre videatur; sub eodem censu cadunt insalubres potus, aquæ nimirum corruptæ, crassæ, fæculentæ, graves, subsalsæ, cerevisiæ, & vina vitiosa. Qui delicate vivunt magis Scorbuto obnoxii sunt, quam qui laboriose, fœminæ viris, urbani agricolis, studiosi obtusis, &c. Plures sibi Scorbutum *contagio*, quam ex aliis ullis causis forinsecus advenientibus contrahunt. „ Causa „ Scorbuti (inquit *Dolæus*) est sal fixum acre „ in massa sanguinea, in qua latent multæ par- „ ticulæ vel acidæ vel muriaticæ; *acidæ* quando „ sanguis crassior, & nigricantior apparet, *mu-* „ *riaticæ*

Scorbuti causæ insigniores.

Causa scorbuti secundũ Dolæũ.

„ *riaticæ* vero ubi consistentia amissa tota dif-
„ fluit ; certum est utcunque Scorbutum non
„ semper ab una aliqua singulari , & simplici
„ causa proxima ortum suum habere ac depen-
„ dere, sed sæpe a multiplici : tot enim Scor-
„ buti species seu differentiæ dici possunt, quot
„ sunt vitiosæ sanguinis tincturæ e salibus diver-
„ sis (quæ propemodum infinitæ sunt) & ho-
„ rum diversimoda combinatione ortæ.

Remedia ad Scorbutum acidum. *Art.* 1882. Acido scorbuto affectis nullum (spondemus) sive præsentius, sive certius adhibueris remedium, quam *lactis emulsionum ex amygd. dulc. decocti china* , *jusculorum consummatorum*, *& cæter. antiacidorum* , *& analepticorum* usum ad plures septimanas productum.

Dyspnœa. *Art.*1883. Difficilis respiratio oritur plerumque, vel a sanguine grumescente, vel ab irritatione spasmodica a salium stimulis ; in priore casu conveniunt *incidentia*, *spiritus & salia volatilia*, *viperina*, *fimus equinus* , &c. aliquando *venæsectio* est necessaria ; in posteriori causa *antispasmodica* , *spiritus castorei*, *lavendulæ* , interdum *opiata*.

Diarrhœa. *Art.* 1884. In diarrhœa Scorbutica pluribus indicationibus satisfacit rhabarbarum modice tostum , quo præmisso , cæteris omnibus merito præfertur *crocus martis astringens* cum *conserva ros. rub.*

Tormina ventris. *Art.* 1885. In torminibus ventris *lac asininum* , *caprillum*, aut *serum lactis vaccin.* adhuc a coagulo tepidum, sunt remedia proficua : his enim , post mitigata tormina primarumque viarum purgationem, propinatis, non alvina tantum regio , sed totum etiam corpus perfectum *neoterismum* consequetur ; sed omnium instar sunt *aquæ minerales cathartica*, *ut Ebshamienses*, harum virtus est plane admirabilis (nec minores sunt vires *aquarum Bathoniensium*.)

Art.

Art. 1886. In paralysi, stupore, tremore, &c. convenient remedia *invigorandis corroborandisque cerebro & nervis* appropriata cum *antiscorbuticis generosioribus* conjuncta, item *Balneatio* in *thermis sulphureis* (& earundem *aquarum* potatio.) *Paralysis, stupor.*

Art. 1887. Atrophia Scorbutica partium nutriendarum crimine contingit. Inter *deobstruentia* haud scio an quicquam utilius datum sit *acidulis*, quæ facile in adyta mesenterii, & glandularum sese penetrantes vias chyliferas omni ab infarctu liberant, nec tamen ullum interim relinquunt sive caloris sive acrimoniæ vestigium; locum etiam habent *lac asininum*, *caprillum*, *juscula instaurantia* ex *limacum*, *cancrorum astacorumve fluviatilium carnibus*, &c. *Atrophia.*

In atrophia scorbutica interdum contingunt dejectiones unguinosæ, quasi adipe vel oleo perfusæ, nimirum solidarum partium colliquationes sunt: ægroti *hecticorum* more sunt tractandi, advocatis simul in subsidium *antiscorbuticis temperatioribus*. *Dejectiones unguinosæ.*

Vvillisii sententia.

Art. 1888. Scorbutus non est affectio simplex, sed potius morborum *legio*; secundum vulgares appellationes dicitur *biliosus* sive *calidior* exanthematis aliisque symptomatis apertioribus se prodens, vel *melancholicus*, cujus virus quasi sub cineribus latet. Dolor ventris Scorbuto adeo familiaris est, ut juxta *idioma Germanicum Scherboyk* exinde nomen acceperit; hoc symptoma nonnullos in mitiori licet gradu fere continuo affligit; in quibusdam vero dolores valde acuti sunt, & tanquam affectiones *colicæ* frequenter eveniunt; paroxysmo autem diutius persistente cruciatus sæpenumero in lumbos, & dorsum propagan- *Scorbutus est morborum legionum.*

pagan-

pagantur, cujusmodi affectioni non raro *paralysis* succedit; ratio est, quoniam nervi lumbares, & mesenterici intime communicant, ac pluribus in locis inosculantur. Dolores etiam alibi frequenter sentiuntur, ut in capite, pectore, cruribus &c. Novi plures Scorbuticos dolore molestissimo subter *sternum* excito perquam diu vexatos, ut in quibusdam nihil minus quam *abscessum* in mediastino latentem suspicarer. Cephalalgiæ sunt frequentissimæ, & intolerabiles, & tibiarum dolores atrocissimi.

Cathartica & digestiva. *Art.* 1889. Si ægrotantis constitutio sit calidior, *aloetica* & *diagridiata* vitentur, & temperatiora ex *senna*, *rhabarb.* &c. exhibeantur pro *catharsi*. Inter medicamenta *digestiva* merito recensentur *crem. tartari*, *tartar. vitriolat. tinct. salis tart. elix. propriet. mixtura simplex*, *&c.* Tincturæ cum menstruo sequenti melius ac facilius conficiuntur, quam vulgari modo: ℞. *sp. vitriol. rectific.* ℥vj. *sp. vin. alchaolisat.* ℥xvj. *m.* & distilla in retorta vitrea cum ternis cohiblis.

Diarrhœa. *Art.* 1890. Præter scorbuti curam radicalem medicus symptomatis gravioribus sublevandis subinde operam navare debet. In Diarrhœa inveterata methodo sequenti sæpe bono cum successu usus sum; imprimis purgatio cum *infuso rhabarbari*, *aromaticis astringentibus adjectis*, instituatur, & aliquoties iterata intervallo trium, & quatuor dierum: cæteris diebus sumatur dosis elect. seq. bis in die. ℞. *Conserv. absynth. vulgar.* ℥vj. *spec. diarrhod. abbat.* ʒij. *santal. alb. rub. ana* ʒj. *croc. mart. opt.* ℥ß. *syr. chalyb. q. s. m. f. elect.*

Oris vitia. *Art.* 1891. Quoad oris vitia, quando caro gingivarum intumescit, & fungosa evadit, valet *gargarisma scorbuticum nostrum*: quando gingivæ putrescunt, & corrumpuntur, medicamenta for-

tiora

tiora adhibeantur, imprimis infusio *lapidis medicamentosi*, & *astringentia* in dentium vacillatione.

Art. 1892. In artuum doloribus *sudorifera* cum julap. ex *aq. cochlear.* & *sp. lumbricor.* & *diuretica*, item *lumbrici terrestres* quocunque modo usurpati frequenter juvamen præstant, aliquando tamen *phlebotomia* convenit. „ Infusum *stercoris* „ *equi masculi*, *decoct. e lignis*, *gum. guaiac.* &c. „ hic locum habent. „ *Artuum dolores.*

Art. 1893. Crepitus ossium medelam vix admittit. „ Nec mirandum; nam ex cadaverum „ sectionibus patet *epiphyses ab ossium extremita-* „ *tibus sejungi & penitus separari*; unde sonum „ crepitantem inter movendum edunt. *Memoir. de l' Acadam.* Vol. III. p. 238. *Crepitus ossium.*

Pitcarnii sententia.

Art. 1894. Scorbutus est congeries plurium morbum natura diversorum. Ut febris est vitium sanguinis, sive omnium *excernendorum*, intra arterias dum fluunt, ita Scorbutus est vitium omnium aut multorum simul *excretorum*, dum per excretoria fluunt sua: vel est defectus aut augmentum in excretoriis canalibus. Pulsus in omnibus Scorbuticis est tardus (inter signa *pathognomonica*) ideoque generaliter *nastrucia* & *antiscorbutica* dicta prosunt; quia talia remedia pulsui frequentiam conciliant. *Scorbuti essentia.*

Art. 1895. Scorbuti cura optime eruitur resolvendo ipsum in symptomata, quibus constat, quorum remedia sunt nota. *Curatio.*

Art. 1896. Pro maculis in Scorbuto exhibe *antiicterica*; nam maculæ istæ sunt lividæ, & fere nigræ, ut in ictero nigro. *Maculæ.*

Et-

Ettmulleri sententia.

Signa Scorbuti primaria. *Art.* 1897. Præ aliis *Belgæ* & *Angli* Scorbuto sunt obnoxii, urina plerumque est nimis flammea, vel cum arenulis istis rufis impraegnata, in summitate vari-colorata instar caudæ pavonis; jejuno stomacho frequens est ptyalismus. Sequentia ceu signa primaria Scorbuti recenset *Lindanus*, colorem purpureum semilunarem sub concavo oculorum apparentem, cruentationem gingivarum, fœtorem oris, maculas in femoribus & tibiis, vacillationem genuum, phlogosin & exæstuationem per totum corpus.

Respiratio difficilis. *Art.* 1898. Maxime observatu dignum est prognosticon *Sennerti* de Scorbuto: Respirationis (inquit) difficultas, & pectoris angustia periculosum est malum, ob quam si medicus, & adstantes suum officium non faciant, sæpe ægri *syncope* præter expectationem intereunt; sin vero fortior natura morbum diutius tolerare possit, plerumque in *hydropem* incidunt, præcipue ii, qui purgantibus fortioribus subinde uti solent. Scorbutus calidus difficilioris est curationis quam frigidus; inprimis Scorbutus cum diarrhœa est periculosissimus, inquit *Eugalenus*.

Curatio. *Art.* 1899. Basis curandi mali hypochondriaci Scorbuti est *vomitus* in majori dosi; *purgantia* fortiora nocent, *laxantia* conveniunt; alvus enim semper servanda est aperta: de usu *martialium* notabilis est cautela *Tachenii*; in iis, quibus viscera tumida, & infarcta jam ad schirrhosam naturam degenerant, minus proficua. *Acetum* est nocivum, non tamen *succi acidi* vegetabilium & fructuum. *Lac* & omnia *lacticinia* in Scorbuto, præmissis universalibus, quamdiu stomachus adhuc digerendo aliquid valet, sunt optima.

ma. *Mercurialia* sunt vitanda ob metum salivationis, *antimonialia* potius sunt eligenda. Ad curam conducunt *martialia* omnia, præmissis *digestivis* & *vomitoriis*, ut *sal digestivum hypochondriacum* (i. e. caput mortuum *sp. salis armoniac.* per solutionem, chrystallisationem, &c. factum, *tartarus vitriolatus*, *sal absynthii* (*pulv. hyster. Batean.*) *antihectic. Poterii*, *bezoar. min. elixir. proprietat.* &c. Præmissis ita *digestivis*, propinandum est *vomitorium*, inter quæ eminent *antimonialia*, *tart. emetic.* dos. a gr. iv. ad vj. & postea per alvum *laxantia*, inter quæ *gum. ammoniacum*, *extract. hellebor. nigr. rhabarbarum*, *mercur. dulcis* (sed parce.) Demum accessus fiat ad *martialia* & *acidulas naturales*, *amara*, & *stomachica*, *arcanum duplicatum Mynsicht.* *Antiscorbutica specifica* sunt, *cochlearia*, *nasturt. flammul. Jovis*, *trifolium palustre*, *radix raphani oxylapath. bardan. ari*, *sem. sinap. abies*, *junip. chin. sarsaparilla*, *sassafr. cort. Vvinteran. citri*, *aurant. sp. cochlear. rob. sambuci*, *juniperi*, *sp. sal. armoniac.* & *sal. volat. ejusdem.* *Specifica.*

Art. 1900. In gingivarum pathematis succus *salviæ*, *cochleariæ*, *rorismarini*, *gum. lacc. myrrh. alum.* utramque faciunt paginam, cui addi potest *cremor aquæ calcis* supernatan. (1880. 1890.) *Gingivarum laxitas.*

Art. 1901. Maculæ cutaneæ sunt semper bonum signum malæ causæ foras erumpentis; interne conveniunt *diaphoretica*, *anthiectic. Poterii*, *cinnab. antimon. tinct. coral.* &c. item *decoctum summit. pini* expectando sudorem. *Maculæ.*

Art. 1902. Ad dolores crurum interne *sudorifera* decoct. *e lignis*, &c. Externe *sp. junip. camphorat.* item *sal armoniac. in sp. lumbricorum solut.* *Balneum quoque ex formicis earumque cubile est egregium.* (1880. 1892.) *Dolores crurum.*

Art. 1903. „ Est & colica quædam Scorbuti- *Colica nephritis.*

„ ca (inquit *Vvaldschmidius*) ubi ægri querun„ tur de intenso dolore circa lumbos, & non „ in intestinis, sed in musculis abdominis; ibi „ mesenterium afficitur, & causa morbifica hæ„ ret in plexibus nervorum succo nutritio de„ pravato, sæpe terminatur in paralysin, & ces„ sante paralysi redit dolor consuetus. Conve„ niunt *antiscorbutica* & *nervina*, *diuretica*, *su*„ *dorifica*, &c." Ad colicam, & nephritin notham *ol. amygd. dulc.* in jusculo gallinaceo, item *sperma ceti*, & *opiata* cum *catharticis*, *clysmata terebinth. stomachica & carminativa*. (1910.) De arthritide vaga Scorbutica vide infra.

Colica & nephritis.

Capitis dolor. *Art.* 1094. Ad cephalalgiam *sal volatile succini*, *cinnab. antimonii*, & usus lactis.

Paralysis, &c. *Art.* 1905. Paralysis Scorbutica, ut & convulsiones, & contracturæ curantur *vomitoriis*, *antiparalyticis*, & *antispasmodicis* cum *antiscorbuticis* permistis. (1880. 1886.)

Febris scorbutica. *Art.* 1906. Febris Scorbuticæ signa sunt omnia ea, quæ per se Scorbutum significant; palmarium interim notetur signum, quod in febre hac adsint notabilia circa appetitum vitia; v. gr. adest nimius, ut plurimum autem cum vomitu, aut depravatus, ut ad omnis generis salsa appetitus feratur, obstructiones alvi contumaces, &c.

Curatio. *Art.* 1907. Febres hæ curantur, ut aliæ; adhibitis etiam *antiscorbuticis*; *Arcanum duplicatum* est optimum remedium, & *sp. sal. armoniac.*

Farrago sententiarum.

Sydenhami sententia de scorbuto. *Art.* 1908. Scorbutus non ita frequens est morbus, ac vulgo putatur; nam multi ex iis affectibus, qui Scorbutici audiunt, sunt vel effecta morborum fientium, vel reliquiæ nondum perfecte devictorum, quod facile probatur exemplo *arthri-*

arthritidis, *podagræ*, atque *hydropis*: rebus ita se habentibus, methodus medendi non adulterinis illis symptomatis, sed ipsi morbo, qualisnam is demum fuerit, ceu perfecte formato, jamque actu existente accommodanda est. *Sydenhami* videatur locus *m. p.* 307.

Art. 1909. Succi *limonum*, *aurantiorumve* sunt *antiscorbutica* nunquam satis laudanda. „ Peritissimi, inquit *Piso*, nonnulli *Indiæ* medicastri plus præsidii in *limonibus* ponunt, quam in *lapid. bezoart.* aut *theriaca* contra malignos morbos, & pestilentiales febres atque ipsa venena. Ego autem sine jactantia affirmo, me ex nullo alio aliquo remedio simplici tot felices effectus in tota praxi mea observasse, quam ex *limonibus*. *Lister*. *Vires limonum & aurant.*

Art. 1910. Sabulum rutilum tartareum in urinis Scorbuticorum excerni solitum nephritidem spuriam sæpius inducit, quatenus angulis acutis ejusdem atomi gaudent (quod patet ex adhæsione ejus tam firma matulæ lateribus, ut non nisi vi inde ablui possit) quibus partes nervosas vellicant, & tormenta ipsis nephriticis graviora excitant, unde quoque sæpius in stranguriam inducunt, in quo casu omnia *diuretica* calidiora malum exasperant, *sp. salis dulcis* tamen hic multum præstat. *Ephem. German.* Anno 30. obs. 44. 895.) *Stranguria.*

Art. 1911. Usum remediorum sequentium peritus non ignorat. *Æthiop. mineral. aqua limacum Scorbut*, *aq. omnium florum*, *aq. raphan. comp. aq. scelotyrbica*, *cerevisia Scorbutica*, *cerevisia Scorbutica attemperans*, *epithema de calce*, *expressio Scorbutica calida*, *expressio Scorbutica temperata*, *fotus podagricus*, *fotus spirituosus*, *galbanetum Sennerti*, *gargarisma contra fœtorem*, *gargaris. myrrhysatum* 1. 2. *Gargarisma prunellorum*, *Remedia varia.*

mistura cephractica, *pil. cathartic. Scorbutic. serum sinapinum*, *succi antiscorbutici*, 1. 2. *tinctura canthari d.* 1. 2. *tinctur. gum. laccæ*, *tinctura antimonii*, *tinct. virginiana*, *pulv. ari comp. vinum viperinum*, *vitriol. Martis.*

Art. 1912. Aqua Antiscorbutica Regalis D. *de le Fevre.* ♃. *Rad. Raphan. sylvestr. lib. semis*, *qua probe mundata in talleol. tenuiss. secatur & in magnam cucurbitam vitream indatur*, *dein adde fol. Cochlear. lib.* vj. *Nastu. hortens. & aquatic. ana lib.* j. *sem. Scabiosæ lib.* j. *Lact. recent. lib.* xij. *Vin. Rhenani vel cujusvis alii lib.* iv. *distil. in M. B. usque ad siccitatem*, *& liquor emanans in phyalis probe clausis asservetur ne volatilem spiritum amittat*, *in quo ejus præcipua virtus consistit.* Hujusmodi Aquam ejus Auctor testatur ad rectificandam Sanguinis massam summe præstare, quia urinas, sudores & perspirationem promovet, stomachi munera confirmat, atque proinde appetitum acuit. Hinc specificum antiscorbuticum audit, nec non ægregium deobstruens, quod ab unc. ij. usque ad unc. vj. hauritur mane diluculo ante jentaculum, atque etiam eadem dosi circa quartam, vel quintam horam a prandio. Singula vice qua sumitur, bihorio elapso aliquid etiam cibi ingerere licet, ejusque usus cum sequentibus Trochicis, & pillulis Antiscorbuticis, si opus, conjungi potest.

Tabellæ antiscorbuticæ D. de le Fevre. ♃. *Antimon. diaph. unc. semis*, *Cortic. citr. recent.* ʒvj. *Macis* ʒj. *sem. Amygdal. dul. excorticat. unc.* ij. *Pistach. mundat. unc.* j. *Concis. & contus. omnibus misc. cum sacchar. q. s. & cum aq. ros. & cinam. fiant Tabellæ addita Tinc. Ambræ gris.* ʒ. *sem. & singularum Tabellarum pondus sit* ʒij. *vel* iij. de quibus altera mane, altera vero vespere usurpabitur superbibendo de supra descripta aqua unc. ij. vel iij. quotidie.

♃.

℞. *Rhab. elect.* ʒij. *Aloes succotrin.* ʒiij. *Myrrh. recent. optim.* ʒij. *sem. Gumm. Ammoniac.* ʒij. *Croci* ʒj. *sal. tartar. fol. senæ ana* ℈iv. *f. pulv. & cum Elix. Propr. cum sp. C. C. guttatim instillat. f. pillularis massa cujus dosis a* ℈. *sem. ad.* ʒj. & de singula drachma reformentur pillul. XL. ut facilius dissolvantur. Eædem ante cœnam, vel ante decubitum ingeruntur, quin nullatenus ciborum concoctionem turbare valent, nec tormina producere, quin imo mediocriter leniterque alvum tantummodo solicitant. Singulo biduo vel triduo etiam repeti possunt. *Pillulæ antiscorbuticæ ejusdem Auctoris.*

Cochleariæ spiritus, nec non ejus aqua, & extractum virtute antiscorbutica plurimum excellunt, quorum præparatio cum in laudato Auctore, tum etiam in aliis Chimicæ libris facile occurrit. Attamen simplex ejusdem plantæ succus ex doctissimorum Medicorum judicio magis præstat, ac reliquæ quævis præparationes. *Cochleariæ utilitas.*

Art. 1913. Dictionnarii Medicinalis Auctor sequens Opiatum in omnibus Scorbuticis affectionibus summopere celebrat. ℞. *Antihect. Poter. sal. Armoniac. ana* ʒij. *Rad. Ari pulv. succin. pulv. ana* ʒiij. *fenugr. subtiliss. pulv.* ʒj. *Misc. & cum conf. rof. vel syrup. quovis alio ejusmodi f. Opiatum*; quod duodecim in partes divisum, harum singulam sumat æger quotidie mane superbibendo de sequenti Ptisana cyathum, qua etiam in potum communem fruetur. *Quædam alia remedia.*

Ptisana antiscorbutica. ℞. *Nastur. aquat. Rad. & fol. fragariæ ana man.* ij. *Herb. cochlear. man.* j. *Aq. commun. lib.* xij. *coq. per horæ quadrant. & colat. absque expression. adjice Tart. martial. solub.* ʒij.

Quamquam prædictorum remediorum usu scorbutica symptomata leniantur, & conquiescant, non inde tamen reputandum est inobrum fundi- *Notandum.*

tus superatum iri, quia scorbuticum fermentum profunde delitescit, atque ita latet, ut, quando minus cogitatur, iterum prorumpat. Præstat igitur aliquandiu in eorumdem remediorum usu persistere, etiamsi secundæ valetudinis testimonia imponant, quin imo singulo anno bis eadem renovare Vere nempe, & Autumno ut inde morbi recidivatio evitetur.

Ad gingivarũ excoriationem. *Art.* 1914. Quantum ad gingivarum excoriationes seu ulcuscula, cum in hoc morbo gingivæ semper sanguinolentæ dentesque excarnes occurrant, satius erit succo Nastrucii aquatici, vel Cochleariæ, easdem subinde abluere, quin imo sal. Armoniac. ℥j. singulæ hujus succi libræ addere licebit.

Parisiis vulgo utiliter pro scorbuticis ulceribus detergendis ac mundificandis adhibetur Unguentum Styracis, quod hujusmodi est. ℞. *Ol. nuc. lib.* xxxvj. *Resin. & Picis Burgundicæ ana lib.* xxx. *Ceræ luteæ, Styrac. liq. ana lib.* xv. *solidioribus ad ignem fusis addantur liquidior., & ad unguent. consist. coquantur.*

Altera Scorbuti curatio. *Art.* 1915. Methodus ut in Xenodochio Domus Belgiæ ejusdem Urbis ita se habet: Remedia generalia præmittuntur, deinde pro potu communi cerevisia præscribitur ex infusione Absynth. Beccabung. & raphan. sylvest. quotidie mane stomacho jejuno propinantur ægro vini albi unc. vj. in quo cochleariæ, & absynth. folia infusa sint, vespere autem sex drachmæ exhibentur de Opiato ex Nastrut. Beccabung. semin. Nastrut. & Synapeos composito. Ad echimoses circa brachia, crura & femora succrescentes linimentum applicatur ex Sapone nigro, & vini spir. Quando ægri gingivæ tumescunt hordei decoctio, & agrimoniæ adhibetur cui, nonnullæ sp. vitriol. & mellis rosat. guttæ adjiciuntur.

AR-

ARTHRITIS.

Aretæi sententia.

Art. 1916. Communis omnium articulorum dolor Arthritis est, sed pedum dolorem Podagram vocamus, coxendicum Ischiada, manuum vero Chiragram. Verum articuli ita fere dolere incipiunt. *Morbi invadentis descriptio.*

Magnum pedis digitum dolor occupat, dein priorem partem pedis qua nititur, postea vero concavam subit, & malleolus postremo intumescit. Principio debilissimus morbus est, sed temporis spatio adeo vires acquirit, ut ægrotis incredibile videatur quomodo præter causam legitimam, & evidentem in insanabilem affectum inciderint, nihil enim medici diligentia proficitur.

Quibusdam in pedum articulis usque ad mortem residet morbus, quibusdam in omnis corporis ambitum vagatur, plerumque a pedibus in manus prosilit, item cubiti flexuram, & genu tenet, post hæc coxarum cavitates, quas Cotylas Græci vocant, & dicitur Peristrophus. Transitus quoque fit in dorsi, thoracisque musculos; incredibile enim quam late malus serpat; vertebræ dorsi, & cervicis dolent, & in summo sacri ossis dolor inhærescit. Verum etiam tendones, & musculi cum distentione dolores patiuntur, nec non maxillarum, & temporum musculi. Item communicatur renibus, & vesicæ. Oh rem admirabilem! Post omnia nares, & aures, & labia afficiuntur.

Art. 1917. Universam quidem ossium compagem morbus depopulatur non secus atque pedis aut manus articulum. In articulis quoque to- *Ejusdem confirmati descriptio.*

facea quædam coalefcunt, ab initio veluti abfceffus, poftea vero fpiffato humore, & concreto difficiles fiunt inflexiones, atque demum tofi folidi albique confiftunt. In toto autem membro tubercula exigua: quales funt *Jonthi* a græcis, & *Vari* a Latinis appellati, & majora exfurgunt.

Prognofis. *Art.* 1918. Haud facile quidem continua Podagra gignitur: fed nonnumquam longo intervallo temporis intermittitur, tenuis enim eft; & in ludis olympicis podagricus morbo fedato, curfu victoriam adeptus eft.

Viri facilius in hunc morbum incidunt, & ex mulieribus agiliores, quæ rarius quam viri, & difficilius hoc morbo laborant. Ætas huic morbo obnoxia eft a quinque annis fupra triginta, celerius quoque aut tardius, prout cujufque natura aut victus ratio poftulat.

Atroces fane dolores funt, fed eos comitantia atrociora; defectus animæ, ad manuum contactum immobilitas, ciborum averfatio, fitis, vigilia. Si difcrimen evaferint tanquam ab inferis elapfi laxiorem vitam degunt, incontinentes, fimplices, hilari, avari, in victu moles ac delicati; idcirco tanquam mortem rurfus fubituri licentiofe præfenti vita fruuntur.

Curatio. *Art.* 1919. Artuum exacerbationibus hoc fane modo fubveniendum eft. Lanæ ex ove fordidæ adhibeantur: irrigationes fiant ex rofaceo, & vino; nonnullis & fpongia ex pofca profuit Ad hæc cataplafma fiat panis, cum refrigerantibus: puta cucurbita, & cucumere. Accipiantur cucurbita tenuis, plantago herba, & rofarum folia. Sideritis etiam cum pane & mufco, & fymphyti radix, & pentaphylli herba dolorem fedant. Marrhubii decoctum vel infufum dolorem levat. Ex ipfa eadem herba, cum panis micis

aut

aut cum hordei farina cataplasma fit; Malorum quoque citriorum pars non apta cibo, cum polenta magnopere subvenit. Fici item acidi, & amygdalæ cum aliqua farina. Hæc quidem est refrigerationis materia, nonnullis vero calefacientia remedio sunt. Aliud alium juvit, & idem remedium alias aliis opitulatur.

Pervulgatum & hoc ad dolorem tollendum proficere. Capram oportet herba Iride ad satietatem depasci, deinde interposito tempore, quantum ad pabulum in ventriculo conficiendum satis est, capram immolare: atque intra ejus ventrem pedes ægrotantis occulere.

Sydenhami sententia.

Art. 1920. Podagra, exeunte *Januario* aut incipiente *Februario*, derepentè, & nulla fere præsensione antecedente ingruit, nisi quod ventriculi cruditate, aut apepsia ad septimanas aliquot æger laboraverit; corporis interim intumescentia quasi ventosa, & gravitate; quæ indies augetur donec tandem detonet paroxysmus; quem paucis diebus præit torpor, & quasi flatuum descensus per femorum carnes cum affectione σπασμοειδεῖ; tum etiam pridie paroxysmi appetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lectu somnoque committitur, hora vero secunda post mediam noctem excitatur a dolore *pollicem pedis* ut plurimum occupante, quandoque vero *calcaneum*, *suram aut talum*: hic dolor eum refert, qui ossium dictorum dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquæ tantum non frigidæ partis affectæ membranis affusæ. Mox sequitur rigor, cum horrore, & febricitatione aliquali. Dolor autem hic primo remissior gradatim intenditur (pari passu rigor, & horror recedunt) idque in

Podagra historia accurata.

sin-

ſingulis horis donec tandem ſub noctem ad apicem pervenerit, ſe ad varietatem oſſiculorum *tarſi* & *metatarſi*, quorum ligamenta obſidet, perbelle accommodans; nunc tenſionem violentam, vel ligamentorum iſtorum dilacerationem, nunc morſum canis rodentis, quandoque preſſuram, & coarctationem exprimens: adhæc, ita vivum exquiſitumque habet ſenſum pars affecta, ut nec linteorum ſuperincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concaſſionem ferre valeat; hinc mille conamina, ſitus tum ipſius corporis, tum membri affecti mutatione aſſidua, doloris ſedationem incaſſum exambit; quæ tamen non contingit ante horam ſecundam tertiamve matutinam (decurſo ſcilicet *nycthemeri* ſpatio a primo appulſu paroxyſmi); quo tempore æger poſt materiæ peccantis modicam digeſtionem, & difflationem aliqualem, ſubito a dolore reſpirat. Jam leni madore perfuſus ſomno concedit, a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem affectam tumore recenter occupatam cernit. Intra paucos dies alter pes eodem dolore torquetur, eaſdemque excitat tragœdias; nonnunquam etiam ambos pedes in initio occupat; poſtquam utrumque pedem exercuerit, qui ſequuntur paroxyſmi abnormes ſunt, tum quoad tempus invaſionis, tum etiam quoad durationem, hoc tamen ubique ſervant, quod dolor noctu recrudeſcat, mane vero remittatur; atque ex ſerie horum paroxyſmulorum conſtat paroxyſmus, qui dicitur podagræ, diuturnior breviorve pro ægri ætate, &c. quod in vegetioribus, & iis, quos podagra rarius invaſit, diebus ſæpe quatuordecim fit; in ſenioribus, atque iis, quos ſæpius afflixit, duobus menſibus; iis vero qui aliquot annis podagrici fuerunt, non prius valedicit, quam ætas adultior eam fugaverit.

Art.

Art. 1921. Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quæ post separationem sedimentum rubrum, & quasi arenulis refertum deponit; nec æger ut plurimum nisi tertiam potulentorum, quæ assumpsit partem per vesicam reddit, alvus item ad dictos fere primos dies constipata est. Appetitus prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non affectarum gravitas, & molesta sensatio interdum paroxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus, maxime inter digitos, unde decidunt furfures, & pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur. *Paroxysmi progressus & terminatio.*

Art. 1922. Atque hoc modo se habet podagra *regularis*, cum vero vel indebita medicatione turbetur, vel diuturnior invaserit; jam per annos aliquot phænomena sunt multum diversa a jam descriptis; jam manus, carpos, cubitos, aliasque regiones occupat; quandoque digitos distorquens, motu paulatim privans, tandemque concretiones, circa articulorum ligamenta, tophaceas generans, cretam vel oculos cancrorum emulantes, nonnunquam in cubitis tumorem subalbum ciet, fere ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur; nonnunquam femur occupans, sensum exhibet, quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili; at genu exinde petens, id acrius urget, artus jam habet æger fere undequaque contractos, & impeditos, ita ut claudicet, & permoleste prorepat. *Symptomata morbi post annos aliquot infestantis.*

Art. 1923. Animadvertendum est, quod ubi quis ad multos annos podagra laboraverit, dolor singulis paroxysmis gradatim imminuitur, tandemque *ægritudine* potius afficitur, quam *dolore*; *dolor* & *ægritudo* quasi alternatim lacessit; DOLOR IN HOC MORBO EST AMARISSIMUM *In morbo inveterato minuitur dolor & augetur ægritudo.*

MUM NATURÆ PHARMACUM, qui, quo vehementior est, eo citius præterlabitur paroxysmus, atque insuper, & longior erit intermissio, & magis perfecta; & vice versa.

Neque venæsectio neq; catharsis nullatenus prodest.

Art. 1924. In podagricis, quamvis qui educitur sanguis pleuriticorum, & rehumatismo laborantium sanguinem ut plurimum referat; attamen *venæsectio* haud minus insigniter in hoc morbo officere ægro, quam in duobus prædictis prodesse cernitur; *catharsis* etiam justissimis de causis damnatur. Tam in hoc, quam in aliis morbis quibuscunque, dempta sola peste, sudores prolicere non tam medici quam naturæ provincia est; ideoque curatio medicamentis *diaphoreticis* incassum tentatur.

Unde difficilius est curatu.

Art. 1925. In hoc morbo curando duæ sunt causæ principales præcipue spectandæ, prima est *causa antecedens*, viz. humorum indigestio a caloris & spirituum defectu orta, altera est *causa continens*, viz. humorum calor, & exæstuatio; hæ duæ toto cœlo discrepant, atque hinc, quæ huic prosint remedia alteri obsint, unde hic affectus tam difficilis est curatu.

Præcipua indicatio curativa.

Art. 1926. Quæ *ventriculum roborant* & *concoctionem* adjuvant, medicamenta *digestiva* appellata, intentioni adimplendæ conferunt; hujusmodi sunt *radix anglic. enul. campan. & antiscorbutica*, e medicamentis vulgo cognitis *theriaca Andromachi* concoctionibus roborandis præ cæteris confert. Inter simplicia *cortex Peruvianus* primas obtinet, qui sanguinem corroborat vegetumque reddit, si ejus grana aliquot mane, & sero assumantur. Medicamenta *digestiva* modo laudata præcipue in paroxysmorum intervallis; idque longissime a paroxysmo insecuturo in usum revocanda sunt majori cum fructu. Liquor sequens, utpote qui gustu ac colore jucundus est, authori ma-

maxime arridet; ℞. *Rad. sarsaparil.* ℥vj. *chin. lign. sassafr. ras. C. C. ana* ℥ij. *glycyrrhiz.* ℥j. coq. in aq. font. cong. ij. per hor. dimid. deinde stent clause super ciner. calid. per hor. 12. postea ebulliant ad tertiæ partis consumptionem, cum primum ab igne amoveatur, infund. *sem. anis.* ℥ß. post hor. ij. coletur liquor, & per residentiam depuretur.

Art. 1927. Tollere nodosam nescit medicina podagram; exercitatio tamen *tophorum* generationem præscindit, & etiam generatos, & induratos solvit; si cuivis innotesceret medicamentum, quod, & celare vellet, æque efficax in hoc morbo, ut in chronicis plerisque est *equitatio* constans & assidua, opes ille exinde amplissimas facile accumulare posset. *Tophi*

Art. 1928. In debilitate, & languore ventriculi aut ventris torminibus neque *vinum gallicum rubrum* vel *theriaca Andromachi*, neque aliud quodlibet e *cardiacis* mihi hactenus notis pares habet vires, ac *vini Canariensis* haustulus subinde degluritus languore atque ægritudine urgentibus. *Languores.*

Art. 1929. Sin autem gravius aliquod symptoma ex retrocessu materiæ podagricæ subito ingruat, & mortem ægro minitetur, neque vino neque exercitio supra laudatis fidendum est, verum: modo non caput, at partes vel naturales, vel vitales ejusmodi malum impetat, ad *laudanum* cum *cardiacis* permistis statim confugiendum. Signum *retrocessionis* materiæ Arthriticæ, ægritudo ingens cum vomituritione, & aliquali ventris dolore; in hoc casu congium unum *liquoris possetici*, vel alicujus istiusmodi devoro, & cum totum per vemitionem rejecerim, tum ebibo haustum *vin. Canarin.* cum *laudan. liquid.* gr. xviij. in lecto ad quietem me componens. *Schedul. monit. p.* 120. *Arthritidis retrocessio.*

Art.

Diarrhœa. *Art.* 1930. Ad diarrhœam, si *laudano* non obtemperet, unicum remedium est, ut *sudor* provocetur methodo & medicamentis huic usui destinatis; quod si fiat ad biduum triduumve per duas tresve horas continuas, sistetur ut plurimum diarrhœa, & morbi fomes magna vi in artus detonabit.

Peripneumonia. *Art.* 1931. Metastasis materiæ peccantis in pulmonum lobos pari modo tractanda est, quo peripneumonia absoluta, viz. *venesectione*, &c.

Nephritis. *Art.* 1932. Si podagricis superveniat *nephritis* (quod sæpissime accidit) posthabitis aliis bibat æger magna co[p.] liquor. posset. cui *radix* (& *fol. alth.* & *malv.*) incoct. sunt. Et injiciatur *enema*; & postremo exhibeatur *laudani* dosis grandior.

Therapia radicalis adhuc desideratur. *Art.* 1933. Therapia *radicalis* podagræ adhuc in *Democriti* puteo latet: neque temere curanda est arthritis; quid enim est nisi naturæ providentia ad depurandum senum sanguinem, atque expurgandum corporis profundum, ut cum *Hippocrate* loquamur.

Listeri sententia.

Arthritidis causa. *Art.* 1934. Ductus humori pituitoso in artubus excernendo dicati, aliquo modo labefactati, i.e. vel laxati ab improbo aliquo exercitio, maxime a cibo, ex nimia Venere; a qua tot motus articulorum convulsivi; ex frequenti usu vini; &c. quibus iidem ductus vehementer resolvuntur; vel ex naturali quadam imbecillitate; qua contractioni impares sunt; vel obstructi ex aliqua longa hæmorrhagia, ex crapula & otio, humor ille ex crudo jam & lento sero confectus, in ductibus articulorum excretoriis moram trahendo, facile putredinem & acrimoniam concipit, & ichorosus tandem fit; ipsa denique

ossa

ossa rodendo, illa in tophos dissolvere potis est; quod satis constat ex ossibus cariosis vermiculato quodam opere profunde insculptis. Unde primum atrox dolor: nempe a continua distentione & dilatatione ductuum, a corrumpente humore, ex nativa autem partium istarum conformatione dolor acerbior evadit: atque hinc illi sensus stricturæ infinitæ, compressionis, ponderis, caloris urentis, lancinationis, punctionum, rosionum; ut humor putrescens in angustiis & vix dilatabilibus ductibus impactus viam sibi faciat.

Art. 1935. Ad dolorem mitigandum sequens cataplasma præscripsi; ℞. *Mic. panis siliginei ex lacte coct.* ℔j. *croci* ℥ß. *aloes succotrin. ad pulv. sicc. & friabilem ustulat.* ℥iij. *ol. lilior. q. s. m. f. cataplasm.* & alio paroxysmo atroci *Emplast. viride Glyconis* apud *Scribonium Largum* descriptum adhibui non minori cum successu; ℞. *Æris ust. ærugin. ana* ℥vj. *sal. gem. gum. ammoniac. thur. ana* ℥ß. *aristol. rotund.* ℥j. *alum.* ℥ß. *myrrh. galban. aloe. ana* ℥j. *ceræ* ℥ij. *terebinth. chiæ* ℥iß. *ol.* ℔j. *m. f. s. a. empl.* Decursu morbi ad sitim leniendam convenit hujusmodi *aq. limac. ad.* ℥vj. ter in die; ℞. *Cochlearum hortens.* NM. ℥j. *lact. recent.* ℔xij. caute distillentur evitando empyreuma ad medias; Sing. ℔j. adde *succ. limon. matur.* ℥ß. *sacchar. cand.* q. s. *Ad dolorem & sitim in arthritide laborantibus.*

Art. 1936. Unica illa aurea regula de abstinentia mihi certe maxime arridet; nempe ut iis, quibus aut integra sanitas, aut longiora valetudinis bonæ intervalla cordi sunt; PARVA CIBATIO SUMMÆ CURÆ SIT: atque hoc omnibus hominibus, quocunque statu & conditione sint cum ipsius quoque EXERCITII loco esse potest, etiam *pedibus ex toto captis*. *Quantū valet abstinentia.*

Ett-

Ettmulleri sententia.

Signa arthritidis appropinquantis & symptomata præsentis.

Art. 1937. Arthritis fere per paroxyſmos affligere ſolet, extra quos, niſi in inveterato malo, ſatis commode habent ægri; quoties imminet paroxyſmus, alvus fere ſegnior evadit, ægri moleſtiam quandam haud bene explicabilem circa præcordia ſentiunt, conſuetum excrementum intra pedum digitos non reperitur, & circa articulos tenſio percipitur, hinc dolor pungens, lacerans & pulſans, interdum ardens in Arthritide *calida* dicta, in hoc ſymptomata ſunt acriora, ſed breviores ſunt parxyſmi; in *frigida* tumor plus minus œdematoſus, nec niſi poſt longum tempus evaneſcens; in incremento paroxyſmi conqueruntur ægri de æſtu circa regionem ſtomachi, hinc ſitis, & appetitus proſtratus. Hæc fere ipſa ſymptomata in dolore *iſchiadico* occurrunt; ſi crebrius redeant paroxyſmi, & vehementius affligant, inſigniter debilitantur articuli. *Bacchus dicitur pater, Venus mater, & Ira obſtetrix Arthritidis.*

Qualia remedia utiliter uſurpantur.

Art. 1938. Ingruente podagra convenit *vomitus*, & forſan blanda *purgatio*, quæ omnino vitanda eſt in ſtatu morbi. *Opiata* nunquam fere ſunt proficua, malum contumacius reddunt, & motum naturæ impediunt. Optime conducunt *fixa acida abſorbentia*, *volatilia*, &c. *Venæſectio* minus convenit, niſi in *iſchiadico* dolore, in principio paroxyſmi, decoctum *e lignis*. *Spiritus cochlear. trifolium paluſtre*, &c. laudatur. *Topica*, non niſi præmiſſis univerſalibus, locum habent, *narcotica* fugienda ſunt; ſymptomata adjuncta ſunt conſideranda, ardor, dolor, tumor, &c. *Topica* non niſi in ſtatu morbi ſunt applicanda, laudatur *ſp. lumbricorum* cum *campho-*

phora, *sale armoniaco*, &c. *sp. theriacalis camphorat.* misturæ ex *calce viv.* & *sal. armoniac.* affundatur *sp. vini*, & huic distillato adde *camphoram*, & sic optimum habetur specificum in inflammationibus podagræ. *Flores sambuci* in lacte cocti dolorem leniunt. *Caro bubula* sine pinguedine mane, & sero mutata dolorem compescit, & omnibus præfertur; item *stercus bubulum* cum *urina humana putrefacta*, in qua *calx viva* extincta est; *sapo Venetus in spiritu vini solutus* cum additione *olei juniperi* & *petrolei* insigne facit unguentum.

Art. 1939. *Vesicatoria* in malo *ischiadico* multum conducunt. Ad tophos, *caseus vetus & putridus* cum decoct. *suillæ* est proficuus. In malo *ischiadico* omnibus encomiis dignum est *Poterii* emplast. *de pice sulphurarum*; ℞. *Pic. naval.* ℥iv. *terebinth. ven.* ℥ß. *mastich. succin. ana* ʒij. *sulphur. commun.* ℥ß. *m. f. empl.* *Ischias.*

Pitcarnii sententia.

Art. 1940. In Arthritide nihil ages urgendo pharmaca *purgantia*; *vomitoria* prosunt, post illa *mercurius* sensim datus. Parti dolenti applicare licet *balsamum Guidonis*, aut lintea liquore sequenti madentia; ℞. *Aq. font. fervent.* ℔viij. *arsenic. alb. vel flav.* ℥ij. *calcis viv.* ℥vj. digere per hor. 24. lento igne. (Sed de ejus usu incidit mihi suspicio.) Si dolor accedat in ventriculo, utere *N. M. condit. pulv. rad. saræparil. cort. Peruv. ol. cinnamom. zinzib. condit.* &c. Proderit etiam in podagra decoct. sequens ℞. *Vin. alb. vel. cerevis.* ℔viij. *lact. fervent.* ℔iv. ablato coagulo immitte *bacc. oxyacanth.* ℔j. coq. per hor. dimid. bibat æger ℔j. mane, & vesperi. *Pitcarnii methodus.*

Musgravii sententia.

Sedes arthritidis propria in artubus. *Art.* 1941. Sedes Arthritidis propria, & exoptatissima est in artubus, non in trunco corporis, posteriori autem casu, non priori mortem minatur: „ quid agendum sit, brevi comprehen-„ ditur in divini *Hippocratis* effato, nimirum, „ revellenda ea, quæ, quo non oportet, repunt; „ sin autem quo convenit, iis viam sternere o-„ portet, ut singula eo vergant." Quando *recessus* fiat miasmatis Arthritici in partem aliquam internam, morbum istius partis adeo exquisite imitatur, ut de existentia ipsius minime constaret, nisi Arthritis regularis præcesserit.

Indicatio generalis in arthritide anomala. *Art.* 1942. Medendi indicatio generalis est, ut Arthritide anomala pars affecta quam citissime, quam tutissime levetur; accurate itaque perpenso morbi genio, juxta partem, quam occupat, & factis necessariis *evacuationibus*, optime felicissimeque curatio perficitur per materiæ in artus translationem; hoc enim est ipsum naturæ propositum. Medicamenta huic intentioni inservientia interna, *expellentia* dicta, sunt plerumque *cardiaca*, quæ satis nota sunt; ad extrudendam autem Arthritidem nihil potentius & efficacius invenitur quam *chalybs nutritus* (præparationem videsis apud auctorem.) *Topica*, quæ Arthritidem artubus invitant, sunt emplastra ex *gum. caran.* vel *oxyc.* vel *cephal. cum pice Burgun. dimid. vel triente*, vel *ceratum viride* vulgo *Hatcase*, &, si vires ægri ferant, & res in dubio versetur, *Phœnigm.* seq. ♃. *Ferm. vet. part.* ij. *sem. sinap. raph. sylv. alii, cacumin. rut. fim. columb. ana p.* j. *contunde cum aceto vin. alb. q. s. & redige ad spissitudinem cataplasmat.*

Arthritis *Art.* 1943. Si Arthritis ventriculum occupet, ibi-

ibique commoretur, indicatur lene *emeticum* ex decocto *fol. theæ viridis*, vel *cardui benedicti*, vel ex *sale vitrioli*; &, finita operatione, *paregoricum*; convenit etiam interdum *catharsis*, & demum Arthritis in artus omni vi depellenda est, ut ante ostensum est. *in ventriculo.*

Art. 1944. In colica Arthritica propinari debet *catharticum* huic morbo idoneum, & tunc podagram *expellentibus*, una cum *anticolicis*, utendum est; *fotus* etiam & *linimenta* suum habent locum; sed (quod maximi est momenti) probe animadvertendum est, & recordandum, *quod vana & frustra arthriditis regularis in artubus excitandæ sit spes omnis, quamdiu intestina fuerint immunda, fæcibusque onerata.* *Colica arthritica.* *Nota bene.*

Art. 1945. In diarrhæa vel dysenteria arthritica *laudano* sensim cohibendus est fluxus, & postea expellendus est cum cautela inimicus. *Diarrhœa.*

Art. 1946. In paroxysmo arthritico, & nephritico simul *paregorica* sunt necessaria: *adeps cuniculi* externe inunct. dolorem mirifice lenit ex senis calculosi experimento. *Nephritis.*

Art. 1947. In asthmate arthritico cura varie instituenda est pro diversitate morbi vel *sicci* vel *humidi*; arthritis (si fieri possit) in artubus excitanda est; interim in spirandi difficultatibus omnium maxime certissimeque inflationem mirum in modum cicurat compescitque *potio Coffee*. *Asthma.*

Art. 1948. In angina arthritica plurimum valet sequens gargarisma; ♃. *Aq. hord.* ℔j. *diamor.* ℥iij. *sp. sulph. per camp. quantum lingua ferre poterit. m.* nihil vero pulvere sequenti præstantius efficaciusve novi; ♃. *Cryst. min. sacch. crystal. ana p. æ misce, teneatur in ore* ℈j. *donec saliva abundaverit, tunc expuatur, & repetatur frequentissime, mirum quantum hinc salivæ, &c.* *Angina.*

Art. 1949. „ In pleuritide, peripneumonia & *Pleuritis*

tis peri-pneumonia, &c. „ angina arthritica non novi præstantius remedium, quam infusum vel decoctum *stercoris equini*; est etenim medicamentum non modo iis affectibus primario proficuum, sed etiam arthritidis in artus expulsor fortissimus; expertus loquor."

Arthritis caput petens. *Art.* 1950. Arthritis caput petens, varios ac periculosos producit affectus, cephalalgiam, vertiginem, apoplexiam, convulsiones, paralysin, &c. in his affectibus cerebrum quam citissime allevetur *evacuatione*, *revulsione*, & in artus *amandatione*; in hujusmodi casibus ægrotantium pedes in *aquam fontan. fervidam* immitti curo, ibidemque ad tempus detineri, unde capi juvamen præsentaneum obtinetur.

Consulendus est author. *Art.* 1951. „ Si doctissimum auctorem inspicere haud graveris, ille tibi plura amplissime suppeditabit de arthritidis anomalæ ætiologia, & curatione.

Farrago sententiarum.

Temperantia. *Art.* 1952. Omnia remedia calculosis, & podagricis præscripta inutilia propemodum erunt, nisi *vinum*, *venus*, *otium*, & *crapula* temperantius usurpentur.

Diæta lactea. *Art.* 1953. Novi quosdam insigne levamen accepisse ex *diæta lactea* per tres aut quatuor menses sine ullo alio alimento: alios vero ex *lactis* usu deterius habuisse, viscerum obstructiones contraxisse; ideoque sine prudentis medici consilio utrum conveniat, necne, haud temere ineatur. *Willis.*

Art. 1954. Cum ego olim articulorum doloribus vexarer (inquit *Sennertus*) & varios de ea re authores legerem; in eo omnes consentire animadverti, in arthritidis curatione, plus spei in

bona

bona diæta, quam in medicamentis ponendum esse.

Art. 1954. Summarium præscripti celeberrimi D. *B.* pro Nobili quodam Anglicano ad *arthritidem eradicandam* hujusmodi fuit.

— Lac novum cum duplici aqua commista repudiatis aliis quotcunque liquoribus solummodo ad potandum concedendum est; utcunque tamen *coffee* & *thea* modica quantitate interdum permittenda sunt, his vero sorbitionibus lac semper conjungendum est. Mane cum primum expergiscaris, coctionibus plene ac perfecte absolutis, libram aquæ fontanæ bibas, suadeo; & deinde elapsis duabus horis ad jentaculum accedas; cui sufficiat lac coctum addito exiguo pane, jusculum avenaceum, cum vel sine lacte; interdum *coffee*, *thea*, vel *chocolata* cum lacte temperata, panis butyratus, &c. Prandio nihil edendum est, nisi ex avenis, hordeo, oryza vel seminibus milii paratum fuerit, radices dauci vel raparum, spinachia, fabæ vel pisæ, &c. admitti possunt in victum; quinetiam fructibus vesci, cum maturi sint, non interdico; pyra vel mala furno cocta inter edilia minime contemnenda recenseantur; sed præ reliquis panem biscoctum, cum lacte commendo; aliquando sed rarius de piscibus non salitis modicum comedere licebit. Acida & salsa vitanda sunt. Cœna sit lac & panis. Hora 9. vespertina, vel citius cubitum eundum est. Somno indulgeas; quanto enim plus somni capis eo melius tibi cessurum est. Frictio sicca artuum mane, & vesperi repetita plurimum valet: Humores enim dissipat, & nodorum ac tophorum generationem prohibet: Exercitium inter primaria auxilia pono, equitatio licet potior sit quam curru vehi, ambo tamen utilia sunt, & in eorum frequenti usu esse debes. Inter exercendum so-

solummodo caveas, ne aeri frigido ac humido te ipsum nimium exponas. Si denique his non obstantibus arthritis insultum faciat, & cum vehementia desævierit, quod vix credibile est, interdum dosin laudani exhiberi, parca licet manu, & non nisi premente necessitate, concedimus. Transitus a communi vivendi more ad hoc vitæ genus est tutissimus, neque est quod extimescas a subitanea mutatione: sed hoc semel instituto in eo usque ad vitæ terminum persistendum est; nam reditus ad luxum, & liberam vivendi consuetudinem periculo haud vacaret. Arthritis hæreditaria perinde ac adventitia huic regimini cedit: labes etenim morbi in gremio sanguinis latitat, & in utroque genere hujusmodi victu facillime exterminabitur. Amplexibus venereis ne nimis obedientem te geras, concubitus illicitos omnino fugias, &c.

Remedium celebre. *Art.* 1956. Perquam celebre fuit præscriptum sequens aliquando apud *Londinenses*. ℞. *Rad. turbith. hermodact. jalap. tartar. vitriolat. anagr.* xv. *m. f. pulv. in haust. vin. alb. sumendus singulis mensibus*. In eundem etiam usum *electuarium caryocostinum* a quibusdam valde prædicatur. Ast omnium *vomitus* podagræ est prophylacticum præstantissimum, qui potest provocari emeticorum ope in insigni humorum colluvie, ubi juncturæ admodum laxæ, & morbus præ foribus est. Atqui *Podagricus* est vi sui arbitrii, præceptis non auscultat, sed genio in valetudinis incommodum plerumque indulget.

Ad nauseã ventriculi. *Art.* 1957. Ad nauseam ventriculi in hoc morbo frequentem non datur præstantius remedium quam *vinum Canariense radice zedoariæ medicatum*. *Tinctura corallii* specificum audit.

Art. 1958. Singularis est ista clarissimi *Verulamii* methodus. ℞. *Mic. panis albissim.* ℥iij. coq.

in

in lacte recent. Sub finem add. *flor. rof. rub.* ℥ß. *croc.* ℈ß. *ol. rof.* ℥j. *m. f.* cataplaſma parti affectæ applicand. ſubtepide, poſt horas tres amoveatur, & uſurpetur fotus ſequens per horæ quadrantem cum coccineo panno vel lana ejuſdem coloris; ℞. *Fol. ſalviæ* miß. *rad. cicut.* ℥vj. *brion.* ℥ß. *fol. roſ. rub.* p. ij. coq. in aq. font. in qua chalybs candens ſæpius extinctus fuerit ℔iv. Ad ℔ij. colaturæ add. *ſal. marin.* mß. ſtatim poſt uſum fotus applicetur *emplaſt diacalcit.* cum *ol. roſ. malaxat. Baconis hiſt. nat.* „ In podagra unicum commen- „ damus *topicum* (inquit *Dolæus*) ; *repellentia* „ vero in hoc affectu non magni facimus, quia „ inde plus damni quam commodi experti ſu- „ mus. Sequens vero pro arcano hic in ſolatium „ podagricorum communicare volumus, quod „ nunquam te fruſtrabit effectu, modo in tem- „ pore adhibeas; *mille enim experientiis eſt com-* „ *probatum*, quod extrahat dolores podagricos „ non repellendo eoſdem, ſed morbifidam ma- „ teriam *extrahendo*, *reſolvendo*, & *diſcutiendo*. „ Quandoquidem primordia ſunt ut plurimum „ ab aciditate hoſtili, ad corporis ambitum de- „ lata, & artus moleſtante; unde podagræ cha- „ racter digeſtionem afficit. ℞. *Confect. hamech.* „ ℥j. *pulv. jalap.* ℥ß. *extract. trifol. fibrin.* ʒij. *li-* „ *tharg. aur.* ℥vj. *ſapæ antimon.* ʒß. *ſacchar. canth.* „ ℥vj. *ol. olivar. q. ſ. ceræ & picis parum f. ſ. a.* empla- „ ſtrum, quod imponatur artubus dolorificis quam- „ vis inflammatis, & relinquas, donec dolores, „ & humores evanuerint, quod mire præſtat.

Topicum ſingulare Dolæi.

Art. 1959. Remedia ſequentia interdum pro re nata in uſum adduci poſſunt; *allium conditum*, *aq. omnium florum*, *aurum moſaicum*, *balſamum Rhamelii*; *cinnab. antimonii*, *electuarium caryocoſtinum*, *empl. pleuriticum*, *empl. ſmecticum*, *epithema ſaponaceum*, *expreſſio millepedum*. *Flores*

Remedia varia.

salis armoniaci martiati, *fotus podagricus*, *gum. guajac. mistura balsamica*, *rob. Sambuci* fere specificum.

ISCHIAS.

Cœlii Aureliani sententia.

Accurata morbi historia. *Art.* 952. Dolor Ischiadicus nunc ex manifestis, nunc ex occultis causis generatur; ut susceptione frigoris, terrena cubatione, casu aut repentino percussu, vel luxatione; venere immodica, vel morbo aliquo prægresso. Adest primo membri affecti gravedo, & difficilis motus cum levi torpore ac formicatione, in quibusdam cum vehementi, pungenti, ac fervido dolore, & ad sensum patientis tanquam serpentis convoluti motu; interdum etiam adest febris, ut se in lecto continere non valeant ægrotantes; dolor in vertebro sentitur, dehinc in articulationes partium vicinarum penetrans, ad poplitem pertingens atque suram, dehinc etiam ad talum, & pedis summitatem: progressu temporis fit cruris totius extenuatio cum debilitate, & ejusdem abbreviatio, & miserrima claudicatio; quidam ambulant, capitibus digitorum gradientes, alii antrorsum, alii extrorsum: &c. Loci principaliter affecti sunt periosteum, & musculorum capita sive insertiones; aliquando in abscessum tendit. Si quis velit, consulat authorem de curatione.

Art. 1961. „ Methodus medendi hunc morbum satis contumacem D. *Cheynei* ex suggestione præclari *Pitcarnii* sic se habet; Sumat æger pro virium sufficientia, & ventriculi tolerantia *spiritus æther. terebinth. a* ℈j. *ad* ℈ij. *vel* ʒß. *cum triplici quantitate mellis purissimi*

„ *quo*-

„ *quotidie mane jejuno ventriculo ad* 4. *vel* 6. *vel*
„ *ad summum* 8. *vices superbibendo hauſt.* ij. *vel*
„ iij. *ſer. lact. cum vin. Canarin. alterati*. Inter-
„ mitti poteſt ad diem unam aut alteram, ſi
„ nauſeam pariat; diebus, quibus ſpiritum aſ-
„ ſumpſerit, hora decubitus capiat doſin *Pil.*
„ *Matthæi*. Spiritus *Æthereus* eſt ille, qui in
„ diſtillatione inter ſpiritum, & oleum prodit.
„ Hæc methodus doloris vehementiam (inquit
„ author) *infallibiliter* aufert manente ſolum-
„ modo artus quadam debilitate. Et ut reliquiæ
„ penitus eliminentur exhibenda eſt doſis *florum*
„ *ſulphuris* in lacte ad tempus bis in die.

Meadii ſententia.

Art. 1962. Ex omnibus articulorum doloribus ſæviſſimus eſt, quem Græci *Iſchiada* appellant, quod coxas prehendit; eoque difficilior eſt, quod fere poſt longos morbos, vi peſtifera huc ſe inclinante, hanc partem corripit. Malum hoc, ubi inveteravit, femur cum crure debilitat, & æger claudicat; interdum etiam femoris caput extra coxam elabitur, & femur ipſum protinus contabeſcit. *Iſchias poſt longos morbos.*

Art. 1963. Non multum hic juvant cucurbitulæ, aut veſicatoria parti impoſita; altius enim membranis, os circumcingentibus infixus hæret moleſtus humor, quam ut his extrahi poſſit. Efficacius eſt Epithema volatile dictum: aut Emplaſtrum ex Pice Burgundica addita Euphorbii octava circiter parte, cum terebinthina Veneta quantum ſatis erit, compoſitum. *Remedia nonnulla efficaciora.*

Nihil autem tantum levamen affert in pertinaci præſertim morbo, ac ſetaceum ſub locum affectum, ut materia inutilis evocetur, immiſſum. Sin autem vulnus ejuſmodi minus neceſſa-

rium

rium videatur, aut nimis acerbum; fonticulum saltem in femoris dolentis parte interna supra genu medicamento caustico inurere maxime ex usu erit; ita tamen ut ulcus id non sanetur, sed diu trahatur, donec id vitium, cui per hoc opitulatur, conquiescat. *Celsus* Hippocratis exemplum sequutus, candentibus ferramentis, tribus, aut quatuor locis super coxam, cutem exulcerare præcepit. Qua quidem medicina nulla foret efficacior; utcunque enim temeretur ignis aspectus, breviori cum dolore, quam infert medicamentum causticum, peragi posset.

Fricatione quoque utendum est; & eodem die sæpius, quo facilius ea, quæ coeundo nocuerunt, digerantur; ipsisque præcipue coxis, si fieri possit, adhibenda est. Aqua autem calida partem affectam fovere plerumque nocet; fibris enim illa relaxatis, augetur dolor.

Remedia interna. *Art.* 1964. Sed ad interna auxilia transeundum est. Horum præcipuum, detracto primum sanguine, est purgatio per alvum. Catharticorum potentissimum est, aut mercurius dulcis sexies sublimatus, aut Electuarium e scammonio; quod pro viribus sæpe repetere convenit. Diebus autem quibus non exinanitur corpus, per ea, quæ simul urinam cient, & alvum movent, morbi vis minuenda est. Ex his Tincturam guajacinam volatilem, vel balsamum Guajacinum omnibus præpono.

Farrago sententiarum.

Ischiadis ingressus. *Art.* 1965. Ischiadis quidem a femore posterius, aut poplite, aut tibia initium est; Alias vero in coxæ cavo, (*Cotylam* græci, latini acetabulum vocant) dolor apparet, rursus in clunem, aut lumbos impetum facit, & omnia potius

nius esse videtur, quam coxendicis morbus. Eaque vero parte æger plerumque claudus remanet. *Aretæus*.

Art. 1966. Ad hunc morbum specialius conferre consueverunt clysteres injecti ex decocto centaurii minoris, ut *Fernelius* testatur, vel ex decocto bryoniæ, aut colocynthidis, nec non rutæ, salviæ, stæchados, betonicæ, hyperici, rorismarini, baccarum juniperi, lauri, ivæ artheticæ, meliloti, chamæmeli, itemque ex vino albo veteri, sapa, urina pueri, quousque sanguis cum mucosis excrementis egeratur. *Clysterũ utilitas.*

Art. 1967. *Prosper Martianus* observat dolores ad Ischium aliam exigere curationem, qui huc illucque vagantur, aliam vero qui fixi stabilesque sunt. Hippocrates, ait, diversam in utrisque medendi rationem instituisse. Fixos enim dolores clysteribus acerrimis abigere conatur, emollientibus vero qui mobiles sunt; in illis item motum, ustionemque adhibet, at neutrum in his approbat. *Ischiadis mobilis & fixa curatio.*

Art. 1968. Si alia non proficiant, ad *causticum* deveniendum est; ipse uti soleo *foliis ranunculi* vel mixtura *calcis vivæ* & *saponis liquid.* quæ summopere confert. *Baglivus*. Folia ranunculi (inquit *Ettmullerus*) contusa & regioni lumbari applicata per 6. horas, donec vesicas excitent, quæ discussæ pro more suo emittunt serum acre, Ischiadicum dolorem penitus tollunt & morbum subigunt, Applicatio *foliorum ranunculi flammei minoris* facta fuit paulo infra genu a *circumforaneo* quodam, ut ipse observavi plusquam triginta abhinc annis cum successu mirabili: Ego quoque plus semel idem experimentum compertum habui. *Causticum.*

Art. Radix Brion. alb. recens tusa & cum ol. sem. lini mixta, & loco dolenti tepide applicata

cata mirum in modum dolorem pacat; & renovandus est labor, donec tota materia morbifica transudetur. *Tachenius de morborum principiis*. Laudatur *emplastr. Poterii*. „ Emplastrum sequens in praxi expertus sum. ℞. *Pic. Burgund. q. s. malaxetur cum q. s. ol. sem. sinap.* per „ expressionem. *Emplastrum Ischiat.* quoque applicari potest. "

Colocynthis. *Art.* 1969. Colocynthis *clysteribus* indita privatim coxendicum doloribus prodest. *Lister.* Interna eadem ac in podagra.

LUES VENEREA.

Ettmulleri sententia.

Lues Venerea. *Art.* 1970. Innotuit huic morbus *Europæis* non nisi circa annum 1494. Controvertitur, an veteribus cognitus fuerit, necne. Primo post impurum coitum plerumque exoriuntur, inflammatio præputii & tumor, urinæ ardor, gonorrhœa; bubones in inguinibus, pustulæ variæ in pene, & aliis partibus, atque hinc ulcera sordida, & maligna, cancrosa & callosa, progressu temporis etiam ossa corrodentia, dolores atrocissimi noctu exacerbantes, nodi, tophi, calor in volis manuum, & plantis pedum, atque hinc fissuræ, & excoriationes, verrucæ, condylomata, &c. circa anum, pilorum defluvium, maculæ rubescentes, flavescentes, aut livescentes. Inflammatio testium, raucedo, uvulæ relaxatio & erosio, palati ulcus, ozæna, tinnitus aurium, surditas, cæcita, scabies, tabes, &c. Sed hæc symptomata omnia non cuivis contingunt; non raro sub larva *scorbuti* & *arthritidis* latitat. Ægri ut plurimum rem cum infectis se habuisse constanter negant.

Symptomata varia.

Art.

Art. 1971. Paulo post congressum impurum circa penem aut vulvam æstus exoritur, aut ardor urinæ, hinc inter biduum aut triduum gonorrhœa; interdum nulla succedit gonorrhœa, sed virus per cutem potius ad inguina fertur, & bubones excitat; contingunt etiam quandoque ulcera callosa in scroto ac perinæo; interdum ulcus cancrosum ac callosum inter præputium, & glandem; in quibusdam intumescunt testes. Sanguis missus in lue inveterata fere maculis lividis aut colore quasi cœrulescente in superficie conspici solet. „ In lue confirmata (ut recte observavit *Lommius*) erumpunt maculæ frequentes, eæque more lentiginis exiguæ, alias rubræ, alias flavæ; in fronte quoque & temporibus & pone aures, maxime circa radices capillorum, dein in capite, vel etiam universo corpore, malignæ pustulæ, tumoresque non unius coloris efflorescunt, quæ sponte sanantur, iterumque passim expullulant: pustulæ modo flavæ, modo rubræ sunt, rotundæ omnes, siccæ, puris expertes, & aridam crustam habent; ex his deinde in ambitum serpentibus pustulis, cutemque cavantibus, ulcus oritur virulentum & sordidum. " *Morbus varie incipit.* *Maculæ ac pustulæ.*

Art. 1972. Galli facilius salivant, & citius curantur quam Germani. Inter *sudorifera* eminent *guajacum* & *sarsaparilla*, & regula semper observanda est in *frigidis* guajacum, *calidis* sarsaparilla; decoctis *sudoriferis* non incommode addatur *antimon. crud.* In inunctione mercuriali tutius procedunt, qui artuum flexuras, inguina & alas sufficienter fricant; abdomen, pectus, & caput non inungenda, aut rarissime. *Curatio generalis.*

Art. 1973. In gonorrhœa effluit humor cum acerbo dolore a locis circa penis radicem, ubi sunt prostatæ, primo seminalis aquosus liquor, *Gonorrhœa.*

qui

qui hinc successive flavescit, tum magis acrescit, tandem viridescit, aut cœrulescit, non raro graviter fœtet; urina cum acerbo dolore mittitur; supervenit tumor præputii & glandis, & ulcuscula, interdum carunculæ in urethra. Præter *cathartica mercurialia* convenit privatim *emulsio ex sem. cannabis viridis* parata, *os sepiæ*, *terebinthina*, *saccharum Saturni*, &c. multum laudatur *mercurius præcipitatus viridis*, & *mercur. dulc. balsam. Saturni terebinthinatum*, *ex saccar. Saturni & ol. terebinth.* blando igne paratum, egregie conducit, ubi ardor nimius circa renes, & genitalia, ut & *camphora*; item infusum *cantharidum* in vino, quod expertum est remedium medici cujusdam *Belgiæ*. ℞. *Pulv. cantharid.* ℈j. *infund. in vin. Rhenan.* ℥iij. *vel* iv. *infusum stet per aliquot dies in loco tepido*, & *postea filtretur liquor*, *usus tempore misceantur coch.* vi. vij. *vel* viij. *cum cantharo vini*, &c. *Resina ligni guajaci*, *balsam. de Copaibe*, specificum habetur, *antimonium diaphoretic. bezoardic. minerale*, aqua simplex in qua *argentum vivum* incoctum fuerit. Injectio. ℞. *Aq. calc. viv.* ℥iv. *mercur. dulc.* ʒß. *sacchar. Saturn.* ℈j. *m. pro injectione. Usurpetur liquor per residentiam depuratus.*

Curatio.

Digressio de Gonorrhœis non virulentis.

Gonorrhœa vera non virulenta.

Art. 1974. Gonarrhœa *vera* est, in qua semen verum effluit. *Succus citri*, *granator. limon.* &c. sunt remedia optima, venerem extinguunt, præcipue si *camph.* & *terebin.* in usum adhibeantur, ut & *emulsio* cum *sem. cannabin. sacch. Saturn. os sepiæ* (specificum) cum *cerus. antimonii*, *balsam. copaiv. extract. rad. tormentil. vel ejus decoct. Lenis purgatio* cum *bolo mercuriali*, & die seq. *rhabar.* externe *fotus astringentes*, &c.

Art.

Art. 1975. Gonorrhœa *notha*, *benigna dicta*, non *virulenta*, est quando materia, non semen verum continuo effluit ex pene citra tentiginem aut pruritum venereum, diu durans sine multa virium prostratione, *fluori albo* mulierum respondens; *gonorrhœa catarrhalis* vocari solet. Partes affectæ sunt glandulæ prostatæ, nimis laxæ vel exulceratæ. *Gonorrhœa.*

Art. 1976. Cura debet institui generalis, *digestio* rectificanda, stomachus *roborandus*, *cruditas corrigenda*, pars affecta *astringentibus* firmanda. Est affectus *catarrhalis* ideo rosmarinus, decoct. *e lignis*; *acidulæ* prosunt; interdum a scorbuto pendet. Non nimis cito supprimenda est hæc gonorrhœa. Ad majorem cautelam aperiendus est *fonticulus* in crure. *Curatio.*

Art. 1977. Ulcuscula glandis, & præputii curantur cum unguento *diapomphol.* & *mercurio dulci*; si fuerint cancrosa, & callosa in usum venit solutio *mercur. sublim. corrosiv.* in *aq. plantag.* Si præputium insigniter tumet, & inflammatur, applicetur solutio *facchar. Saturn. in aq. calcis*, *item camphora in ol. amygd. dulc.* soluta. *Ulcera glandis, &c.*

Art. 1978. In mulieribus exulcerantur partes internæ vaginæ, & saniem plorant plus minus purulentam ac lividam, cum insigni dolore ac molestia; nec multo diversam a virorum postulant medelam. *Ulcera vaginæ.*

Art. 1979. Pro pustulis & tuberculis lac virginale. *Pustulæ.*

Art. 1980. Ad ulcera sananda *unguent. basil. cum mercur. dulc.* *Ulcera.*

Art. 1981. Ulcera oris & palati curantur cum gargaris. ex *decoct. lign. cum melle ros. & pauco alumine*. Ozæna *decoct. emol. hord. alth.* &c. primo tractanda est ad removendam crustam, & postea decoct. *e lignis*, &c. tanquam palati ulcera. *Oris & palati ulcera. Ozæna.*

cera. Omnia hæc ulcera sub *litu mercuriali* sponte evanescunt, nec metuenda sunt ulcera oris; nam per *salivationem* citius sanantur.

Bubones. *Art.* 1982. Bubonum suppurationi, & apertioni pro elicienda virulentia, mature opera danda est, interne *sudorifera* exhibenda sunt, externe *suppurantia*, quin & *cucurbitæ*, &, si secundum votum haud succedant, aperiantur, *lanceola* profundius intrusa.

Quot modis contagiũ propagatur. *Art.* 1983. Lues venerea contagiosa est, generatione, lactatione, contrectatione, saliva, sudore, liquido genitali, exhalatione; & qua parte contrahitur, primo se manifestare solet. *Boerhaave.*

Sydenhami sententia.

Methodus salivandi. *Art.* 1984. Lues confirmata non nisi per *salivationem* ab *hydrargyro* excitatam extirpari potest; ad hanc autem recta licet procedere, sine ulla præcedente evacuatione aut corporis præparatione. Unguentum præscribere soleo ex *axung. porcin.* ℥ij. *argenti vivi* ℥j. cum hujusce parte tertia brachia, crura, tibias ad tres noctes continuas manibus suis ægrum perungere permitto; ita tamen ut ne axillas, neque inguina neque abdomen attingat uspiam. Post tertiam inunctionem gingivæ ut plurimum intumescunt, & *ptyalismus* suboritur; si vero intra id tempus haud procedat, tum *turbith. mineral.* gr. viij. in *conserv. ros. rub.* exhibeantur ægro, quod remedium vomitum ciet, & ptyalismum suscitabit; & postea si salivatio jam incœpta prius elanguescat, quam symptomata penitus disparuerint, extimulanda est subinde cum dosi *mercur. dulc.* Diætam quod spectat, & reliquum ægri regimen, eadem prorsus, ac in catharsi, imperanda sunt.

Art.

Art. 1985. In quibusdam reperitur *idiosyncrasia* peculiaris tam salivationis respectu, quam purgationis, ita ut methodus laudata vix gingivarum exulcerationem queat efficere, multo minus ptyalismum movere; in hujusmodi ægris cavendum est medico, ne importunius urgeat, recalcitrante natura, & horrenda symptomata accersat; lente itaque festinet, & moras trahat *mercur. dulc.* ℈j. semel in septimana exhibendo, & quantumvis salivatio ad plenum nunquam assurgat, æger tamen copiosius quam pro more solito expuet, quousque fœtor justæ salivationis comes adfuerit: atque hac methodo morbus expugnabitur concesso debito temporis spatio: His rite peractis (etiamsi morbus penitus profligari videatur) quo minus recidivam postliminio patiatur æger, (utcunque bene se habeat) capiat *mercur. dulc.* ℈j. semel in septimana ad 4. vel 6. vices. „ Unguenta mercurialia minore quantitate, quam „ ad *excitandum ptyalismum* sufficiat, inuncta, „ & diutius continuata, univesa Luis venereæ „ symptomata tollere, & morbum penitus era- „ dicare a quibusdam perhibetur.

Quid agendum sit quando ptyalismus excitari non possit.

Listeri sententia.

Art. 2986. Lues venerea est morbus contagiosus ab humore aliquo venenato, fere in coitu contractus, ulceribus doloribusque se manifestans. Ab *insulis Americanis*, in quibus, ante *Hispanorum* adventum, hic affectus populariter grassatus est, illum per *Hispanos* in *Europam* allatum esse, nullus jam dubitat: Credibile est a serpentino genere vel morsu vel cibo assumpto illum ortum esse. A serpente aut scorpione percussos coitu levari produnt; verum fœminas venere ea ledi authore *Plinio*, magnum argumen-

Origo luis venereæ.

tum originis Luis Venereæ ab aliquo infecto venenato. Ictus serpentum omnium malorum pessimum, ideo lui vener. comparandum. Quis adeo dubitet istam luem ex animalibus ortam esse: nam penis ab istis morsibus venenatis vehementer intenditur; & *satyriasi*, id est, furore & libidine perciti nihil præter coitum anhelant. Ita quod vulneratis remedium, fœminis calamitas est; & a fœminis sic infectis invicem mares conflictantur in posterorum diram perniciem. (*de humoribus*, *p.* 417.)

Curatio. *Art.* 1987. Fœmina gravissimo urinæ ardore, & punctionibus ibidem, item condylomatis cancrosis in pudendi labiis, non sine vehementi capitis dolore afflicta est; illam *purgavi* 4 quoque die *pilulis de duob.* quibus æqua pars *mercur. dulc.* adjecta est; apozema *ex guajaco*, &c. fuit pro potu ordinario, citra sudorem. Sumpsit etiam bis quotidie cochlear. tinct. seq. in decoct. *guajaci* ℥iv. ℞. *Cochinel.* ℥iij. *canthar.* ℈j. *vin. Rhenan.* ℔j. digere in B. M. & f. tinctur. Horum usu gonorrhœa admodum virulenta, fœtidum & sangineo vitide pus effundens, integre sublata est, & duobus plus minus mensibus sine ulla ope chirurgica etiam ulcera siccata sunt; dolorque capitis ex toto desiit.

Dolores nocturni. *Art.* 1988. In doloribus nocturnis, præmissis universalibus pulvis sequens est maxime proficuus; ℞. *Cochin.* ℥j. *oss. sepiæ subtilissime lævigat.* ℥ß. *m.* dos. ℈j. 6 a. quaque hora cum decoct. *valid. Guajac. Guajacum hydrargyri, ut hydrargyrus veneni, in lue antidotum est.*

Pitcarnii sententia.

Gonorrhœæ duratio. *Art.* 1989. In principio gonorrhœa virulentæ purgandum est, cum prisana laxante ex *sen.*

sal.

sal. tart. & flor. melilot. & bibat æger *serum lactis*; post tres quatuorve dies purgationi insumptos, si ardor urinæ, & fluxus sint minores, & color & consistentia meliores, bolum assumat ex *terebinth.* & *rheo* per 6. aut 7. dies, si alvum laxat, id fieri solet cum euphoria. Vitanda omnino sunt astringentia; gonorrœa enim nunquam evadet in Luem Vener. nisi nimis intempestive sistatur. *Pitcarn.* in MS.

Art. 1990. Methodus therapeutica *Pitcarnii* radicalis sic se habet; post *vomitum* bis aut ter iteratum exhibeatur *mercurius* per aliquot dies, bis in die; cum os inceperit dolore, abstineat se à *mercurio* per tres aut quatuor dies, tum *purgetur* alternis diebus; oris dolore cessante, iteretur usus *mercurii*; & iteretur hæc methodus, donec symptomata cessarint. *Methodus therapeutica.*

Art. 1991. Ad ulcera & eruptiones leprosas *decoctum pro lotione*, *unguentum*, *aqua cosmetica*, & *cerevisia guajacina*, tanquam remedia maxime efficacia, ab authore laudantur.

Harrisii sententia.

Art. 1992. Infantes à nutricibus lactantibus infecti, quanquam maculis, pustulis, ulceribusque scatent, quandoque & nocturnis illis doloribus erunt excruciati, facillime omnium restituuntur. *Farina sarsaparillæ* fere insipida; saltem nullo gusto ingrato, panatellis aut pulticulis suis, ut par est, commista, addito etiam, ventriculi gratia, *santali citrini* polline, *catharticis* debitis intercalatis, tenerrimæ ætati, ut læte nonnunquam observavi, salutem perfectam rediddit. *Infantes quomodo curãtur.*

Blegnei sententia.

Ulcera penis & præputii. *Art.* 1993. Pro ulceribus penis, & præputii curandis apprime valet sequens lotio; ℞. *Vitriol. alb.* ℥ij. *auripigment. alumin. nitr. ana* ℥j. comburantur in crucibulo, ut in lapidem coeant; ℞. *Pul. prædicti* ℥j. *aq. calc. vin. albi ana* ℔j. f. solutio, &c. Egregie etiam conducit lotio sequens *Lanfranci*, maxime in ulceribus glandis & præputii; ℞. *Vin. alb.* ℔j. *aq. rof. plantag. ana* ℥iij. *auripigment.* ʒij. *æris virid.* ʒj. *myrrh. aloe ana* ℈j. misce. Ulceribus satis detersis medicamentum affusa aqua lenius fieri debet pro futuro; & postremo cura cum *lact. virgin. vel aqua divina Fernelii* ℞. *Alumin. rupei* ℥iv. *coq. in aq. font.* ℔ij. *ad tertias*; tum. ℞. *Lithar. auri* ℔ß. *vin. alb.* ℔iß. *decoquantur ad* ℔j. colentur, ambæque aquæ commisceantur, & agitentur, donec albescant) perficienda est. Si vero ulcera fuerint diuturniora, adeo ut callosa & cancrosa evaserint, vulgo *Shankers* appellata, applicanda sunt remedia valde penetrantia, qualia *mercur. præcip. rub. lapis infernalis, aq. phagedænica*. Notandum tamen cum primum ex usu horum crustæ inducantur, statim amovenda esse *escharotica*, & *suppurantia* ac *digestiva* adhibenda, quibus crusta sublata, ulcera tandem cum *unguent. Vigonis* sananda esse (vid. etiam, *p.* 102. internis remediis interim non neglectis.

Ulcera callosa.

Tumores œdematosi genitalium. *Art.* 1994. Accidunt interdum tumores genitalium œdematosi sive crystallini: remedia externa hoc in casu debent esse *exsiccantia*, *discutientia*, & aliquatenus *astringentia*; talia sunt *spirit. vin. camphor. aq. calc. cum sal. armoniac. sp. vin. cum sapone nigro, pauco pipere, zinzib. & alum. ust.* si adsint simul ulcera cancrosa, & tumores duri, præcavenda est *gangræna*.

Art.

Art. 1995. De phimosi, paraphimosi, & amputatione penis consulatur, author, *p.* 112. &c. *Phimosis, &c.*

Art. 1996. Cura rationalis gonorrhœæ inchoanda est cum *leni cathartico*, alternis diebus ex *cassia decoct. senn.* & *crystal. mineral.* in sero lact. decoct. *tamarind.* & *alth.* & *rhabarb.* (gonorrhœa prope occlusa) interim exhibenda sunt quoque *diuretica* maxime *terebinthinata*, & postremo leviter *astringentia*, *aq. minerales*, *croc. mart. astring. in aq. simplici coct. tinct. rosar. tinct. coral. in coch. syr. ejusdem vel cydon.* Ptyalismus nunquam tollit gonorrhœam. (*Pil. de creta Palmarii. Tinctura cantharid.*) *Gonorrhœa.*

Art. 1997. Ardor urinæ *emulsionibus* & *ptisana* seq. ℞. *Rad. alth.* ℥vj. *malv.* ℥j. *fol. acetos. p.* ß. *hord. mundat. sem. papav. alb. ana* ʒij. *coq. in aq. font.* ℔x. *ad tertias, sub finem addendo glycyrrhiz. ras.* ℥j. *f. ptisana* mihi in frequenti usu, mitigari & tolli potest: interdum in graviori casu *venæsectio* est necessaria, ut in urinæ suppressione, *semicupium*; ℞. *Rad. & fol. alth. rad. & fol. malv. rad. fœnicul. apii, petroselin. eryng. marin ana* ℥ij. (*rad. raparum* ℔ij.) *herb. parietar. violar. veronic. flor. cham. melilot. genist. sambuc. ana* ℔j. *sem. fœnugr. lin. ana* ℥j. *petroselin. anis. fœnic. genist. ana* ℥ij. *coq. in q. s. aq. font pro semicupio.* *Ardor urinæ.*

Art. 1998. In tumoribus inflammatoriis testiculorum, & scroti convenit *venæsectio*; *topica discutientia*, & dolorem *mitigantia* sunt usurpanda. *Tumores testiculorum.*

Art. 1999. Carunculæ in urethra sunt curatu difficillimæ: remedium sequens optimum perhibetur; ℞. *Pulv. alumin. ust.* ʒj. *præcipit. rub. auripigment. æris virid. ana* ʒß. *unguent. desiccat. rub.* ℥j. coq. ad consistentiam mediam inter unguent. & empl. hujus portiuncula cereoli summitati apponatur, & in urethram intrudatur, &c. de *Caruncula in urethra.*

 con-

consumendis carunculis vide locum *p.* 177. &c. & consulantur alii scriptores Chirurgici.

Bubones. *Art.* 2000. Bubones quoquo pacto sunt suppurandi, interne conducunt *cardiaca*, *alexipharmaca*, *victus & potus generosus*; externe *suppurantia potentiora*, *emplastra*, vel potius *cataplasmata*; cum *cucurbita* semel vel bis in die attrahendi sunt, & cum sint satis maturi cum caustico aperiri debent, potiusquam *lanceola*, & aperti diutius sunt servandi. (1982.) Ex erudito & eleganti tractatu Chirurgi *Gallici D. Blegny.*

Chiraci sententia.

Recentis gonorrhœæ curatio. *Art.* 2001. Quando Gonorrhœa virulenta recens est, ejus curatio exordienda a clystere vespere injiciendo, qui sequenti ferme ratione concinnatur. ♃. *Fol. Cichor. sylv. lactuc. Malv. violar. parietar. ana man. sem. Hord. integr. pug.* ij. *Semin. frig. maj.* ℥j. *Aq. commun. lib.* vj. *coq. ad diminut.* *Clysma.* *medietatis pro tribus clysmatib. in quorum singulo dissolve Mel. rosat. unc.* ij. *Terebinth. ovi vitell. solut. unc. sem.*

Postridie vena brachii tundatur, & si æger sit plethoricus phlebotomia reiteretur, præcipue quando dolores vehementius urgent. Interea pro potu ordinario sequens Ptisana instituatur. ♃. *Rad.* *Ptisana aperitiva.* *Alth. Petersil. Ononid. Agrifol. min. Cardui. Graminis ana man.* j. *fol. parietar. man.* j. *sem. Fruct. Alkekeng. unc. sem. Semin. anis. pug.* ij. *Glycyrrh. unc. sem. Aq. commun. lib.* xv. *coq. ad remanent. lib.* x. de qua hauriat æger quotidie lib. v. tandiu continuando donec consuetus dolor inter mingendum molestus omnino conquiescat, quod intra octo, decem, duodecim vel ad summum quindecim dies ut plurimum evenit. Tunc se- *Bolus purgans.* quenti ratione alvus primum purgabitur. ♃. *Cass.*

mund.

mund. recent. unc. j. *Cremor. tart.* ʒj. *f. bol.* xij. *mane ingerendi.*

Deinde rubescente, vel viridescente fluxus materia ut album colorem sibi vindicet ulloque dolore penis munera turbet validior purgatio institui potest puta: ℞. *Cass. mund. recent. Confect. Hamech. ana unc. sem. Mercur. dulc. gr.* xv. *m. f. bol.* xij. *mane sumendi*; quibus habita ratione circumstantiarum addere licet Rhabarb. Sarsaparill. nonnulla grana Camphoræ, vel Sal. Saturn. vel Absynth. vel Corall. pp. *Bolus alter.*

Finitis hujusmodi purgationibus ut virus funditus extirpari possit Mercuriales pillulæ adhibentur. ℞. *Hydrarg.* ʒij. *saliv. vel rosarum succo extinguendi*, *Aloes* ʒj. *Rhabarb. Agaric. Trochisc. ana* ʒ. *sem. Santal. citrin. pulv.* ℈j. *Nuc. Myrist.* ℈ *sem. Terebinth. aq. scab. lotæ unc.* ij. *m. f. pillul. quarum dosis est* ʒj. *vel ubi quotidie usurpantur ad* ʒ. *sem.* Vel ℞. *Aloes purgatæ Scammon. pp. Trochisc. Alhandal ana* ʒj. *Gumm. Gutt.* ʒ. *sem. Mercur. dulc.* ʒiij. *Syrup. rof. pallid. q. s. m. f. pillul.* quarum usus aliquandiu continuatur. *Pillulæ mercuriales.*

Ne vero ulla dubitatio remaneat de reditu valetudinis, pillulis adstringentibus laxitas vasorum, & ex diuturno effluxu debilitas roboratur. ℞. *Rhabarb. torref. Rad. Tormentill. ana* ʒj. *Mastic.* ʒij. *Vitriol. calcin.* ʒ. *sem. Syrup. cydonior. q. s. m. f. pillulæ quarum dosis ad* ʒ. *sem.* *Pillulæ adstringentes.*

His non obstantibus medicamentis si fluxus adhuc perennet, ad injectiones confugiendum est habitas cum sero lactis, aq. hordei, plantag. Ros. rubr. vel Absynth., vel quavis alia exsiccante, & detersiva.

Nulla equidem gonorrhœa datur, quæ, dum incipit, hac tractata methodo prædictorum remediorum virtuti non cedat, modo prudenter

administrentur, & æger præceptis rite obtemperando suæmet valetudini consulat.

Si dum gonorrhœa curatur mejendi difficultas ut sæpissime accidit superveniat, vel materia effluens a doloris vehementia supprimatur, tunc satis quidem non est semel brachii venam secare; sed ea quoque pedis secanda est, maxime si dolores renum quoque regionem exerceant; atque dandum cochleare juris chamæmeli, cum aliquot sp. terebinth. guttulis, vel alio quovis simili aperitivo.

Si ægri temperamentum biliosum calidumque fuerit, vel melancholicum, tunc loco suprascriptæ Ptisanæ, altera magis refrigerans jubebitur ut: ♃. *Rad. Frag. Nenuph. fol. Lactuc. Pimpinell. Capill. ven. ana man. sem. fol. Violar. Borrag. Buglost. ana man.* j. *Polypod. Glycyrrh. ana unc.* ij. *Aq. commun. lib.* xv. *coq. ad consumpt. tertiæ partis, de qua bibat æger quotidie lib.* v. cavendo ne diutius in ejus usu insistendo stomachus præ nimia refrigeratione debilitetur.

Observandum est, quod in prædictis Ptisanis componendis plurimæ plantæ aliæ, pro recensitis majori aut minori numero substitui possunt, quin imo mihi interdum in usu fuit parietaria dumtaxat cum glycyrrh. interdum etiam sola Altheæ rad. Mane quoque, & vespere Emulsiones pro Ptisanis usurpare licet, quæ sequenti ratione præparari possunt. ♃. *Amygdal. dulc. excortic. num.* vij. *vel* viij. *Quatuor sem. frig. maj. unc.* j. *Semin. lini Papav. alb. ana* ʒj. *Decoct. Hord. lib.* j. *f. Emulsio in tres, vel quatuor partes dividenda*, quarum singulis add. Syrup. Nymph. vel Violar. unc. j. Sal Prunell. ʒ. sem.

Emulsio.

Art. 2002. Quando Gonorrhœa principio neglecta, vel male curata roboratur, & prædicta me-

Gonorrhœa inveterata curatio.

methodo non cedit, ad singularia quædam alia remedia confugere oportet, quæ morbi pertinaciam evertere valeant. Quamobrem diligenter observandum est, si fluxus copia excedit, ejusque color albescit, si quemdam inter mejendum vel dum sedere vult, vel etiam in erectione penis æger experitur dolorem ad renes, vel in ipso pene molestum; nam ubi nihil horum adest conjicere licet pertinaciam effluxus a sanguinis copia nimia foveri, quæ læsas debilesque partes gravando eam lymphæ quantitatem secernit, a qua gonorrhœa perennatur, id autem cum eveniat ob congruam sanguinis eductionem principio neglectam evidens est hujus morbi atrociam, & inde iminentem maciem, & attophiam evitari nulla meliori ratione posse, quam tandiu phlebotomias reiterando, quousque ægri vires, morbique insistentia exigere videntur. Quidam profecto usque ad duodecimam vicem phlebotomiam passi, nullo alio præterea auxilio hoc morbo feliciter convaluere. Quandiu vero phlebotomiæ exercitium continuat propinari debet ægro Ptisana ex Bursa Pastoris, polygono, glycyrrhiza, eademque ejus renes, & genitalia foveri, nec non per virgam haberi injectiones addendo in singulo ejus cyatho Vitrioli albi ℈j. *Syrup.* ros. rub. vel absynth. unc. j. Tali pacto æger octo, vel decem dierum tempore sanabitur; ast si quod per virgam effluit pauca sit quantitate, vel instar serositatis tantum, cum dolore aut pruritu ad virgæ apicem, vel circa ejus medium: tunc præscribenda erit Ptisana ex fol. Menth. sylv. Marrhub. alb. cum glycyrrh. jubendaque injectio ex mucilagine seminum psylli, & Aq. plantag. cui si lubet admisceri poterit Trochisc. alb. Rhasis tantillum, ut inde erosio leniatur ab acredine effluentis serositatis in interiore urethra producta.

Quodsi

Quodsi Gonorrœha perseveret utut omnia præscripta remedia adhibeantur, & materia effluens non tam albicans sit, sed lutea aut viridescens, unaque labor, & dolor in erectione membri adsit, cum evidentissimum sit virulentiam quandam adhuc consistere, quantum par est a consuetis remediis non subactam, ad pillulas mercuriales supra memoratas confugiendum erit, ut inde ad usum Terebinthinæ transire liceat, vel ad pillularum hujusmodi. ℞. *Terebinth. Venetæ sæpe in pariet. aq. lot. & cum aq. ros. ad ignem coct. atque indurat. lib. sem. Pulv. glycyrrh. q. s. f. pillul. ad dosim ℥ij. & ultra mane, & vespere ingerendæ.* Quibus per aliquot dies usurpatis æger inde purgabitur, postea ptisanam ex fol. Vincæ pervincæ, & Veronicæ potabit, simulque pillulis adstringentibus superius descriptis fruetur.

Pillulæ terebinthinatæ.

Quando Gonorrhœa fulva est, vel rubescens sed pauca quantitate, cum urinæ pruritu atque ad virgæ radicem obtuso dolore pillulæ Terebinthinatæ ut supra, & Ptisana ex rad. consolid. maj. fol. Virgæ aureæ, & Vincæ pervincæ conveniunt.

Injectiones.

Injectiones quoque adhiberi possunt per virgam ex decoctione Aristolochiæ long. vel rotund. in qua dissolutum sit Aloes hepatic. Sacchari candi, & vitrioli albi tantillum, vel nonnihil Syrup. pap. alb. Pro hac mixtura injectiones haberi possunt cum aqua ferrea repurgata, vel cum lacte tepido vel hordei decocto, vel cum Aqua minerali dicta *de Forges.*

Cæterum corrosivas injectiones a plurimis adhibitas nullatenus approbo ut sunt, quæ Aq. calc. viv. vel infusione sal. armoniac., nitri, salis saturni, Alumin. ust. Mercur. dulc., præcipit. rub. similibusque instituuntur, quia vel ulcera, vel graviora quædam alia mala facile producunt.

Ne-

Neque itidem nimium adstringentes injectiones laudo, quæ ut plurimum decoctione fiunt fol. polygon. Tormentil. Nuc. gall. vel Cupress. Cort. granat. rof. rubr. Vino rubr. facta, quia materiæ fluxu inhibito, eodemque in scrotum recidente, testiculorum inflammatio supervenit.

Art. 2003. Si unquam fiat, gonorrhœam virulentam cum ulceribus glandis, & præputii vel cum bubone ad Inguina, vel testiculorum scrotique inflammatione conjungi, tunc curationis methodus a graviori magisque molesto morbo subigendo exordienda est. Quare si cum gonorrhœa ulcera ad glandem prodeant sequenti bolo æger primum purgabitur: ℞. *Confect. Hamech.* ʒj. *Mercur. dulc. gr.* xv. *Sal. Polychrest.* ʒ. *sem. Camphor. gr.* viij. *Misce fiat bolus mane cum pane azymo ingerendus.* Postridie utatur ptisana aperitiva, tum sæpe eodem bolo, deinde pillulis mercuriblibus purgetur, atque glandis præputiique ulcucula lapide infernali, vel præcipitato rubro, si phymosis aut Paraphymosis abest, absumuntur; secus vero salibus lixivialibus cum Sabinæ pulvere mixtis, cujus itidem pulveris virtus ad clavos venereos excellit, qui numquam satis rescinduntur, ex eo quia pluries resecti facile renovantur.

Gonorrhœæ complicatæ curatio.

Bolus purgans.

Art. 2004. Si una cum gonorrhœa virulenta, & glandis vel præputii ulceribus bubo ad inguina prodeat, iminuta duorum præcedentium malorum curatione diligenter incumbendum; est ut, quo citius fieri potest, bubonis suppuratio expediatur. Quare si bubo diutius ab impuro coitu proruperit, cum tali pacto ad suppurationem ægre pervenire soleat, eo modo tractandus erit, quo incipiens lues venerea curatur; si vero mox a coitu prodierit, Emplastro Dyachilo ad suppurationem perducetur, idem biduo vel triduo applicatum relinquendo, nullo simul observato vitæ regimine,

Bubonis venerei curatio.

ne, & vix ac ex augmento humoris perspectum erit suppurationem instare, tunc hoc aliud Emplastum remoto priore admovebitur: ℞. *Rad. Alth. Lil. alb. quinq. herb. emoll. ana man. semis Flor. Camæmel. Melilot. ana pug.* ij. *Coq. in Aq. commun. s. q. dein in mortario contus. add. Cepæ sub cineribus coctæ num.* j. *Demum trajectione facta per setaceum cum farina tritici & semin. lini. f. Cataplasma.* Hujus ope si bubo ad suppurationem optime perveniat, quod ex ejus fluctuatione discernitur, phlebotomo aperitur, indeque phlegmonis ad instar tractatur; si vero suppuratio imperfectior sit, nec nisi mollior tantum tumor evadat, potentiali cauterio aperiendus est, nec perfectiorem suppurationem attendere licet, metu, ne materia noxia intus revertatur, ut ex nimia dilatione sæpissime evenit. Eschara excussa incidendus est locus decussatim phlebotomo, & plumaceolus imponendus, cum unguento suppurativo pulveres catherecticos subinde addendo, ut durities frequentius occurrens facilius dissolvatur, cui scopo faciunt etiam Diachylon cum gummatibus, Emplastrum manus Dei, vel illud de Vigo cum Mercurio. Statim vero ab aperto bubone præscribi debet in potum ordinarium Prisana ex Guajaco cum tantillo cinnamomi, vel ex Sarsaparilla, & China, ut viro prohibeatur, ne ad internas partes invadendas ruat.

Aliquandiu a suppuratione æger purgabitur bolo ex Cass. mundat. unc. semis Confect. Hamech tantumdem Mercurii dulc. gr. v. vel vj. eademque finita iterum pillulis Mercurialibus purgabitur ad aliquot vices, ut sic omnis virulentiæ suspicio removeatur. Quodsi a suppuratione quædam durities remanserit, necesse erit diutius adhibere Emplastrum de Vigo cum quadruplicato Mercurio, atque etiam ægrum prædicto bolo, pillulisque mercuria-

curialibus ſæpe numero purgare. His vero non obſtantibus ſi adhuc durities perſeveret, & circa bubonem rubores quidam & puſtulæ erumpant, tunc per hebdomadam vel decem dies diætæ ſudoriferæ æger relegabitur.

Quando bubones, ulceriſque glandis, & præputii probe curata iterum revertuntur, vel gonorrhœa pertinacius inſiſtit, ad diætam ſudoriferam confugere oportet, utpote quæ primas obtinet in lue venerea recenti curanda, ut paulo infra videbimus.

Art. 2005. Quia gonorrhœa male curata, vel incaute ſuppreſſa, vel ob debitas omiſſas principio phlebotomias, vel demum ob ptiſanæ aperitivæ neglectum uſum, facile teſticulorum inflammatio ſupervenit cum tumore & inſigni dolore, quolibet tempore id ipſum evenerit, mox vena brachii tundere opus erit, ut in cæteris inflammationibus ex uſu eſt, atque loco affecto Cataplaſma imponere ex Mica panis, ovi vitello, ol. roſat. unguento Populeo, propinando ægro Aq. Parietariæ cyathum dimidium cum ol. amygdal. dulc. unc. ij. & Eſſent. Terebinth. gutt. vj., & frequentes clyſteres injiciendo. Utile erit ut Cataplaſma ſubinde renovetur, & ubi dolor vehementius urgeat, ut potio ſupra deſcripta reiteretur. Contra vero dolore imminuto Cataplaſma admovebitur ex quatuor farinis, cum ol. ſem. lini; eodemque quieſcente Emplaſtrum ſimplex de Vigo juvabit. Denique cum inflammatio diſcedat eo modo quo Gonorrhorea intenditur, utile erit Ptiſanæ aperitivæ uſum ægro imperare. *Teſticulorum inflammationis curatio.*

Art. 2006 Quantum vero ad urethræ ulcera hoc ſane commodi a praxi obtinetur, ut remedia candellæ ope inferri poſſint, quibus proinde facilius ſanantur. Præmiſſis itaque injectionibus ex Aq. hordei, Mele roſat. Hydromel., candel- *Urethræ ulcerum curatio.*

læ

læ ingeruntur ex anseris penna molli cera obducta & proportionaliter crassa, quarum apex unguento quodam exsiccante instruitur: ut eo Pompholigis, & Tutiæ. Deinde candella per urethram immittitur, ejusque usus continuatur, donec ulcus omnino exsiccetur.

Quidam solent cum prædictis Unguentis miscere Salem Saturni, vel Mercurium præcipitatum rubrum vel dulcem, vel Tabaci cineres, aut Vitriolum album; præstat autem solum unguentum absque alia mixtione usurpare.

Plurimum fallunt, qui Urethræ ulcera vel Gonorrhœam salivatione curare satagunt; nam quamvis hinc materiæ purulentæ fluxus imminuatur; tamen satis copiosus remanet, indeque difficilius sistitur. Quamobrem salivationi æger minime subjiciendus erit, ubi hisce morbis laboret, etiamsi Luis Venereæ signa proruperint; sed sudoriferis tractabitur, ut prior methodus eandem luem curandi exigit.

Lues Venereæ incipientis curatio. *Art.* 2007. Quando Gonorrhœa virulenta invitis remediis omnibus adhuc persistit, ejusque viri pars quædam intro ad inficiendos corporis humores conversa est, tunc morbus curandus est ut lues Venerea, non autem ut Gonorrhœa, nimirum dieta sudorifera, quæ utut nunc minus quam salivatio adhibeatur, quia a recidivæ periculo non præservat, præcipue quando lues plurimum inveteravit, magis tamen convenit in morbo recentiori, & ex repressa Gonorrhoea acquisito minorique incommoditate & periculo quam salivatio usurpatur? Necessarium igitur erit sequenti ratione ad hanc diætam ineundam ægrum præparare.

Clyster. Vespere dabitur ei Clyster ex decoctione emolliente additis Pulpæ Cassiæ unc. j. & Mellis communis despumati unc. ij.

Bolus purgans. Postridie mane bolo purgabitur ex Diaphœnic. ʒ. ij.

℥.ij Confect. Hamech tantumdem Præcipit. alb. gr. vj.

Die sequenti vena brachii pertusa sequens apozema vel decoctum ei propinabitur. ♃. *Rad. Fœnicul. Aspar. Petersil. Gramin. ana unc.*j. *Sarsæpa-rill. Chin. Cortic. Citr. ana. unc. sem. Fol. agrimon. Betonic. Meliss. Cetrach ana man. sem. Flor. Bugloss. Violar. ana pug.*ij. *summit. Centaur. min. pug.*iij. *semin. Card. Benedict. Cardamom. ana* ʒiij. *senæ mundat. unc. sem. Agar. trochisc.* ʒij. *Aq. com. lib.* v. *coq. ad dimid. consumpt. & in colat. dissol. Crystall. miner. unc. sem. cujus quantæ parti adde syrup. Rosar. Cichor. cum Rhab. ana unc. sem. pro unica dosi quotidie mane per tres alias vires repetenda, quæ si quantum par est non purgetur add., singulis Confect. Hamech vel Diaphoenic.* ʒij. *Apozema purgas.*

Alimentis vescatur æger quousque tali modo purgabitur euchymis ex pullis junioribus, Vervece, ovis, & similibus nec nimis frequenter jusculа hauriet, nisi una vel altera hora ab assumpto Apozemate. *Regimen*

Post dicti Apozematis usum sequens præscribenda erit decoctio, ut ejus ope sudor ex antiquorum methodo inferius tradenda eliciatur. ♃. *Ras. ligni Guajac. gummos. unc.* ij. *sem. Cortic. ejusd. unc.* j. *Salsaparil. Chin. an. unc.* j. *sem. Flor. Card. Bened. unc. sem. Aq. commun. lib.* ij. *sem. infund. per hor.* 12. *dein coq. usque ad dimidium. versus finem. addend. Vini alb. opt. unc.* viij. *& post filtrat. liquor servetur usui.* ♃. *Aq. commun. lib.* viij. *quibus remanentiæ prioris decoct. affusæ ebull. usque ad dimidium & colat. fit in potu communi, qui Bochetus dicitur.* *Ptisana sudorifera.*

Ut sudor provocetur cyathus prioris decoctionis calefactæ ægro propinabitur, qui in lecto probe obtectus, stragulisque onustus statim decumbat. Circa ejus caput arcus locabitur cum cor-

tina,

tina, & ad lecti pedes testa ignitis carbonibus plena, ut facilius sudet. Postquam hora integra tali pacto sudavit, remoto arcu arido lino abstergatur, & paulo post e lecto surgat, atque hoc ipsum per quindecim dies quotidie repetatur. Hoc vero tempore nisi assatis carnibus & biscocto pane vescatur, & pro potu posterioris decoctionis reliquis omnibus jusculis interdictis utatur, atque simul danda opera quovis biduo mediantibus clysteribus ut ejus venter lubricus continuo servetur.

Si ægri temperamentum nimis siccum sit, biliosumque, vel adeo extenuatum ut continuo tempore quindecim dierum ægre sudores proferre possit, hoc casu iisdem per tres vel quatuor dies interceptis bolum ex pulp. Cass. unc. j. & Cremor. Tartar. ℥j. devorabit, ut inde sudoribus ut antea subjiciatur, tandiu continuando donec convalescat.

Cæterum circa medietatem sudoriferæ Diætæ quilibet æger prædicto bolo purgabitur, cui si opus precipitati albi gr. jv. vel v. addere licebit, & versus finem iterum simili modo purgabitur, atque etiam deinceps cum pillulis ex Aloe, Scamon. pp. Trochisc. Alhandal, & Mercur. dulc.

Si ab hujusmodi remediis incalescentiam aut exsiccationem nimiam eger susceperit, prescriptis ad quintum vel sextum diem balneis, & ante eorum ingressum & post ægressum jusculo, apozemate superius descripto ter purgabitur, indeque aliquandiu mercuriales pillulas identidem usurpabit.

Hac ipsa sudorifera diæta uti quandoque præstat, antequam in quibusdam humidis & cacochymis corporibus salivatio exornetur, ut inde aliquantulum exsiccatis tutius mercurius administrari possit omni metu procul, ne ob humorum turgescentiam vel suffocatio, vel aliud grave damnum impendat.

Arc.

Art. 2008. Quando lues venerea Tophis, ulceribusque depascentibus stipatur, tunc profecto sudorifera diæta minus efficax est, quam quod opus sit ad morbi magnitudinem subigendam, atque proinde ad salivationem confugere oportet, quæ cum periculo & damno cedere potest, ni necessariæ quædam præcautiones in administrando mercurio religiose observentur. *Luis venereæ inveteratæ curatio.*

Multiplices sunt modi, quibus hydrargiri ope salivatio excitatur: videlicet frictione, suffumigio, Cataplasmate, & Pillulis, nulla autem tutior ea, quæ frictione absolvitur, quæ nihilominus si debitis cautionibus non celebretur, periculum est salivationem non consequi, pro qua molesta quædam symptomata superveniunt.

Confricato Ægro obducitur lineo aliquantulum absumpto, quo utendum in subsequentibus etiam frictionibus, nec permutari aut renovari debent vestes, subucula, & lecti integumenta, nisi curatione prorsus absoluta.

Si una alterave celebrata Frictione os inflammatur desistendum est: metu, ne ptyalismus nimium redundet, aut ulcera ad Pharyngem usque extendantur, aut ad œsophagum, quod impedita deglutitione mortem inferret.

Præ cæteris diligenter observandum est: an ulcera, quæ in ore excitantur nigricante quodam colore imbuantur, quo casu protinus desisti debet ab unctione, cum hujusmodi symptoma omnium gravius sit, & periculosius eorum, quæ in Salivatione ocurrere possint. Sæpissime enim mortem prænotat, quia dispositionem humorum ad gangrænam, & sphacelum ostendit.

Quando Ptyalismus nimis redundat mutatis indumentis, & aere cubiculi refrigerato sequentis Ptisanæ uno alterove cyatho purgabitur.

Ptisana Laxativa.

℞. Senn. mundat. unc. sem. Glycyrrh. ℨij. *semin.*

Coriand. ℨij. *Aq. commun. lib.* j. *sem. infund. frigid. additis Citr. in frusta concis. num.* j. *Crem. tartar. pulv.* ℨij. *& filtrato liquore bini ægro cyathi exhibeantur; unus post alterum horæ intervallo hauriendi; ut inde bihorio ab ultimo cyatho jus carnium propinet.*

Quando leves frictiones adhibentur, bis quotidie renovari possunt, mane scilicet & vespere; modo facile ab ægro perferantur; quod si fortiores ministrentur adhibita nempe unguenti mercurialis uncia, quæ ℥ij. & sem. hydrargiri salem importat, semel in die operationem renovare satis est.

Quomodo salivationis symptomata tractanda. *Art.* 2009. Symptomata salivatione provehente supervenientia ita tractari debent ac si ab hydrargiro nullatenus proficiscerentur, phlebotomia nempe instituta, si febris urgeat; alvo laxata, si saliva nimis abundet, si lingua inflammatur; si ulcera latiora evadant, ut inde major hydrargiri actio per inferiora egrediatur; atque demum ulceribus mundificatis Melle rosat. cum sp. vitriol. vel sal. vel sulph. si eadem livescendo gangrænæ periculum minitentur.

Nota bene. *Art.* 2010. Si salivatio quinto, vel sexto die usque ab institutis frictionibus non prodeat, eisdem insistendum quidem minime est; sed solicitabitur Mercurio dulci ad grana xv. vel xx. cum Confect. de Hyacinth. ℈j. sub forma pillular. devorando. Id ipsum quoque juberi poterit si incœpta salivatio quantum par est non abundaverit, aut si citius se se cohibuerit. Quidam mane ad balneum ablegare ægrum, & vespere fricare consuescunt, ubi salivatio votis non respondeat, quod non laudamus; nisi pro quibus semel incœpta sponte sua defecit, vel in iis qui perperam curati fuerunt, nec rite inunctio fuit ministrata.

Art.

Art. 2011. Ut salivatio rite procedat, adeo copiosa fieri debet, ut 24. horarum tempore ad lib. iv. ascendat, atque etiam copiosior laudatur, modo nihil mali ægris impendat. Necessarium est jugi effluxu eamdem profluere, & viscosam densam, spissamque per quindecim dies eodem tenore continuare. Totum salivationis tempus pro debilioribus ad dies 20. vel 30. extendi debet, quibus convenit frictiones pedetentim celebrare, duobus videlicet interjectis diebus a singula frictione renovanda, aut longiori interposito tempore, prout æquius judicabitur, quo casu diutius totum salivationis tempus extendi debebit. In robustioribus autem, & in quibus lues jam inveterata adest, ad septem hebdomadas extendendum erit, vel adhuc magis si necessarium videatur. Hoc item casu vehementiam salivationis habito respetu ejus durationis imminuere licebit. *Caractes rite procedētis salivationis.*

Art. 2012. Salivatione itaque aliquantulum provecta levem Guajaci, Chinæ, & Sarsæparillæ decoctionem ægro præscribere juvat, cui, si febris adsit, aut nimis emaciatus sit simplex Ptisana ex Rad. graminis, & glycyrrhiz. propinabitur. *Methodi cōtinuatio.*

Cum alimentis duriusculis vesci nequeat, quovis bihorio, vel trihorio propinabuntur ei juscula consumptarum carnium vitulli, & pullorum, interjectis subinde aliarum carnium gelatinis; osque suum sæpe abluet Ptisana superius descripta, vel hordei decocto, vel lacte tepido. Nec vino nec saccharatis fruatur; & ubi juscula stomachetur, lacte cocto cum ovi luteo utatur. Hoc vero casu alvum laxantia crebrius ac citius propinabuntur. Juvabit etiam clysteribus alvum solutam servare.

Utcumque de vigiliis ægri conquerantur cavendum est a Narcoticis, quippe hujusmodi me-

dicamenta cum facile salivationem inhibeant, hydrargiri impedita actio, graviora quidem mala invehere posset.

Diutius quam par est salivatione protrahente necessarium erit purgationes reiterare, indumenta renovare, ab uno in aliud cubile ægrum transferre, atque etiam in aliud cubiculum, debitis tamen cautionibus, & tutelis observatis.

Si æger tumentes glandulas ad inguina habuerit ob suppressum Bubonem, vel in pene condylomata aut ulcera cancroidea absoluta salivatione etiam permanentia, hæc ipsa loca unguento mercuriali fricare oportebit, quo non obstante duris adhuc glandulis persistentibus, & perseverantibus nodis id sane nihil detrahit, quin perfecte curatus non fuerit æger, quamvis suspicari possit omnino non convaluisse. Sed adhuc magis de integritate curationis hesitare poterit, ubi quosdam dolores per artus sibi reliquos esse perceperit, quemadmodum absoluta salivationis cura sæpenumero accidit, quod tamen nisi a valida humorum dissolutione provenit hydrargiri actione parta, cui satis diæta sudorifera per hebdomadam continuata medetur.

Finita curatione quid præstandum. *Art.* 2013. Finita Curatione ægri ut plurimum a vehementi ciborum appetitu, & inexplebili quasi fame exercentur, quod ab insigni passa humorum evacuatione provenit, quare temperantia eisdem jubenda erunt, & ut a nimia ingurgitatione se abstineant imperandum; quia naturali calore deficiente stomachus iners est ingentem eduliorum copiam sustinendi, unde alvi fluxu haud ægræ accedente, ex virium languore prægressa curatione absumptarum, gulæ expletio in perniciem valetudinis cederet.

Quamobrem pro omni victu contenti sint ægri panatellis cum ovi luteo conditis, horiza, &

hor-

hordeo, similibusque carnium jure incoctis, despectis aliquandiu carnibus, & solidioribus alimentis, quæ profecto minus apti essent dentibus ab hydrargiro infirmatis, & gingivis extenuatis rite conterendi, quæ tamen manducare tunc securius poterunt, quando partibus satis roboratis ad necessariam masticationem absolvendam consuetam aptitudinem recuperaverint.

Vansvvieten sententia.

Art. 2014. Cl. Viri D. Van Svvieten S. C. R. M. Archiatri Epistolæ excerptæ ex Opere cujus titulus: *Commentarii de rebus in Scientia, & Medicina gestis Lips.* 1756. *Remedium singulare.*

Mercurii usum magni facio, sed multa his opus prudentia est in primis dum crudus datur, vel affricatur cuti. Non omnibus bene cessisse hæc tentamina scio. Si mercurius sublimatus corrosivus solvatur in spiritu frumenti rectificato hac lege: ut in singulis unciis spiritus hæreat medium granum, & deinde hujus detur mane ac vespere cochlear adultis, vel ad summum duo cochlearia, potando simul largam copiam decocti hordei, vel alterius cujuscunque emollientis, mira efficacia observatur in lue venerea, & aliis morbis difficillimis.

Trecentos lue laborantes in Nosocomium collegii præterito anno, & absque salivatione omnes exiverunt sani, hoc solo remedio usi. Parum argenti vivi, sed efficacissimi redditi, ex multa liquidi copia diluti, vidi profuisse quam maxime.

Ex altera.

Usus illius remedii tamdiu protrahitur, quamdiu aliquid de luis symptomatibus superest: tuto sumitur etiam diu. Cancrosum in lingua ulcus curatum vidi, dum per novem menses hoc remedio uteretur puella, & absque noxa ulla.

A pinguibus sale, vel fumo induratis, lardo in primis abstinendum jubeo; juscula, olera mollia, carnes paucas concedo facile. Prisanam hordei cum quarta parte lactis copiosam do, vel aliud quodcumque decoctum emolliens. In Nosocomiis cubiculi ambitu continentur; plures curavi, qui quotidie per urbem vagabantur, in primis verno, & æstivo tempore.

Præterito mense ducenti e Nosocomio exiverunt curati hac methodo; post paucos dies trecenti alii ingredientur. Credo, & apud vos similem successum sperari posse, cum in Hispania per decem annos inveteratam luem sic curaverit Archiater Reginæ Viduæ, cui indicaveram hoc remedium &c.



CA-

CAPUT X.

Sive Fasciculus Morborum decimus.

PLICA POLONICA.

Boneti sententia.

Art. 2015. PLica capillorum morbus est, *Polonis* plerumque *endemius*, tam maribus quam fœminis, imo pueris & infantibus, ut in *Helvetia*, *Alsatia*, & *Belgii parte* ad *Rhenum*, ac in *Hungaria* cognitus, ast non tam frequens. In *Hungaria* interdum animalia hoc morbo infestari, præsertim equos, testatur *Sennertus*. *Plica in Polonia endemia, & alibi cognita.*

Art. 2016. Est autem plica affectus capillorum gravis, malignus, & periculosus, in quo capilli capitis indissolubili implicatione, & agglutinatione, seu inviscatione contorquentur, cum gravissima totius corporis artuumque tam superiorum, quam inferiorum, capitisque læsione, antequam capilli complicentur, magno dolore, sudore plerumque concomitante. *Morbus gravissimus.*

Art. 2017. Præcisio capillorum intempestiva in sic affectis est admodum periculosa. „ Nulla „ certa & appropriata remedia hujus morbi ha„ ctenus inventa sunt, quæ illum perfecte sana„ re vel penitus extirpare valent; & quoniam „ in his regionibus nusquam invenitur, super„ vacuum erit de illo diutius exspatiari.] *Incurabilis.*

Farrago sententiarum.

Art. 2018. Cognoscitur Plica ex capillorum cirrhis, doloribus artus, & ossa infestantibus, *Diagnosis.*

convulsionibus, pediculorum copia. Ungues in pollicibus pedum sunt scabri, nigri, instar cornu hirci.

Curatio. Curatio est bonæ spei si nulli dolores adsunt, nam excrementitia materia in capillos deponitur. Purgantibus & venæ sectione morbus exasperatur. Quidam caput decocto brancæ ursinæ abluunt. *Jonstonus.*

Quedã scitu digna. *D. Connor* Medius Anglus hoc morbo diligenter perquisito fatetur, ejus causam longe cognitu difficilem fore, sed omne quod de ea effari potest illud est, quod pro Arthritidis specie capillos obsidente habeatur. Affirmat insuper plurimum errare, qui hujus morbi genesin negligentiæ Polorum sibi capillos raro, vel numquam pectentium tribuunt, siquidem quousque eadem attingat, effectum alibi adeo inconspicuum numquam certe tam brevi tempore producere posset, cum intra noctis spatium interdum plica generetur. Fabulosum itidem esse, ait, quod narratur de effluxu sanguinis a capillis quando plica abscinditur, plurimos enim in Polonia novit, qui impune capillos sibi absciderunt, inter quos nonnulli quidem testati sunt, visum sibi a sectione turbatum fuisse, doloresque per artus, & membrorum contorsiones supervenisse.

TINEA.

Turneri sententia.

Tinea. *Art.* 2019. Sahafati seu tinea; Angli sonant *a Scall'd Head.* Hujus affectus tres species ab authoribus numerantur, viz. *tinea sicca*, *humida*, & *lupinosa*, quæ revera sunt tantum varii gra-

Defini tio morbi. dus ejusdem affectus; sed prætermissis hisce divisionibus minus necessariis morbus definiri potest;

test; ulcuscula manantia capitibus infantum exorsa a vitioso, corrosivo, aut salino humore, glandulas cutaneas exedente, quæ tractu temporis texturam earum destruunt, & deprædantur. In primo gradu velamine albido, sicco, furfuraceo, aut squamoso caput obducitur. In secundo gradu caro subjacens granulata apparet, ad instar seminum in ficubus transversim sectis. Gradus tertius est ulcerosus, sicut *achores & favi*. Nomen desumitur a *vermiculo tinea* ob similitudinem foraminum, quæ ab isto animali in chartis, & vestimentis effodiuntur. *Ejusdē gradus varii. Ratio nominis.*

Art. 2020. Ad amovendam incrustationem fotus, & unguentum sequens ab *Ambrosio Paræo* laudantur; ℞. *Rad. alth. lapath. acut. acetos.* ana q. s. coque in *lixivio tenui*, cui addatur modicum *aceti* pro fotu bis in die usurpand. ungentum conficitur ex *foliis nasturtii hortensis* cum *axungia porcina* contusis vel frixis, quod 24. horis opus absolvet; ad radicalem autem curam hujusce mali contumacissimi recte perficiendam consulatur author, qui de eo pulchre scripsit, & optima remedia ex probatissimis scriptoribus, cum judicio accumulavit. ,, Sed negotium adhuc abbreviare ,, possumus: Experientia etenim edoctus sum ,, hunc affectum sola *Pisselai Indici* inunctione ,, (amota prius incrustatione, ut ante dictum fuit) ,, tuto accito sanari posse. *Curatio.*

Farrago sententiarum.

Art. 2021. Tinea sicca perinde est ac Porrigo, quam Ptyriasin Græci dicunt, & fit quando tenues ac furfuraceæ squamulæ ex capitis, & reliqui corporis superficie nulla relicta exulceratione decidunt. *Hujus morbi synonima.*

Tinea humida perinde est ac Psydracia, aut exanthe-

themata capitis ubi exiles fiunt in capite excrescentiæ, pustulis similes, quæ summam cutis superficiem exasperant. Exanthemata vero ex *Paulo Ægineta* summæ cutis pustulæ sunt, & exulcerationes subrubræ, ac salebrosæ.

Tinea demum lupinosa favos, seu Græcorum achoras constituit, ubi ulcera tenuissimis foraminibus cutem perforant, e quibus viscida sanies excernitur. Haud sane dispar huic figura, & aspectu malum est, quod *Cerion* h.e. favum dicitur, quoniam foraminibus amplioribus terebratum mellis instar humiditas perinde ac in apum favis continetur. *Ægineta*.

Prognosis. *Art.* 2022. Acores infantum seu crusta lactea nihil periculi involvunt; sibi enim relicti sponte tandem evanescunt, id quod per vulgus notum est. Quando autem unguinosis, vel aliis incongruis topicis retropelluntur, tunc infausta damna succedunt. Quod adeo pervulgatum est, ut ipsi parentes hinc externa auxilia plerumque rejiciant.

Achores autem maligni seu Tinea lupinosa, cum indiciis impetiginis altioris sunt considerationis. Licet autem recens malum congruæ medicationi facilius cedat, inveteratum tamen pertinacissimum est.

Curatio. *Art.* 2023. Tineam rubicundam per hyrudinum suctionem sanatam vidisse testatur *Rhases lib.* 36. *tr. tract.* 3. *cap.* 2. Siccam nulla indigere medella evidentissimum est, humidam pulveres absorbentes cum antimonio diaphoretico, & momento flor. sulph. interne, ol. ovorum, vel unguento ex ol. hyperici, & momento ceræ citrinæ parato subigitur.

Achores maligni curantur depuratis primo humoribus per laxantia potissimum serosa, per diluentia, & absorbentia. Externe vero radices capillo-

pillorum extirpentur emplastro glutinante e pice, colophonio, & resina parato, deinde succurratur unguento quodam mundificante, & maturante. Ad mundificandum ol. laterinum optimos effectus edit. Ulcuscula ad suppurationem reducuntur attrahentibus, & maturantibus e cera, & resina paratis. In ambitu autem Emplastrum juvat de spermate ranarum camphoratum. *Junckerus*.

TRACTATUS DE OCULORUM MORBIS cognoscendis & curandis.

Art. 2024. Oculum nobilissimum totius corporis organon (quod emphasi quadam *lux corporis* appellatur) curam medicorum præcipuam mereri damnum illud ingens, quod a cæcitate patimur, testatur. *Subjecti dignitas.*

Series Morborum Ocularium (primariorum saltem, quibus reliqui referri possunt) a scriptoribus passim recensitorum in ordinem redacta.

Nomenclatura Morborum.

Morbi vel vitia palpebræ. N. XVI.	Emphysema, Tumor flatulentus.	2025.
	Pladorosis, Tuberculum lividum.	2026.
	Acrochordon, verruca.	2027.
	Psorophthalmia, lippitudo pruriginosa.	2029.
	Xerophthalmia, lippitudo arida.	2033.
	Sclerophthalmia, lippitudo dura.	2037.
	Scleriasis, lippitudo schirrhosa, livida.	2039.
	Tracoma, asperitas interna.	2040.
	Trichiasis, pilorum vitium.	2042.
	Madorosis, defluvium pilorum.	2044.
	Ancyloblepharon, coalescentia palpebrarum.	2045.

La-

Lagophthalmia, superior palbera justo brevior. 2049.
Atonia ton Blepharon, defectus quoad motum. 2054.
Hippos, oculi nictatio. 2055.
Ectropium, inversio palpebræ inferioris. 2056.
Phthiriasis, pediculatio. 2060.
Ophthalmia, inflammatio oculi. 2062.
Oedema, tumor œdematosus. 2078.
Hydrophthalmia. 2081.
Hypopyon, sanies sub cornea. 2083.
Phlyctænæ, pustulæ miliares. 2087.
Anthracosis, carbunculus oculi. 2089.
Synchysis, humorum confusio. 2080.

Morbi Tunicarum & Humorum N. XV.

Pterigium, unguis oculi. 2093.
Proptosis, ruptura corneæ. 2092.
Rhexis, ruptura tunicarum cum humorum effluxu. 2106.
Oule, cicatrix, leucoma, *&c.* 2108.
Hyposphagma, Suggillatio. 2107.
Hypochyma, suffusio, vel cataracta. 2111.
Glaucoma, mutatio humoris chrystallini in glaucum colorem. 2129.
Epiphora, catarrhus oculi. 2132.
Proptosis, exitus oculi fere ex orbita. 2144.
Atrophia, tabes oculi. 2157.
Medriasis, pupillæ dilatatio. 2158.
Meiopis, pupillæ angustia. 2159.

Morbi ac vitia reliqua in prioribus classibus minus

Plege, oculorum vulnera & contusiones. 2150.
Elcos, ulcus oculi. 2165.
Paralysis, musculorum resolutio. 2169.
Strabismus, oculorum distortio. 2160.
Encanthis, excrescentia carnosa. 2172.

An-

compre-
hensa. N.
XV.

- Anchilops, ægilops, & fistula lacrymalis. 2178.
- Amblyopia, hebetudo visus. 2185.
- Amaurosis, gutta serena. 2188.
- Myopia, propinqua visio. 2196.
- Presbytia, affectus priori contrarius. 2197.
- Nyctalopia, vitium duplex infra videndum. 2198.

Emphysema.

Art. 2025. Emphysema sive oculi inflatio est Tumor *flatulentus* palpebrarum citra coloris mutationem subito accidens: in corporibus cachecticis & scorbuticis est affectus levioris momenti. (vid. Emphysema 2528.) *Emphysema.*

Pladorosis.

Art. 2026. Pladorosis, *sarcomatis* quodammodo species, morum ob similitudinem vocata, est tuberculum lividum in palpebris nascens, non in margine, sed frequentiusin medio cilii superioris, doloris expers; est Tumor in *cista* contentus, sicut Atheroma, steatoma, & melliceris, quæ in palpebris etiam quandoque accidunt. Hi Tumores extirpatu haud difficiles sunt. (vid. Art. 2534.) *Pladorosis.*

Acrochordon.

Art. 2027. Acrochordon, sive *verruca* oculi latiori sensu pro excrescentia præternaturali accepta, est vitium multifarium, *viz.* 1. *Hydatis* in superiori palpebra quæ est excrescentia substantiæ pinguis, infantibus maxime familiaris, *Acrochordon.* *Hydatis.*

quæ

quæ in majorem molem quam reliquæ, accrescere solet, unde tota palpebra quandoque œdemotosa fit; si sit recens, & parva, sæpe sponte evanescit; vel medicamentis facile curatur; 2.
Crithe. *Crithe seu Hordeolum*; quod est tuberculum in summa palpebra ortum, prope cilia; quod *grano hordei* simile est, unde nomen mutuatur. Foveatur cera alba, vel adipe Gallinæ, vel saliva jejuni; vel corpore musci abjecto capite fricetur; vel sanguine columbæ vel perdicis. Si omnia
Grando. frustra, sectione opus est. 3. *Chalazion*, seu *Grando*, quæ ab Hordeolo parum aut nihil differt; nisi forma externa, & forsan quod sit ali-
Tophus. quanto durior. 4. *Lithiasis*. *sive Topus*, cum materia vesica contenta ad *cretæ lapidis* substantiam accedat.

Curatio. *Art.* 2028. Hæc omnia Tubercula in cistis continentur; & ut plurimum operatione manuali extirpanda sunt: nihilominus vero recordandum est, has operationes, utcunque leviores videantur, non *sine cautela*, *nec temere* suscipiendas esse.

Psorophthalmia.

Psorophthalmia. *Art.* 2029. „ Psorophthalmia sive *Lippitudo* „ *pruriginosa* est morbus palpebrarum *Psoræ* in „ reliquo corpore non multum absimilis, ab acri „ & mordaci humore proveniens, palpebrarum „ margines leviter inflammans; quandoque in „ tuberculis minimis erumpens; alias farinacea „ vel pruriginosa scabie incrustatus.

Curatio. *Art.* 2030. Est malum contumacissimum, & curatu difficillimum, præcipue si fuerit inveteratum. „ Ut curatio regularis instituatur; imprimis mittendus est sanguis, & deinde exhibendæ sunt doses aliquot calomelanos alternis, „ vel tertiis noctibus; & bibendæ sunt aquæ mi-

„ nerales catharticæ singulis autoris, quales sunt „ *Ebshamenses* & nostrates *Alfordenses*, *Lidfordenses* vel *Hortenses*. „ Interim foveantur oculi quotidie fotu sequent. ℞. *Fol. rof. rub. sambuc. ana Mj. sem. lin. fœnugr. ana* ℥ij. *carui* ℈j. *coq. in q. s. aq. & vin. alb. ad* ℔j. *pro fotu bis vel ter in die usurpand.* Inflammatione, & humorum acrimonia in hunc modum sublatis, vel lenitis demum palpebræ liniment. sequent. illinantur. ℞. *Ung. Pom.* ℥j. *flor. Sulpur.* ʒss. *Camphor.* ℈j. *ol. rof. q. s. m.* vel cum Infus. sequent. humectentur bis terve in die. ℞. *Fol. Nicotian. opt.* ℈j. *flor. rorismarin. P.* 1. *superaffund. aq. calcis bullient.* ℔ß. *infund. per hor. quadrant. & coletur.* Valere potest etiam unguentum *Ophthalmicum Pharm. Londinens.*

Æginetæ sententia.

Art. 2031. Psorophtalmia pruriginosa palpebrarum scabies est, ex salso humore ducens originem, quod (ait *Platnerus* maxime in anguls, & palpebris esse consuevit) anguli cum multa prurigine rubent. Humor enim exit paucus, salsus, acer, qui omnia exasperat. Enascitur, si ex variis causis lacrymæ calidæ acres factæ sunt. *Diagnosis.*

Art. 2032. Expedit sic affectis ex posca, lenticulæ decocto, & rosarum fomentatio tum, illud hygrocollyrium. ℞. *Æris* ʒvj. *misyos combusti*, *myrrhæ ana* ʒiij. *Croci* ʒj. *sem. Piperis* ʒj. *Vini Chii, & passi Cretici ana cyath.* j. *& semis*, *coquito ad mellis usque spissitudinem.* Hoc est medicamen Erasistrati *Panchryson* appellatum, quod valet etiam ad Anginam, oris ulcera, verendorumque, & aurium dolores. Illinantur autem, & oleo genæ sub somnum; vitentur vero acida, salsa, & acria. *Alia remedia.*

Xe-

Xerophthalmia.

Xeroph-thalmia. *Art.* 2033. Est etiam genus *aridæ Lippitudinis*, quod Ξηροφθαλμία Græci appellant. Sub hoc neque tument, neque fluunt oculi, sed rubent tantum, & cum dolore quodam fere levi, ac prurigine graves sunt, & palpebræ citra duritiem ullam noctu prægravi pituita inhærescunt.

Curatio. *Art.* 2034. „ Quoad curam præmissis præmit-
„ tendis, quemadmodum in quibusdam simili-
„ bus oculorum morbis, *Celsus* commendat *vi-*
„ *pam* oculis noctu apponendam; nec video quid
„ panis tosti oleo appropriato aliove liquore ido-
„ neo imbuti applicationem prohibet; fotus emol-
„ liens in Articulo de *Psorophthalmia* memora-
„ tus hic etiam locum habet.

Platneri sententia.

Morbi causa. *Art.* 2035. Frequens esse solet iis, qui æstate anni flagrantissima, vel apricantur, vel per pulverulentas vias iter faciunt.

Art. 2036. Xirophthalmia laborantibus oculis succurritur etiam vapore ex herba meliloti, malvæ, floribus verbasci, Chamomillæ, semine lini, additis absinthio, ac ruta, qui vapores non alia ratione quam expressa spongia oculo subinde admoventur. Intus dari debent lenia, & quæ humida diluunt; ptisana cui cornu cervi raspatum adjici potest, juscula, lac, amygdalæ ac papaveris semen cum aqua contusum aquæ minerales Selteranæ vel solæ, vel cum lacte.

Art.

Sclerophthalmia.

Art. 2037. Sclerophthalmia eſt *Lippitudo dura*, ſicca, doloroſa, calloſitatem craſſam in palpebris efficiens, earumque motum valde impediens. Ad effectus alterutriuſque priorum fere ſemper quoad medendi rationem referenda eſt. *Sclerophthalmia.*

Æginetæ ſententia.

Art. 2038. Xerophthalmia pruritui ſimilis oculorum eſt ſine fluxione diſpoſitio. Medendum huic: lavacris, inunctionibus, & boni ſucci nutricatu. *Diagnoſis & curatio.*

Sclerophthalmia, durities ac difficilis eſt commotio cum dolore ac rubedine abſque humore. Quocirca ſpongiis aqua calida imbutis oculos identidem fovere, & palpebris, ſomnum inituro, ovum cum roſaceo, aut adipem anſerinam imponere convenit, fugiendo frigida, quæque duritiem conciliant. Caput velari & pinguedine oblini, alvuſque ſubduci debet.

Utriſque præſidio communiter fuerunt medicamenta tam acria ut lacrymas eliciant, per quæ durities remittitur, & ariditas humeſcit. Huc facit etiam Eraſiſtrati panchryſas; ſupra deſcriptus.

Scleriaſis.

Art. 2039. Scleriaſis vel ſcleroma oculi, eſt *durities palpebrarum ſcirrhoſa*; vix a ſclerophthalmia differt niſi gradu, unde prorſus malum incurabile evadit. *Scleriaſis.*

Tracoma.

Tracoma. *Art.* 2040. Tracoma eſt internæ palpebrarum partis aſperitas, cum pruritu & rubore, ſæpe & puſtulis ſemen milii referentibus, ab humore acri. Gradus ejus ſunt *ſycoſis*, & *tyloſis*.

Curatio. *Art.* 2041. Præter generalia, *revellentia*, *intercipientia*, *topica* ſint *mollientia*, poſtea *refrigerantia*, ultimo *detergentia*. *Paræus* ſeq. inſtar omnium eſſe ſcribit, ſi parum *vitrioli* in *multa aq. roſ.* ſolvas.

Trichiaſis.

Trichiaſis. *Art.* 2042. Trichiaſis, vel Phalangoſis eſt vitium pilorum in ciliis duplici ordine creſcentium, vel ſaltem introrſum ſpectantium, atque ita oculum lædentium. Ophthalmiam non raro inducit. Forcipe avellendi ſunt hi pili nocentes, ſi fieri poſſit, ſecus cura non eſt expectanda.

Heiſteri ſententia.

Curandi ratio. *Art.* 2043. Neque vero curari facile malum iſtiuſmodi poterit, niſi oculum infeſtantes pili non ſolum, ut dictum eſt, prorſus extirpentur, verum etiam, & ne redeant impediantur. Quam vero difficilis pilorum ejuſmodi extirpatio ſit, dudum, niſi ego fallor, animadverſum a medicinæ profeſſoribus eſt. Tametſi enim aliqui pilos iſtos reſecuerunt, parum tamen, atque adeo nihil profecerunt. Namque ſuccreſcentes pilorum trunci utpote duri, & rigidi, longe gravius, quam pili ipſi, oculum irritarunt. Alii ab emplaſtris petere curationis auxilia maluerunt; dum ſcilicet palpebræ ſuperioris pilos fronti, reliquos autem

autem, qui in palpebra inferiori insunt, genis firmiter adglutinarunt, atque ita sensim ipsos extrorsum inflectere tentarunt, quamquam irrito semper conatu. Itaque aliam curandi viam ingressi sunt postea Medici; sed præstantior est, quod protinus post pilum evulsum radici sive foraminulo medicamentum aliquid erodens, infernalis præcipue lapis illiniatur, sed providissime tamen, ne scilicet ipse oculus graviter afficiatur. Nobilissimæ quoque hic virtutis sunt sp. sal. armoniaci, nec non sp. vin. rectificatiss. Namque ubi palpebræ post extractos pilos, adhibito tenui penicillo, iisdem inunguntur, ut plurimum mox foraminula coalescunt, nullique postmodum pili denuo succrescunt.

Quodsi per integram palpebræ oram pili ejusmodi perniciosi succreverunt, nec sustinere tamen extractionem, atque adustionem etiam per intervalla factam ægri volunt aut possunt, miserum, sed unicum auxilium est, ipsam palpebræ oram, ne cœcitatis periculum inducat, cum pilis inde prominentibus rescindere.

Madarosis.

Art. 2044. Madarosis, sive Ptilosis est *defluvium pilorum vel palpebrarum glabrities* ex vehementia alicujus morborum trium supra recensitorum plerumque oritur, *viz. Psorophthalmiæ, Xerophthalmiæ* vel *Sclerophthalmiæ*. *Madarosis.*

Ancyloblepharon.

Art. 2045. Ancyloblepharum est palpebrarum inter se invicem, vel inter ipsas, & tunicam conjunctivam *coagmentatio vel potius coalescentia.* Interdum (ut ajunt) est vitium infantibus *Ancyloblepharon.*

connatum, sed frequentius ob incuriam in curandis ulceribus, vel aliis quibusdam oculorum morbis provenit. Coalescentiæ præternaturales manu chirurgica cum cautela separandæ sunt; & oculus tanquam in vulneribus & ulceribus topicis appropriatis tractandus.

Platneri sententia.

Si ab exulceratione curatio mitior. *Art.* 2046. Si Palpebræ in Ophthalmia humida, & erysipelatode, nec non in variolis solo pure inter se cohærent, in iis diducendis nimia festinatio nocet: si vero a vulnere, vel ulcere, media cicatrice inter se coalescunt, oportet eas protinus diducere. Hoc si non nimis valenter sibi inhærent, quandoque specillo fieri potest, quod inter eas, & oculum inseritur. Experiri etiam oportet filum sericum, unguento de tutia illitum, quod mediante acu incurva, obtusa vel aversa, eadem ratione demittitur. Hoc commode a parte narium fit, cum in majori, & interno angulo plerumque relictum foramen sit, & palpebræ aliquantum inter se recedere soleant. Educitur illa lino sequente e parte temporum. Huic filo inferius gleba plumbea innectitur, quæ sic appensa, & subinde commota, adducit valentius filum, quo tandem palpebræ inter se dividuntur.

Curatio validior. *Art.* 2047. Ubi autem hac ratione oculus aperiri non potuit, inserendum est specillum minus sulcum in longum ductum habens, super quod demittitur scalpellum tenuatum, parumque falcatum, quo sic palpebræ secantur; & dividuntur. Id etiam minori forfice incurva fieri potest. Post hæc autem medicamentum inducatur idoneum. Optimum est unguentum de tutia, cui parum balsami de Mecha adjici debet. Ne vero dum

ocu-

oculus devincitur, palpebræ sauciatæ cum cornea, vel albo oculi cohærescant, in oculum demitti debet vesica eodem medicamento illita, inter palpebras vero poni possunt exigua linamenta, donec illarum exulceratio finita est.

Art. 2048. Si vero palpebra qua parte cum oculi albo, vel cum cornea cohæret, etiam diduci debet, fit hoc commode alio minori scalpello incurvo, cujus mucro obtusus est, & globulo munitus. Hoc temperata manu, inter oculum, & palpebras ita subsecatur, ut neque ex palpebra, neque ex oculo, quidquam abscindatur, atque si necesse est, aliquid ex albo oculi potius, quam ex palpebra superiori; quippe per quam minores ductus lacrymas ferentes descendunt. Si autem palpebra superior cum cornea cohæret, huic ante omnia parcendum est. Diducta sic palpebra, curatio non alia sequitur quam qualem mox præcepi. Vitandum enim semper est, ne iterum palpebræ inter se glutinentur, neque iterum oculo inhærescant. *Bulbo oculi adhærentis palpebræ curatio.*

Lagophthalmia.

Art. 2049. Lagophthalmia est cum superior palpebra justo est brevior: vel nativa est, vel a cicatrice, vel convulsione, vel cum infantes in cunis sursum vel retro semper spectant. *Lagophthalmia quid?*

Art. 2050. Curatur *mollientibus*. Si a cicatrice, sectio fit supra eam figura *falcatæ lunæ*, in plagam *litus* injiciendus est. „ Sed revera est malum ut plurimum prorsus insanabile. *Curatio.*

Heisteri sententia.

Art. 2051. Lagophthalmum appellant, quando superior palpebra non inversa, sed solum ad speciem oculi leporis, ob quamcumque causam ita *Nota bene.*

sursum retracta, sive adstricta est, ut oculum contegere recte nequeat. Attamen simile vitium quoque in inferiori palpebra haud raro observavi, sine palpebræ inversione, licet pauci de eo sint locuti; hinc quoque haud immerito pro specie ectropii haberi potest.

Curatio per medicamentum. *Art.* 2052. Itaque si nondum inveteratum malum sit, longe optimum est palpebras earumque cicatrices simul, atque ipsæ se contrahere occipiunt, vapore lactis, vel aquæ calidæ, vel amygdalarum, aut olivarum oleo, vel seminis cydoniorum mucilagine, pinguedine leporina, unguento dialthææ, similive alio unguento, & emplastro molliente solerter fovere, insimul autem palpebram male affectam, si superior est, sæpe deorsum versus trahere, si inferior est sursum versus attollere. Quin imo haud alienum erit, palpebram utramque noctu præsertim, per injecta emplastra in contrarium sensum trahentia, ac parva splenia in eumdem scopum agentia, ita tamdiu diligenter deligare, donec in pristinum suum statum ipsæ fuerint restitutæ. Quodsi autem medicamenta ejusmodi nihil proficiunt ad sequentem operationem confugiendum est.

Per operationem chirurgicam. *Art.* 2053. Scilicet mox sub tarso paululum incidenda palpebrarum cutis exterior est lunata forma, cornibus plagæ in superiori palpebra deorsum, in inferiori autem sursum spectantibus, sic ut hujus beneficio cutis elongari queat. Ubi parum palpebra ad naturalem amplitudinem deest, unica quandoque plaga ad diducendam cutim sufficit; ubi vero multum deest binas, vel ternas plagas lunatas, easdemque parallelas filique crassioris amplitudine ab invicem distantes facere convenit. Tum cute quantum satis est diducta, linamentis carptis paucis, iisque contortis, & primum aridis impleri plagæ debent, spleniis, atque

fa-

fasciis rite superinjectis, in sequentibus vero deligationibus linamenta carpta immittenda unguento vulnerario imbuenda. Sic enim non novæ solum cutis coalitio prohibetur, sed caro quoque in medio excitatur, per quam cutis hians sensim adimpletur, atque sic ea extenditur sive prolongatur. Denique ut promptior curatio fiat, angusta emplastra imponenda sunt, quibus & sursum attolli inferior, & deorsum protrahi superior palpebra queat. Continuari autem modo præscriptum curationis negotium tantisper debet, donec & nova carne impletum vultus, & quantum satis est, ampliatam palpebram deprehendimus.

Atonia ton Blepharon.

Art. 2054. Atonia ton Blepharon est affectus palpebræ superioris ex impotentia musculi attollentis ortus, hinc motus ejusdem superne in totum amissus provenire post a *paralysi*; (novi quosdam a *nativitate* sic affectos) a vulnere vel contusione gravi, discissis scilicet istius musculi fibris: hujus rei documentum habemus satis notabile ac æque deplorandum in insigni quodam *Baronetto Anglicolis* fere omnibus noto ex ictu infelici calcis equinæ. Fœmina quædam a *fistula lacrymali*, qua aliquandiu afficiebatur, ope chirurgica sanata, hunc defectum in supercilio contraxit, &, quod mirum videatur, idem in *nepotem* traductus est, nimirum virium imaginationis impressione: filia etenim, cum prægnans esset, cum matre prædicta cohabitans, & intuitu ac consuetudine quotidie utens, filium peperit similiter oculo affectum, & insanabilem mansurum. Et fatendum est quidem Atonia ton Blepharon a quacunque causa oriundum esse prorsus *Atonia ton Blepharon.*

incurabile; neque curatio sectione, ut nonnulli suadent, temere tentanda est, ne gravius malum, nempe *Lagophthalmia* accerscatur.

Hippos.

Hippos. *Art.* 2055. Hippos est instabilitas palpebrarum, cum palpebræ inordinato motu continuo clauduntur, & aperiuntur, hujusmodi nictatio ut plurimum est hæreditaria, interdum vero ex mala consuetudine comparatur, vel a gravi aliquo affectu, ut terrore, ira, vel timore accidit: sub curam medicam proprie dictam nunquam cadit.

Ectropium.

Ectropium. *Art.* 2056. Ectropium est affectus *inferioris palpebræ*, quæ invertitur, & deorsum trahitur, ut interna pars cum deformitate videatur, & instar rubræ carnis appareat; neque enim superiori committitur, sed pendet ac hiat. A paralysi, convulsione, vel vulnere male curato plerumque oritur.

Art. 2057. Hoc curant *astringentia* (inquit *Forestus*) in *aqua ros.* in qua ferrum ignitum sit extinctum; seq. sæpe expertus est, ♃. *Butyr. rec. diligenter lot. in aq. commun.* & *postea in aq. plantag. vel ros.* ℥ijß. *tutiæ præp.* & *in aq. ros. lot. aloe in aq. plantag. lot. sieff alb. cum opio* ana ʒiß. *camphor. lot.* ℈j. f. ung. quo vesperi inunge & aq. calida ablue. De operatione Chirurgica vide Celsum.

Heisteri sententia.

Art. 2058. Ectropium seu palpebræ præsertim inferioris conversio si ab inflammatione quadam graviori, carneque intus luxuriante provenerit, tum institui curatio melius haud potest, quam ubi primo inflammationem convenientibus medicamentis delinimus, mox autem circumspecte oculo probe defenso, adhibito identidem lapide infernali carnem luxuriantem, atque noxiam sensim consumimus, atque extirpemus. Si ab encanthide, hypersarcosi, sarcomate sive excrescentia carnea malum oriatur sequenti modo vitii causæ auferendæ sunt. *Si ab inflammatione aut sarcomate curatio.*

Art. 2059. Si nimium distortæ, & adstrictæ palpebræ fuerint, aut ab ipsa inde nativitate noxam suam habuerint, vix ulla ipsas restituere curatio valet. Nonnumquam vitium in inferiori palpebra e musculi orbicularis debilitate, sive laxitate, præsertim in senibus, nascitur, atque sine omni cicatricula. Quod ipsum quoties forte evenit, inanis ista esse operatio solet. Si quid enim salutis in his expectandum est, ea tantum curatio proficit, quæ per liquores, sive spiritus confortantes atque balsama, sive unguenta roborantia instituitur. Quo magis autem inveteratum malum est, hoc difficilius inde per operationem, atque medicamenta vincitur. *Quo casu incurabile.*

Phthiriasis.

Art. 2060. Phthiriasis sive *palpebrarum pediculatio* est vitium, in quo pediculi inter pilos nascuntur. Malum est (*inquit Sennertus*) minime contemnendum: acres enim fluxiones concitat, & oculi tandem ab iis valde læduntur; idem varia *Curatio.*

ria

ria medicamenta enumerat, sed non opus est, ut hic recenseantur; nam sola inunctione saponis nigri pediculi cujuscunque generis facili negotio necandi sunt. (vid. *Art.* 3067.)

Celsi sententia.

Prognosis. *Art.* 2061. Genus quoque vitii est, qui inter pilos palpebrarum pediculi nascuntur. Id *phthyriasin* Græci nominant. Quod cum ex malo corporis habitu fiat; raro non ultra procedit. Sed fere tempore interposito, pituitæ cursus acerrimus sequitur, exulceratisque vehementer oculis, *Remedia varia.* aciem quoque ipsam corrumpit. His alvus ducenda, caput ad cutem tondendum, diuque quotidie jejunis perfricandum. His ambulationibus, aliisque exercitationibus diligenter utendum, gargarizandumque ex mulso, in quo nepeta, & pinguis ficus decocta sit; sæpe in balneo multa calida aqua fovendum caput. Vitandi acres cibi; lacte, vinoque pingui utendum, bibendumque liberalius, quam edendum est. Medicamenta vero intus lenia quidem danda sunt, ne acriorem pituitam concitent. Super ipsos vero pediculos alia, quæ necare eos, & prohibere, ne similes nascantur, possint. Ad idipsum ♃. Spumæ nitri partem j. Sandaracæ tantumdem, uvæ taminiæ itidem tantum, simul teruntur, adjiciturque vetus oleum pari portione, atque acetum, donec ei mellis crassitudo sit.

Ophthalmia

Tralliani sententia.

Ophthalmiæ sanguineæ diagnosis. *Art.* 2062. Sanguineum itaque humorem influxisse ac inflammationem oculorum seu (Ophthal-

thalmiam) concitasse, ex forma ipsius tibi constabit. Omnia namque rubra, & sanguinea sunt, facies rubens, & tumidior, venæ latiores, gravitatis sensus, pigritia ad consuetas actiones. Quodsi præter hæc nec lacryma rodens, & acris appareat, adhuc etiam magis sanguinem influxus causam esse, & inflammationem peperisse putato.

Art. 2063. An vero dolor ex bilioso, & acri humore provenerit, clarum tibi ex multis evadet, primum sane inde quod totum corpus plethoricum non apparet, sed potius vitioso etiam humorem præditum, ad hæc quod non solum anguli, sed etiam malæ vehementer ex influxu rodantur, quæ videantur uri, exiliantque ægri rosionem non tolerantes. Cum igitur morbum ex his, atque illis, quæ præcesserunt, internoveris (nam tristitia plurimum, curæ, insolatus, ira, & acrium esus præcedunt) cum fiducia curationem aggredere, licebit enim celerrime vel sine collyriis affectui mederi. *Diagnosis biliosa.*

Art. 2064. Si igitur sanguinis causa inflammationis effectrix esse apparuerit, venam secare humoralem oportet. Sin biliosi & acres humores cum sanguine, etiam purgationem paulo post sanguinem dimissum adhibeto, ac medicamentis utitor intus quidem iis, quæ non rodunt, & lenissimis, extrinsecus autem illis, quæ concoquere inflammationem possunt. Lac enim muliebre cum vitellis ovorum, & rosaceum superimpositum mirifice lenit, inflammationesque oculorum admodum ferrentes concoquit, similia præstant etiam violæ folia. Ad maximas autem inflammationes, tumidioresque bene facit, crocus cum mica panis, luteisque ovorum, ac rosaceo. Hæc omnia cataplasmatis forma extrinsecus adhibentur, quæ vero illini, & instillari debeat *Curatio sanguinea.*

bent hæc sunt. ℞. Cadmiæ unc. v. Cerusæ ʒiv. pompholygis unc. ij. opii unc. j. tragacanthi unc. iij. Aqua pluvialis ad excipienda adjicitur. Hoc inflammationes admodum ardentes, & dolorificas citra rosionem mitigare plurimis constat experimentis. Celeriter item mitigat oculorum cruciatus Collyrium quod Spongiarium dicitur; Hoc ita se habet. ℞. Amyli Cerusæ ana ʒiv. Opii obolum, gummi ʒij. Aq. plurialis adjicitur; & usus ex lacte est. Reliqua vide in Auctore.

Curatio biliosa. *Art.* 2065. Si biliosa humorum pravitas in toto corpore superare videatur, iis, quæ totum corpus purgant, liberantque recrementis, utitor, sin autem recrementa aeria non in toto redundant corpore, sed qualitate potius, quam quantitate peccare videantur, solis balneis dulcis aquæ, & temperatis ægrum citra dolorem liberabis. Quodsi obediens æger fuerit cibo quoque lenissimo, mitissimoque, & crasso utatur; si vero inobediens, tunc collyriis uti necesse est, atque ex eorum numero, quæ non rodant, sed acrimoniam queant obtundere, ex quibus primum est, quod ex pompholyge paratur. ℞. Pompholyg. lotæ, piperis, cerusæ lotæ, plumbi cremati, & eloti, amyli ana ʒxxv. gummi albi ʒxl. Aqua pluviali excipiuntur. Licet autem, si usus requirat, nonnihil ex repellentibus sæpe admiscere, aut ex mitigantibus, quarum quis affectui infestanti convenire putaverit.

Riverii sententia.

Morbi definitio, & divisio. *Art.* 2066. Ophthalmia sive Lippitudo est oculi inflammatio cum tumore, rubore, & dolore; levis inflammatio *phlogosis* dicitur; *chemosis* appellatur, quando utraque palpebra inversa sit, ut vix ab iis oculi contegantur, rubrumque magna

gna ex parte iridem occupet. Alia est ophthalmia *sicca*, alia *periodica*. Elegantem hujus affectus descriptionem habemus apud *Lommium*; *Ejusdem descriptio.*
„ Vehemens oculos urget inflammatio cum mul-
„ to dolore, & tensione, & tumore & ardore
„ & rubedine; interdum etiam tanta cum pun-
„ ctione, ut oculi tanquam ab infixa acu aut
„ spina stimulari videantur; fervente humore im-
„ plentur, sequiturque pituita modo paucior,
„ modo uberior; sed & sordes quædam majori-
„ bus angulis inhærescunt; & ubi gravius est
„ malum, vicina etiam loca ad malas usque at-
„ tolluntur, circum circa arteriæ vehementer
„ pulsant; vasa sanguifera tenuia turgent, con-
„ spicuaque redduntur, quæ per sanitatem in
„ albo fuerant obscura.

Art. 2067. *Venæsectio* docente *Avicenna* usque ad lipothymiam celebranda est; *cucurbitulæ* scapulis & spinæ dorsi affigendæ, *catharsis* lenientibus instituenda. Remedium sequens inflammationem sedat, & fluxionem cohibet. ℞. *Alb. ovi unius*, agitetur cum frusto *aluminis* satis magno, donec unguenti, consistentiam adeptum sit, quod extendatur super linteum, & oculo tepide applicetur, post horas 2. vel 3. auferendum est, ne humores nimis astringat. Unguentum fieri potest ex *butyro* & succo *nicotianæ* simul coctis maxime efficax. In declinatione collyria magis *resolventia* usurpanda sunt, ut ℞. *Sarcocol. nutrit.* (i.e. per plures dies in lacte macerat.) *tutiæ præparat.* ana ʒiß. *aloe* ℈j. *myrrh.* ℈ß. *mucilag. sem. fœnugr.* ℥ß. *aq. fœnic. euphras.* ana ℥iß. m. f. collyr. *Curatio.*

In ophthalmiis inveteratis, cum alia remedia non sufficiant, ad *mercurialia* tanquam ad sacram anchoram confugiendum est. In graviori casu convenit *Setaceum*; aliquando etiam *masticatoria*, & decoctum e *lignis* prosunt. *In morbo inveterato.*

Cov-

Covvardi sententia.

Ophthalmia humida & sicca. *Art.* 2068. Onhthalmia est inflammatio tunicæ adnatæ cum dolore, & ardore torquens. Optime dividitur in *humidam* & *siccam*, prout scilicet cum majore, vel minore humoris profluvio stipatur. In ξεροφθαλμία vel ophthalmia *sicca* oculus quidem intumescit cum dolore quodam, leni rubedine, & pruritu, & gravitate, & cum levi etiam humoris fluxione per vices saltem, non enim datur ophthalmia absolute *sicca*.

Prognosis. *Art.* 2069. Copiosiores lacrymarum effusiones ut ut mordaces, ophthalmiam non diutius duraturam indicant. Ophthalmiæ laborantem alvi profluvio corripi bonum est, inquit *Hippocrates*.

Curatio. *Art.* 2070. Ut recte instituatur ophthalmiæ cura cum *venæsectione* incipiendum est; conveniunt etiam *cathartica* mitiora; privatim *aquæ minerales purgantes*, val *sal mirabile* in aqua communi solut. Quoad *topica* considerandus est præ omnibus morbi status: In principio factis debitis *evacuationibus*; ℞. *Aq. euphrag. fœnic. dulc.* ana ℥j. *tut. præpar.* ʒß. *trochis. alb. Rhas.* ℈j f. mistura. ℞. *Lact. fœminin.* ℥j. *succ. fœnicul. dulc.* ℥ß. *camphor.* ℈j. *album ovi unius*, probe conquassando misceantur, & redigantur in pultem forma cataplasmatis applicand. Huic usui quoque inserviunt mucilagines *seminum cydon. psyl. papav.* &c. quæ sæpius renovandæ sunt, ne acorem contrahant. In augmento. ℞. *Aq. Plantag. rosar. pallidarum* ana ℥iß. *facchar. saturn. vel cerus. lot.* ℈j. *sp. sal. armon.* ℈ß. f. s. a. mixtura. ℞. *Aq. solani* ℥ij. *succ sedi* ℥ß. *opii thebaici gr.* ij. *album ovi* q. s. conquassando probe f. mixtura ophthalmica. Si comitetur epiphora, sine *vitriolatis* commixtis incassum laboramus.

Varianda est pro ratione morbi stadiorũ. In principio

In augmento.

ramus. In statu *resolventia* remedia *repellentibus* prævalere debent, inquit *Riverius*, præcipue fotus *e flor. sambuci parat.* discutiendi gratia, sed mallem ego sequens adhibere, ℞. *Fol. euphrag. fœnic. ana* Mj. *semin. fœnugr. aloes lot. ana* ℥ij. *aq. font. pauco aceto acescentis* (ita ut gustu leviter deprehendi possit) ℔j. coquantur simul ad dimid. consumpt. colatura servetur ad usum. In declinatione sola *sarcocolla*, uti suadet *Sennertus*, maxime conandum est, si ophthalmia sordes reliquit, quod priusquam aliquod applicueris medicamentum ophthalmicum, penitus eluantur seu detergantur. *In statu.* *In declinatione.*

Art. 2071. In ophthalmia sicca *emollientia* & *lenientia* perpetuo intermiscenda sunt, *ne discutientium & exsiccantium* medicamentorum usu inflammatio asperior & intensior reddatur. *Ophthalmia sicca.*

Pitcarnii.

Art. 2072. Ophthalmia externa diligenter distingui debet ab ea, quæ simul est & externa & interna; *interna* est inflammatio retinæ, quam nemo (quantum scio) descripsit; dabo itaque signum pathognomonicum, & in praxi utilissimum; nam si signa *externæ* ophthalmiæ adsint, viz. rubor, calor, dolorque, & nihil aliud visui se offerat, est solum ophthalmia *externa*; at si præter illa *externæ* signa videantur ophthalmico oculis suis obversari muscæ in aere volitantes, pulvisve quilibet obscurus vagare, aliarumve rerum incerta simulacra, tum erit ophthalmia *interna externæ conjuncta*. *Ophthalmia interna.*

Art. 2073. Nullus est morbus, qui natura sua *venæsectionem* sæpius postulet, quam ophthalmia. „ Et ex observatione quorundam Chirurgorum „ Gallicorum constat, unam Arteriæ Temporalis *V. S. copiosa.*

„ Se-

„ Sectionem plus valere ad inflammationem mi-
„ nuendam, quam duas vel tres iteratas venæse-
„ ctiones.

Farrago sententiarum.

Epidemica. *Art.* 2074. Interdum ophthalmia est *epidemica & contagiosa* ex aere inclementiori. In curanda ophthalmia aliquando apprime convenit *venæsectio* in pede ob majorem revulsionem. Ubi humores sunt acriores, & corrosivi collyriis addenda sunt remedia *fixa metallica*, viz. *tutia præparata*, *lapis calaminaris*, *cerussa*, *sacchar. saturni*, imprimis *flores Zynci*, & *flores Jovis*, quos *Barbette* insigniter commendat. In levi inflammatione frustum *carnis vitulinæ*, vel *bovinæ* applicatum morbum discutit. *Ettmullerus*.

Prognosis. *Art.* 3075. Ophthalmia ab uno oculo ad alterum facillime, ac citissime frequenter transit. Tumor, sicut aliarum partium *Phlegmones*, vel medicamentis discutitur, vel ad suppurationem, & disruptionem vergit, & exinde ulcera consectaria, vel denique, quod pessimum est, intempestivo & imprudenti frigidorum Topicorum ac revellentium usu *gangrænescit*. Medici præstantiores uno ore monent; ne topica in principio ophthalmiæ applicemus; multi enim cœci facti sunt medicamentorum copia.

Ophthalmia scrophulosa. *Art.* 2076. „ Ophthalmia frequentissime est
„ *scorphulosa*; quo in casu præter *evacuantia* re-
„ media *mercurialia* & *specifica* exhibenda sunt,
„ item *millepedes* & *herb. euphras.* in cerevisia in-
„ fus. pro usu communi per longum tempus; sed
„ præ omnibus, quotcunque mihi hactenus in-
„ notescunt, *aquæ minerales catharticæ*, quales
„ sunt *Ebeshamenses* & nostræ *Alfordenses*, *Lid-*
„ *for-*

„ *fordenses*, *Holtenses*, &c. diutius epotæ mor„ bum hunc pertinacissimum subigunt, aut sal„ tem inducias paciscuntur, ut aliquoties ob„ servavi. Pro usu externo collyrium sequens. „ ℞. *Mercur. dulc.* ʒij. teratur in mortario lapi„ deo affundendo *aq. ros.* ℥ij. per 4. vices, & „ agitetur pistillo ferreo candenti toties calefa„ cto. Prodest interdum *cataplasma de pomis Ful*„ *leri*, & etiam fotus sequens *Boyleanus*, ℞. *Flor.* „ *melilot. sambuc. calend. ana* Mj. *sem. lin. fœnugr.* „ *cymin. psyl. cydon. ana* ℈ß. *hord. perlat.* ℥ß. coq. „ in aq, fon. & vin. canariens. ana p. æ. ad ℔j. pro „ fotu in doloribus magnis.

Art. 2077. D. *Cheyne* in Tractatu suo de Arthritide testatur *Æthiopem mineralem* larga dosi bis in die sumptum diuque continuatum spem Medici nunquam destituere in cura Ophthalmiæ inveteratæ, immo etiamsi *Scrophularis* sit. *Virtus Æthiopis mineralis*

Cataplasma sequens Ettmulleri in gravissimis inflammationibus dolorem sedare solet; ℞. *Pulp. pom. dulc. assat.* q. v. *alb. ovi unius cum sacchar. crystal.* bene conquassat. *camphor.* gr. xij. misce.]

Stercus vaccinum more Cataplasmatis tepidum animali oculo appositum Ophthalmiæ mederi dicitur. Ex Ephemer. Leopoldin.

Oedema.

Art. 2078. Oedema oculi est inflatio, sive Tumor Oedematosus in albo oculi, i. e. in tunica conjunctiva sine coloris mutatione, valde prominens; est malum satis conspicuum. Cum pruritu mordaci plerumque incipit, tanquam locus ictus esset *spiculo apis vel culicis morsu*; frequentius in æstate quam hyeme accidit. *Banister*. *Oedema.*

Art. 2079. „ Est etiam alia species Oedematis „ oculi minus recte a quibusdam authoribus sic

„ vocati, quod nihil aliud est quam Emphysema
„ in palpebris contingens: horum posterius fre-
„ quentissime vidi, & etiam prius semel vel bis
„ conspexi; sed hoc ad alium Articulum perti-
„ net. *Art.* 2025.)

Curatio. *Art.* 2080. Ad hujus curationem, ut recte fiat; præter alias appropriatas evacuationes *cucurbitulæ* cum scarificatione humeris sunt affigendæ; topica quod attinet, *fotus* ex discutientibus Vino & Aqua incoctis sunt proficui, ut etiam *Mucilag. sem. lin. & fœnugr. cum solutione Myrrh. & aloe in aq. rosar.*

Hydrophtalmia.

De Gorter sententia.

Species alia. *Art.* 2081. Si loci sub oculis, aut ipsæ palpebræ intumescunt hydrophthalmion vocatur; ipsius autem oculi excrescentiam ab augmento humoris aquei hydrophthalmiam vocant, quæ epithemate, & collyrio adstringente curanda.

Platneri sententia.

Hydrophthalmiæ diagnosis, & curatio. *Art.* 2082. Hydrophthalmia oritur, si in oculo venulæ limpidium humorem absorbentes obturatæ sunt. Oculus intumescit cum aliquo etiam dolore, adeo, ut is palpebris operiri nequeat. Id vero ex variis causis fieri potest, plerumque vero ex graviori ictu, & si medicamenta reprimentia diu superhabita fuerunt. Perforandus est oculus acu, scalpello ancipti, vel alio ferramento, quod fistulam habet ei similem, per quam hydropicis aqua ex ventre emittitur. Illud vero ferramentum, quod scleroticam, uveamque transire debet, ei loco admovendum, demittendumque

que est, per quem acus trajicitur, sic ut suffusio curatur. Est vero is inter corneam, & angulum temporis propiorem fere medius, corneæ tamen paulo propinquior, & aliquantum inferior. Aqua educitur, & ubi oculus desedit, inter palpebras demitti potest vesicæ frustulum, cum quodam unguento, cui axungiam viperarum adjicere licet. Exterius autem oportet oculum paulo valentius comprimere, vel impositis pluribus pannis, & fascia, vel ferramento ad hoc concinnato. Necesse vero est etiam percurato vulnere, oculum diu sic deligatum continere, ne tumor revertatur. Cum his dari debent medicamenta urinam moventia, præcipue succus millepedum sylvestrium cum meraciori vino, nec non potiones, & juscula viperarum.

Hypopyon.

Art. 2083. Hypopyon est *collectio puris sub cornea* (secundum *Kennedy* in ophthalmographia sua *inter corneæ laminas*) ab ophthalmia, vel contusione violenta plerumque ortum ducens. Intentiones curativæ sunt: doloris sedotio, & puris evacuatio per discutientia, &c. *Covvard.*„ Si materia purulenta discuti nequeat, ipsa cornea lanceolæ mucrone caute, & prudenter aperienda est, quæ operatio periculo vacat, neque semper post se cicatricem fædam relinquit. Incisione facta, & pure expulso oculus eandem medicationem postulat, ac in vulneribus oculorum vel post cataractæ detractionem. *Hypopion.*

Junckeri sententia.

Art. 2084. Quando hypopyum sponte sua rumpitur lenia septica ad vulnusculum mundificandum *Curatio hypopyi sponte rupti.*

 adhi-

adhibenda sunt, ne materia ad pterygii, genesin remaneat. Faciunt hoc testæ ovorum, conchæ calcinatæ, tutia, pompholyx, nihil album, os sæpiæ præparatum, crocus metallorum, aquæ ophtalmicæ cum modo dictis pulverulentis mixtæ ex. gr. rosar. flor. cyan. Euphras. Saccharum in vase cupreo ad cæruleum fere colorem tinctum, ope succi chelidonii, vel aquæ hyssopi.

Ejus perforatio. *Art.* 2085. Quando autem remedia non sufficiunt, tum operatio est instituenda: videlicet tunica cornea, extra iridem in parte sui inferiore lanceola pertunditur, ut materia ibidem collecta cum humore aqueo profluere possit. Promovetur ejus exitus, si necessarium fuerit per blandam bulbi compressionem; deinde collyrium applicatur, ut vulnusculum corneæ inflictum, consolidetur. Plerique parant hoc collyrium ex aqua plantaginis, cum albumine ovorum conquassata, & momento croci, ac sanguinis draconis.

Cautela & monitus. *Art.* 2086. Humorem aqueum post operationem restaurari observatum est. Quando vero cicatrix oculum reddit deformem aliud collyrium subiungitur, nempe ex aq. plantag. partibus viij. sacchar. cand. alb. part. ij. tut. præp. parte j. lapid. calamin. parte semis.

Cavendum ne incisio nimis profunda fiat. Ad hoc evitandum *Meckren* peculiarem lanceolam parari curavit. Sufficere autem potest ordinaria lanceola, si emplastro quodam obex ponatur.

Phlyctænæ.

Covvardi sententia.

Plyctænæ quid. *Art.* 2087. Phlyctænæ sunt ulcera nunc in adnata, nunc in tunica cornea emergentia, velut tot minimæ vesicæ aqua repletæ, quales solent aquæ

aquæ ferventis in aliquas corporis partes affusione excitari, vulgo apud *Anglos Blysters in the Æyes* appellantur, & instar *granorum milii* apparent, & cum usitatius ab acri, & corrodente humore producantur, vehementem dolorem & lancinationem pariunt. „ Hæ pustulæ in tunica „ cornea *albidæ* sunt, in adnata rubescentes.

Art. 2088. Præmissis rite evacuantibus; *discutientia* & *exsiccantia* conveniunt, quæ varianda sunt, prout morbus sit in augmento, statu, vel declinatione. „ Detergendæ sunt Phlyctænæ cum *melle rosar. addito pauxillo unguent. Ægyptiac. vel cum pulvere nicotianæ* (cum cautela usurpato.) Post detersionem sanandæ, & exsiccandæ sunt cum *Collyrio ex Aq. plantag. & Trochisc, Alb. Ras. Kennedy.* *Indicationes curativæ.*

Anthracosis.

Art. 2089. Anthracosis sive Carbunculus oculi est Tuberculum gravissimum in oculo ex inflammatione nascens, & ad Ophthalmiam referri potest. *Anthracosis.*

Synchysis

Celsi sententia.

Art. 2090. Solent etiam carbunculi ex inflammatione enasci, nonnumquam in ipsis oculis; nonnumquam in palpebris: & in ipsis oculis modo ab interiore, modo ab exteriore. In hoc casu alvus ducenda est, cibus minuendus, lac potui dandum, ut acria quæ læserunt, leniantur. Quod ad cataplasmata, & medicamenta pertinet, his utendum, quæ adversus inflammationes valent. Atque hic quoque Nilei collyrium optimum *Curatio carbunculi in bulbo oculi.*

mum eft, quod habet nardi Indici, papaveris lacrymæ ana part. j. gummi part. j. Croci part. ij. fol. rof. recentium part. iv. quæ vel aqua pluviali vel vino auftero coguntur.

Curatio carbunculi in palpebris. *Art.* 2091. Si tamen carbunculus in exteriore palpebræ parte eft, ad cataplafmata aptiffimum eft lini femen ex mulfo coctum: aut, fi id non eft, tritici farina eodem modo cocta.

Synchyfis. *Art.* 2092. Synchyfis eft humorum oculi confufa admixtio ab ictu, vulnere, vel contufione violenta, vid. vulnus feu contuf. oculi.

Pterygium.

Ettmulleri fententia.

Morbi defcriptio. *Art.* 2093. Pterygium, vel Latinis Unguis, feu oculi pannus, eft tunica quædam præternaturalis ab uno oculi angulo, frequentius interiori, enata, quæ fucceffive accrefcendo tandem ad pupillam pervenit; interdum eft tenuis, albida, interdum craffior, & carnofior, afpera, dolorofa, imo cancrofa, quæ non eft attingenda.

Curatio. *Art.* 2094. Commendatur ablutio oculorum, cum proprio *lotio* matutino, ufurpanda funt remedia *abftergentia*, ut *faccharum cand. os fepiæ*, *crocus*, *vitrum*, vel *butyrum Antimonii*, fuccus *chelidon. maj. vitriol. alb.* In malo pertinaciori tuto confugiendum eft ad *Mercur. fublimat.* item *fuccus formicarum rub. expreff.* & cum aq. ophthalmica appropriata permiftus commendatur.

Differentia. *Art.* 2095. Ungulam oculi diftinguere folent in *membranofam*, *varicofam & adipofam*; membranofa, alias panniculus appellata, eft excrefcentia carnofa ac nervofa, quæ operationem valde dubiam, & incertam admittit; nec tractabilior eft fecunda fpecie cultro tentanda, propter

pter inſignem venarum dilatationem & turgeſcentiam; ultimam adipoſam ſcilicet coloris albicantis, & ſubſtantiæ quodammodo pinguis, reliquis duobus benigniorem tuto extirpare licet, de operatione conſulatur *Author*, ut etiam *Celſus*.

Curatio & Prognoſis.

Art. 2096. Si Pterygium ſit recens, *ærugine*, *alumine uſto*, *ſacchar. cand.* &c. abſumi poteſt, fel animalium fere omnium valde commendatur. Pterygium revera eſt malum periculoſum, & curatu difficillimum; eſt etiam frequenter contagioſum ab uno oculo in alium tranſiens, & fere ſemper metus eſt, ne cancroſum evadat.

Platneri ſententia.

Morbi acurata deſcriptio.

Art. 2097. [Pterygium membranula tenuis, nervoſa, colore parum a cornea differens, etiam aliquantum pellucida incipit plerumque a narium parte, & caruncula lacrymali, rarius a parte temporum, creſcendo vero pervenit ad corneam, quam etiam contegit; major item ei craſſitudo accedit, & quando multo craſſior, etiam plura vaſa habet ſanguine rubro conferta, unde panniculus potius quam pterygium dicitur.

In recenti morbo remedia.

Art. 2098. Hæ membranæ penitus ad oculum hærent, &, ſi inveteraverunt, medicamentis haud diſcutiuntur, ſcalpello difficilius tolluntur. Experienda tamen prius medicamenta, quæ non alia ſunt, quam quæ in extenuandis cicatricibus adhibentur, videlicet mel cum formicis, lapis divinus aqua ſolutus, vel aqua Hartmanni mediante penicillo, admovenda, quibus poſtea mel ſuper datur. Quodſi vero hæc vitia his non ceſſerint, ea ſcalpelli operam poſtulant, ad quam vero non temere properandum eſt, cum res in ipſa curatione aliquod tormentum habeat, & raro

ad ſanitatem, inſtaurandamque oculorum aciem ſatis proficiat. Supervenire etiam ſolet magna inflammatio: quare etiam numquam hæc chirurgia ſatis tuta eſt, niſi ophthalmia omnis prius fuerit diſcuſſa. Ea etiam Vere eſſe debet, aut medio Autumno, fractis jam æſtibus, nondum vero ortis frigoribus.

Ante chirurgicam operationem obſervatio. *Art.* 2099. Ubi autem illam curationem experiri ſtatutum eſt, ante aliquot diebus chirurgus ſedulo oculum, qui curandus eſt, contueri debet, ægrum vero jubere, ut is interea eum huc illuc volvat. Videndum enim eſt, num ſub his motionibus in pterygio, vel panniculo, qua parte ruga fiat, quæ ſignificat, eo loco id vitium oculo non ita adhærere. Nam ibi in ipſa curatione primum membranulæ apprehendendæ ſunt.

Chirurgicæ operationis deſcriptio. *Art.* 2100. Si vero id quod ſupercrevit excidendum eſt, æger ſupinus in lectulo debet collocari, & a miniſtris contineri. Acus incurva minor linum ceratum trahens per illam panni, & pterygii rugam trajicitur. Poſita acu lini capita apprehenduntur, & per ea membranula erigitur. Oculus immobilis præſtandus eſt inſtrumento, quod ſpeculum oculi vocant, & quod alius miniſter admovere debet. Quia hoc, ſic dictum, ſpeculum impedimento eſſe poteſt, fere melius eſt, ſi miniſter diducit ſuperiorem palpebram, chirurgus vero inferiorem, inter quæ æger monendus, ut ſtabili, & irretorto oculo ſit. Levanda poſt membrana eſt, vel lino, vel mediante hamulo acuto, vel alio compoſito a *VVoolhouſio arachnopodion*, Gallice *Patte d' Aragnee*, Italice *piede di Ragno* dicto. Neceſſe vero eſt, ut hoc temperata manu fiat, ne aliquid ex oculo ſecetur. Præſtat enim aliquid relinquere, quod poſt medicamentis reſolvi poteſt, quam oculi tunicas lædere, quæ difficilem curationem recipiunt.

Ca-

Cavendum est ne ex angulo caruncula abscindatur, neve illa, dum vehementius id, quod exciditur, ducitur, sequatur ac decidat. Si enim abscissa, vel abulsa est, patefit in angulo foramen, per quod postea semper humor descendit, quod vitium *Dyas* dicitur.

Art. 2101. Exciso vero panniculo, vel pterygio, sanguis statim multus fluere solet, maxime, si prior exsectus fuit. Eam vero neutiquam coarcere oportet, sed interea oculum calida eluere, ac fovere. Si vero, id quod plerumque accidit, majoris inflammationis timor est, ad illam avertendam omne medentis consilium dirigi debet, & adhiberi omne auxilium, quod vel maxime adversus ea potest. Noctu oculus devinciri potest, ita tamen ut aliquid inter eum sit & palpebras, ne cum his cicatrice concrescat. Ab initio idonea sunt grana hormini, post vero ungentum VVoolhousii, quod componitur ex flore æris loto, & levissimo, quod butyro sine sale, vel teneriori axurgia, excipitur, & cum hac conteritur. Quo etiam cornea purior ac pellucidior fiat, conducit collyrium, cui crocus metallorum admistus est; nec inutile est saccharum in stanneo vase contritum. *Quid post sectionem faciendum.*

Proptosis.

Art. 2102. Proptosis seu Straphyloma est revera *Hernia oculi* & isto nomine designari debet: disrupta etenim tunica cornea quocunque accidente uvea seipsam protrudit, tumorem vel *Ramicem* faciens, qui a similitudine aliquali rerum quarundam varia apud Græcos sortita est nomina, uti *Straphyloma*, *Melon*, *Helos*, *Myocephale*, &c. (Vid. *Art.* 2154.) *Proptosis.*

Art. 2103. Quoad curam in principio haud in- *Curatio.*

con-

congruum erit experiri, quid valeant *Collyria astringentia*, si ex horum usu spes frustretur, ad chirurgicam operationem accedendum est, nimirum ad evacuationem humoris aquei per *paracentesin*, quæ periculo vacat; iste enim humor de novo supplebitur, & vulnusculum curatu non est difficile.

Yvesii sententia.

Morbo integram corneam non occupente. *Art.* 2104. Si nondum integram corneam staphyloma occuparit per ejus medium acuta, & curva acus cum annexo filo sericeo transmittatur, tum dempta protinus acu, duo fili sericei capita paululum contorta sinistræ manus digitis apprehendantur, & scalpello aut phlebotomo deinceps paulatim sub filo tumore resoluto forficis adjumento tandem penitus rescindatur. Deinde spiritus vini aqua dilutus, perinde ut post cataractæ operationem fieri solet, super oculum ægrum imponatur. Sic enim non ipsum modo staphyloma tollitur, sed cornea quoque aut penitus glutinetur, aut non nisi exiguum foraminulum in medio vulnere remanet, unde humor aqueus ea proportione, qua intus in oculo excernitur, continuo equidem profluit, sed sine ulla fere ægrotantium molestia, quia una cum lacrymis leniter ad nares per vias lacrymales defluit.

Morbo totâ corneâ occupante. *Art.* 2105. Ubi vero totam corneam staphyloma tenet, ea est hujus Auctoris curandi methodus, qua non ipsa tantum cornea, sed iris quoque, & uvea cum albugineæ proximæ annulo ad latitudinem lineæ circiter exscinduntur. Tunc enim humores omnes ex oculo profluunt, oculus in formam minoris oculi contrahitur, ipsumque deinde vulnus clauditur. Quibus ita confectis oculus artificialis immittitur; atque is quidem

dem non alteri tantum oculo quam maxime similis esse debet; sed ipsi quoque parti afflictæ, quam exactissime adaptatus. Sic enim hic oculus artificialis ad instar oculi naturalis, huc atque illuc moveri per musculos oculi consuevit, ut a multis pro oculo artificiali non agnoscatur, sed pro sano ac vero oculo habeatur.

Rhexis.

Art. 2106. Rhexis est Tunicarum oculi ruptura *cum humorum effluxu a vulnere*, contusione violenta, vel ingenti exulceratiene orta, cœcitatem perpetuam inducit, si humores omnes emanarunt. Nihilominus vero Globus oculi in hoc casu quandoque humore aquoso replebitur, utcunque tamen haud usque ad dimensionem naturalem: in hoc statu oculo artificiali vitreo deformitas eleganter resarcitur. Si solus humor aqueus reliquis in oculo manentibus effluxerit, natura frequenter hunc denuo suppeditat, & oculi pulchritudo ac visio conservantur. *Rhexis.*

Art. 2107. In hisce gravissimis oculorum læsionibus semper convenit *venæsectio* quam ocissima, item *enematum* injectiones, & in vulnus vino rubro cum exiguo melle prius ablutum, instillandus est *sanguis columbinus* ex animali vivo, vel mixtura ex *melle rosarum vitell. ovor. & lacte muliebri* adhiberi potest, & superimponendæ sunt linteæ *albumine ovorum cum tantillo alumine bene agitato imbutæ*. Post hujusmodi Medicationem aliquandiu continuatam *Collyrium ex Myrrh. Aloe & Croc. in Aq. Rosar.* usui erit. *Curatio.*

OU-

Oule ſive cicatrix

Covvardi ſententia.

Albugo quid? Varietas, & prognoſis. *Art.* 2108. Albugo ſeu Leucoma eſt macula corneæ albeſcens; quo latior & craſſior eſt, eo magis viſum obſcurat, & quo magis corneæ ſuperficiei incumbit, eo magis albicat, & quo propius ad nigredinem vergit, eo altius ſuas egit radices, & vix curabilis exiſtit. Quæ e *cicatrice* relicta exoritur difficillime diſſipatur, quæ *ophthalmiam* ſequitur, frequenter ſua ſponte faceſſit.

Curatio. *Art.* 2109. Totus curationis cardo in *emollientibus*, *reſolventibus*, ſeu *diſcutientibus*, vertitur, quæ tamen cum ſumma cautela ſunt uſurpanda. Pro *cicatricibus* tollendis *topica* acriora, imo *catharetica* aliquando prudenti manu adhiberi debent, & primo tentanda eſt via lenioribus, & poſtea ad fortiora licet devenire. ℞. *Rad. althæ.* ℥j. *folior. malv. euphrag. chelidon. maj. ana Mj. ſem. lin. fœnugr. ana* ʒiij. *flor. melilot.* p. j. coq. in aq. font. q. ſ. ad ℔ij. hujus decocti vapor oculis apertis calide excipiatur frequentiſſime. Mallem ego in his oculorum medicamentis utendis formam *fomentationis*, quam *vaporis* commendare, præcipue ſi eidem decocto, dum caleſcat, pauculas *ſalis* ſeu *ſpiritus alicujus volatilis* guttas inſtillaveris, quod tum forte prodeſſe poterit, niſi nimiam affuderis ſpirituum quantitatem, quæ oculorum tunicas feriat, & irritet. Alii utuntur *ſaccharo cand. in aq. fœnicul. ſeu euphrag.* ſ*ſolut. Succus fœnicul. vel chelidon.* cum guttulis aliquot *balſam. Peruv.* potenter albuginem diſcutit, inquit *Riverius*. Sequens ex *Riverio* feliciter expertus ſum; ℞. *Aq. roſ.* ℥iv. diſſolve

solve in ea paulum *salis armoniac.* ita ut linguam feriat, deinde imponatur in vase aurichalceo, donec *cæruleum* colorem acquirat. *Fella animalium* præcipue *lucii piscis*, succus *chelidon.* &c. sunt remedia calida & acria, ideoque convenit ea excipere mucilaginibus *gum. tragacanth. sem. cydon.* &c. vel cum pulv. *Trochisc. alb. rhas.*

Ettmulleri sententia.

Art. 2110. Albugo seu Leucoma est cicatrix albida post variolas, vel alia ulcuscula in oculo. Pro nubecula & albugine delenda conveniunt *fel anguillæ*, *ol. papyri*, *succ. chelidon. maj. aq. saphirin. mercurius sublimatus*. „ Solenne est apud „ Chirurgos Gallicos ad vitium amovendum ope- „ rationem instituere, quam vocant *scarificatio-* „ *nem oculi*. Instrumentum ad hoc opus perfi- „ ciendum, quod *Scarificatorem* nominant, fit „ ex aristis hordeaceis. N. xx. vel xxv. puta, ad „ instar penicilli colligatis; cum hujusmodi au- „ tem scopis sive verriculis oculum abradunt, „ quandoque usque ad effusionem exigui sangui- „ nis, alternis vel tertiis forsan diebus idem re- „ petendo ad quartam, quintam vel plures vi- „ ces; finita in hunc modum singula scarifica- „ tione oculus cum aqua tepida multoties ab- „ luunt, imo fere continuo per totum diem, „ & deinde noctu pulpam pomi assati applicant: „ atque hæc est scarificationis methodus; accu- „ ratiorem vero aliam operationis methodum, „ non modo in hoc vitio, sed etiam in quibus- „ dam aliis oculorum affectibus nos a laudabilio- „ ribus mutuatam Scriptoribus cuilibet titulo ad- „ jiciemus.

Pro cicatrice in oculo.

Remedia aliquot.

Scarificatio Oculi.

Far-

Farrago ſententiarum.

Albugo a relicta cicatrice. *Art.* 2111. Ex ulceribus neceſſe eſt cicatrices fieri, quæ ſi in cornea membrana perlucente ſunt, aciem hebetiorem reddunt, & ſi craſſiores fiunt, omnem corrumpunt. Quare opera danda eſt, ut, quæ tolli nequeunt, extenuentur. Compertum vero eſt, minus altas, leveſque cicatrices, ſi infantibus obtigerunt, pedetentim, adoleſcente ætate, ſponte extenuari, id quod in adultis, nec operoſa arte, obtineri poteſt. Hæc curatio longa eſſe ſolet & anceps, nec adhiberi poteſt, niſi prius omnis inflammatio conquieverit.

Si cicatrix recens eſt, & minime craſſa, illam digerit, tollitque medicamentum, quod paratur ex melle. Hoc neceſſe eſt, ut excipiat plurimas formicas, cum quibus, vel ſolis vel clibani calore coquitur. *Platnerus.*

Albuginis Curatio varia eſt. *Art.* 2112. Si quis autem feliciter inſtituere albuginis curationem voluerit, is equidem ad ipſas morbi cauſas accomodare ipſam debebit. Namque ubi forte ab intus intra corneæ laminas inſpiſſatis, ac hærentibus humoribus maculæ provenerunt, neque nimis jam tum invaluerunt, longe optimum erit a ſollicitata victus ratione atque internis præcipue medicamentis digerentibus, & cum primis infuſis, vel decoctis ſudoriferis diligenter atque largiter adhibitis, ſalutis præſidia petere. Sed ſimul tamen extrinſecus uti venæſectionibus, ſcarificationibus, emplaſtris veſicatoriis ex cantharidibus, pediluviiſque frequentioribus oportebit. Super ipſum oculum ægrum ſacculos digerentes ex hyſſopo, roremarino, flor. chamomillæ, ſem. fœniculi &c. atque vel in aqua, vel in vino coctos quam frequentiſſima

ſuper

super imponere; vel collyrium aliquod ex aqua fœniculi aut valerianæ admixta *sp. vin.* portiuncula confectum identidem superimponere convenier. Si quæ autem venæ tumentes e tunica albuginea ad maculas processerit, utilissimum erit per adhibitam acum curvam minorem utrinque acutam aut forficem, aut phlebotomum strenua sed probe tamen simul temperata manu easdem rescindere. Denique si plane inveteratum malum est, quidvis potius, quam sanationem expectare licet.

Art. 2113. Si ex abscessu quodam intra lamellas tunicæ corneæ, post præviam inflammationem aliquam suborto, maculæ proficiscuntur, atque materia contenta exteriorem corneæ tunicam instar margaritæ, aut perlæ, aut lentis elevat, unde morbus sæpe perlæ nomen assumpsit, emitti protinus post incisam corneam humor ille noxius debet, qui tunicam exteriorem expanderat. Namque maximum alias periculum est, ne nimis diu relicta intus materia noxia ipsam corneam paulatim erodat, insanabilemque proinde cœcitatem inducat. Ejici autem quam commodissime humor ille potest, si aut phlebotomus, aut acus quædam ocularia per tunicam corneam ad abscessum usque semel, atque iterum, vel pro re nata, sæpius per intervalla etiam dimittitur adhibitis postmodum medicamentis adstringentibus, vel viperarum pinguedine instillata, quo nempe facilius plaga inflicta sive punctura purgetur, & glutinetur. Ita enim quandoque visus restituitur; verum ubi paulo altius, neque proxime super exteriores corneæ lamellas humor ille noxius delitescit, oculorum acies ut plurimum perit. *Heisterus.* *Si maculæ ex abscessu proveniant.*

Art. 2114. Quod autem extrinsecus erosa, vel ab abscessu quodam atque inflammatione infestata *Albugo ex erosione corneæ.*

festata cornea deprehenditur, inflammatio ante omnia curetur, deinde aqua viridis Hartmanni in oculum ægrum sæpius instilletur. Admirabilis enim hujus aquæ virtus est in sanandis hujusmodi corneæ maculis.

Ex pustulis variolis & ambustionibus. *Art.* 2115. Si demum pustulæ ardentes corneam infestant, quas *uritides* nonnulli vocant, atque margaritæ vel granuli millii instar super eadem prominent, vel pustula quædam in variolis, aperire ipsas acicula convenit, ut inde humorem contentum emittant, demptaque deinceps per adhibitam aciculam, phlebotomum, aut proprium aliquod ferramentum, relicta pellicula, quam diligentissime per dies singulos pulveris ex alumine, saccharo candido, atque ovorum testis præparati granulum lentem circiter adæquans, in oculum ægrum immittere, vel etiam linteoli combusti oleo eumdem inungere. Sic enim quicquid forte superstes est de maculis sensim evanescit. Similis plane curandi ratio adhibenda est, quoties propter ambustionem aliquam pustulæ ex tunica cornea pronascuntur. *Yves*.

Albugo insanabilis. *Art.* 2116. Vix unquam profecto curationem eæ maculæ admittunt, quæ aut a vulneribus, & cicatriculis, aut ab abusu collyriorum vitriolicorum ortæ sunt: nec non illæ, quæ aut nimis jam tum invaluerunt, aut corneam prorsus opacam reddiderunt; aut denique ubi nativa oculi, vel corneæ tunicæ forma corrupta adest.

Hyposphagma.

Hyposphagma. *Art.* 2117. Hyposphagma sive *suggillatio* oculi est sanguinis ex ictu vel lapsu, ruptis aut contusis vasis, vel alio modo apertis, in oculorum tunicis adnata, vel cornea, in easdemque effusio; colore primum rubro, postea livido vel nigro:

Cui

Cui malo & hoc accidit, si corneam magis occupet, objecta omnia colorem ad rubrum vergentem præ se ferunt; nam & ad corneam venulæ porriguntur, ea parte, qua iridem spectat; & ex vicinis vasis sanguis in eam effundi potest.

Art. 2118. Si malum sit ingens, opus est venæsectione & purgatione, & topica debent esse *discutientia*. *Galenus* in initio fotum usurpat ex decocto *Fœnugræci & Meliloti*, & postea *astringentia*. *Sennertus* ait in oculorum suggilationibus optimum esse sequens cataplasma. ℞. *Rad. symphyt. maj* ℥vj. *sigil. Salomon.* ℥ij. *flor. sambuc.* ℥iß. *farin. fabar.* ℥j. coq. in q. s. aq. font. *Decoctum* sit pro fotu, & ex *radicibus*, &c. f. cataplasma. *Curatio.*

Junckeri sententia.

Art. 2119. In Suggillatione: idest quando macula lata sanguinea in oculi albo a gravi contusione, vel ictu exoritur, propter vasculorum in tunica adnata ruptionem, & sanguinis hinc stagnationem, conducunt sacculi discutientes camphorati, vel sp. vin. camphor., leviter crocatus linteis applicatus.

Gandolphi sententia.

Art. 2120. Si sanguinis largior copia suggillationem fecerit, quam ut digeri absque cæcitatis aliorumque incommodorum periculo possit, aperiri protinus cornea debet, ut inde cruore emisso naturalis videndi potentia, quantum fieri potest, vindicetur. Historiam lubet ex *Acad. Paris. Hist. Ann.* 1709. *pag.* 16. *edit. Amstel.* huc facientem in medium adducere. Postquam enim quidam gravem in oculo pla- *Chirurgicæ operationis exemplum.*

plagam seu contusionem acceperat, ut propter nimiam cruoris intus effusi copiam nihil amplius cernere valeret, facto vulnere transverso cornea perforabatur, sanguineque ita feliciter emisso, ut non dolores tantum fere nullos æger senserit, nec noxia cicatrix remanserit, pristinam videndi potentiam sine detrimento recuperavit; ut ut ter propter copiam, & firmius hærescentem cruorem tunicam corneam aperire necesse fuerit. Ad promovendam autem glutinationem, spleniis in mixtura ex aquæ plantag. unc. iv. & aquæ vulnerariæ unc. ij. præparata tinctis per octiduum circiter opera impendebatur, quo quidem elapso tempore usque adeo feliciter absoluta curatio fuit, ut ab oculo sano atque integro is, qui plagam atque Medici ferrum expertus fuerat, plane non differret; nisi fortassis in eo, quod paulo ampliorem haberet pupillam: tametsi hoc non tam ab operatione chirurgica, quam potius ab ipsius plagæ vehementia profectum esse videretur.

Cataracta

Covvardi sententia.

Definitio. *Art.* 2121. Suffusio sive cataracta est pupillæ obstructio ab opaco aliquo interposito inducta, quæ visum minuit, aut extinguit. Causæ hujus *Causa.* affectus sunt ut plurimum obscuræ, aliquando tamen evidentes, uti contusio, nimis assidua ad lucernam lectio, balneorum usus inordinatus, & in genere quicquid fluxionem ad oculos promovet; *epiphora* nonnunquam in *cataractam* *Differentiæ.* transit. Differentiæ suffusionum sunt variæ, nempe 1. ratione crassitiei, vel tenuitatis materiæ, ex qua pellicula constat. 2. ratione coloris, an

alba

alba sit, vel nigra, citrina, vel viridis, aut subfusca. 3. a situ, num etenim uveæ, num corneæ propius adhæreat: Certum enim est cataractam semper inter *uveam* & tunicam *scleroticam* contineri, in quo nunc humore aqueo, instar syndonis, innatare & fluctuare videtur, nunc firmiter tunicis, præsertim uveæ, adhærescere.

Art. 2122. Suffusio in initio discuti potest, ut multi fidei integerrimæ authores testantur. Suffusio nigra, nec medicamentis, nec acu curabilis est. Sequens est optima regula de cataractis, scilicet; *si quando videatur accrescere, & discutientium medicamentorum vires excedere, sufficienti temporis serie permittatur callescere, donec acui depositoriæ idonea naturaliter reddatur.* Modus operationis perficiendæ unicus est; intrudendo, scilicet, acum depositoriam per adnatam, & corneam e minoribus oculorum angulis versus nasum, & cataractam eadem involvendo, tandemque ad oculi basin deponendo, ut ibidem resideat, seu leni manu figatur. Post hæc usitatum est, quietem per plures dies patienti imperare, vel in lecto, vel extra, & *stypticis* aliquibus seu medicamentis *agglutinantibus* oculum male affectum obducere. *Curationis regula de Cataractis.* *Operatio.*

Art. 2123. „ Statim post operationem simul ac „ acus oculo evulsa fuerit, instillandæ sunt gut- „ tæ aliquot *sanguinis columbini* a vivo anima- „ li, & toti oculo superimponantur linteæ du- „ plicatæ *albumine ovorum cum frustulo aluminis* „ *conquassato & tantillo melle rosaceo bene irri-* „ *gatæ*. *Post operationẽ quid faciendũ.*

Art. 2124. „ Suffusio, quæ a morbo aliquo „ graviori, a pertinaci cephalalgia, vel a con- „ tusione violenta ortum duxerit, est omnium „ longe pessimæ indolis. Suffusiones, quæ sunt *Prognosis.*

„ virides, vel cineritiæ, item quæ ferri rubigi-
„ nosi, margaritarum, vel testudinis marinæ co-
„ lorem referunt, acu curabiles sunt: e contra
„ suffusiones nigræ, vel flavæ, item cretæ, plum-
„ bi, mali citrei colore similes, non attin-
„ gendæ sunt. Præter colorem, ratio etiam ha-
„ benda est substantiæ, & consistentiæ suffusio-
„ num, quæ a fricatione oculi palpebris apertis
„ dignoscendæ sunt; frictio enim oculi cum di-
„ gito suffusionem reddit latiorem, & extensio-
„ rem cum vel sine disruptione; si autem pristi-
„ nam figuram statim recuperat sine disruptio-
„ ne, operationem fausto eventu successuram es-
„ se sperare licet: sin vero ex frictione suffusio
„ in partes, & frusta dissiliat, operatio nullate-
„ nus molienda est, sed cunctandum est, donec
„ suffusio firmior, & maturior evaserit.

Nota quædam. *Art.* 2125. „ De operandi modo alibi dictum
„ est (*Art.* 2122.) sed in ipsa operatione quæ-
„ dam adnotanda occurrunt; ibidem minus me-
„ morata. In cataractis adhuc imperfectis inter-
„ dum simul ac acus infigitur, statim oculus *in-
„ undatione humoris lactei impleri* videtur, quem
„ ab ipsius cataractæ vesiculis acu sauciatis pro-
„ venire credibile est. Quandoque oculus acu
„ introducta *cruore plenus* conspicitur. Alias in-
„ tromissa acu *cataracta statim duplo grandior*
„ augeri videtur, *tuberosis ostrearum testis* (*vel
„ spermati ranarum in paludibus*) quodammodo
„ similis. Hæc accidentia saltem ad tempus o-
„ perationi impedimento esse solent. Cataractæ
„ nonnullæ, utcunque aspectu benignæ ac pul-
„ chræ ante operationem conspiciuntur, sunt ta-
„ men adeo *tenaces ac rigidæ*, ut acui deposito-
„ riæ obtemperare omnino respuant, & quoties
„ infra detruduntur, toties iterum assurgunt.
„ Aliæ etiamsi septennes, vel octennes fuerint,

„ sunt

„ sunt tamen *molles tanquam gelatina*, atque ita „ vim acus eludunt. Aliæ *Uveæ* tam firmiter ad- „ hærent, ut acu separari nequeant, atque hæ „ sunt omnium pessimæ ab ictu, vel contusione „ violenta ortum plerumque ducentes. Quod ad „ accidentia antedicta, nimirum *humoris lacte-* „ *scentis*, *cruoris*, &c. in operatione contingen- „ tia, attinet, octiduo vel nondinuo plerum- „ que sponte evanescere solent, reliquiæ tamen „ quædam aut fragmenta interdum manere pos- „ sunt. Post operationem visio quandoque sta- „ tim, sed frequentius circa nonum diem ali- „ quatenus succedit, ast non perfecta, & fortis „ ante duas, vel tres septimanas, vel forsan tot „ menses præteritos expectanda est: *Banister &* „ *alii*.

Pitcarnii sententia.

Art. 2126. Signum pathognomonicum a *Ri-verio*, *Plempeio*, & aliis traditum suffusioni nullatenus convenit, nempe affirmant suffusionem tum ingruere, cum varia simulacra ante oculos volitant, pili, araneæ & similia, quæ apparitiones ex omnium opinione, si perpetuo offerantur, est vera & legitima suffusio: has apparitiones ascribunt corpusculis humori aqueo innatantibus, quæ cataractam efformant, verum naturam oculi ignorant: Nam corpuscula humori aqueo innatantia nullum sensum in retina depingunt; imo ea quæ corneæ exteriori adhærent, nullam sui in retina picturam exprimunt, nec cicatricis corneæ nulla est imago, neque ob eam vel eas (si plures sint) ullæ rerum obvolitantium fiunt apparitiones: Ea enim est concavitas retinæ, ut ad objectum in ea depingendum, hoc est ad congregandos in uno ejus puncto omnes

Error Riverii, Plempii, &c.

radios, e quovis objecti puncto emissos, debeat objectum visibile removeri a retina ultra distantiam corneæ a fundo oculi : Hinc sequitur, si incipienti cataractæ conjungantur etiam simulacra muscarum &c. tum oculi etiam *Guttâ Serenâ* laborant.

Platneri sententia :

Quando chirurgica operatio instituenda.

Art. 2127. Incassum tentata morbi discutione videndum est num manu curatio adhiberi possit. Hæc potissimum locum habet si non multum suffusio inveteraverit, nam ubi & lens, & ejus velamentum, vitium contraxerunt curationi non ita idonea est. Etiam supervacua, imo non sine periculo est curatio per manum, si ea adhibetur glaucomati, vel suffusioni, cui mydriasis & Amaurosis accesserunt. Atque ipsius suffusionis quædam maturitas est, Expectari igitur oportet, donec suffusio duritiem aliquam non nimiam habere videatur, cujus rei indicium esse solet, si homini lucis, & rerum, quæ oculis obversantur, aliquis sensus relictus est; is vero, nec has, nec colores satis discernere potest. Si tempus eligere licet, curatio, vere, esse debet, vel autumno, nondum ortis, vel jam fractis æstibus. Etiam ratio servanda est menstruorum, & hæmorrhoidum, quarum venæ sanguinem fundunt; curationem minus exspectari debet, si humor in nares, fauces, vel pulmonem destillat, & frequentes tusses, screatus, atque sternutamenta, vel in capite dolorem, in corpore febrem, movet. Necesse etiam est, ut eo die, quo æger curabitur, cœlum apertum sit, serenum, haud nubilum, vel caliginosum. Et eum, qui curaturus est, recte valere oportet, cum ad hanc rem, & oculorum acies clara atque acris, & manus strenua ac stabilis requiratur.

Art.

Art. 2128. Ante curationem alvus aliquoties ducenda; & homo per aliquot dies modico, atque minus valenti cibo alendus est. Potioni vero præstanda est aqua vel ptisana, aut alia ex potionum generibus imbecillissima. Quæ omnia plurimum ad avertendam inflammationem facere possunt, cujus quandoque metus esse potest. Eo ipso die ante curationem iterum alvus lotione immissa solvi debet, ne desidendi necessitas ægrum surgere cogat.

Ante eã quid præstandum.

Art. 2129. Acu res agenda est, non tamen nimis acuta, nec nimis tenui. Si enim nimis acuta est, lædi possunt minores arteriæ atque venæ in uvea, & processibus ciliaribus. Si autem nimis retusa est, ea ægrius, & non nisi premendo demittitur. Optima esse videtur cujus mucro paululum tenuatus, latior, non vero nimis acutus est. Habere debet manubriolum, & in hoc signum, ut si acus demissa fuerit, sciri possit, qua parte ea plana sit, qua tenuata. Fieri potest acus ex ferro, satis duro, non vero fragili. Fere tamen melior est, quæ ex auro fit, quod crebrioribus mallei ictibus duratur. Si & ferro est, magnam curam, adhiberi oportet, ut omnis rubigo exteratur. Ob id illa, priusquam oculo admovetur, trajici potest per pannum laneum densum, qualis purpureus esse solet, & hujus fricatione levigari. Etiam antequam demittitur, per labra, saliva madida, duci potest.

Quo instrumento.

Art. 2130. Opus est medicamento ad coercendam inflammationem opportuno. Optimum est, quod componitur ex alumine usto, saccharo Saturni, vel æris flore, quem tutiam vulgo appellant. Hæc excipiuntur ovi albo, & adjecta aqua rosarum, spatula agitantur, miscenturque. Ex hoc autem liquore exprimitur panniculus,

Cautela ad vetandam inflammationem.

qui protinus ante curationem superdatur alteri oculo, injectaque fascia adstringitur.

Quomodo locandus æger coram Operario.

Art. Locus lucidus esse debet ut chirurgus ferramentum in hominis oculo cernere possit; Nimia tamen lux, si oculo aliquis ejus sensus relictus est efficere potest, ut pupilla se nimium contrahat. Quare homo non lumine adverso sedeat, sed ut lux e latere in oculum, qui curabitur, admoveatur. Adverso sedili, paulo altiori, insideat chirurgus. Caput a ministro continendum, & immobile præstandum est. Etiamnum duo alii a lateribus objiciuntur, qui hominem labare non sinunt. Levi enim motu eripi acies in perpetuum potest. Linamentis igitur, & pennis super alterum oculum impositis, eoque deligato, oculus, qui curationem ex manu postulat, digitis super palpebras collocatis, leniter perfricandus est, ut minores venæ, quæ acu lædi non debent, inflentur, & se magis ostendant. Homo vero monendus est, ut oculum nasum versus moveat, & immobilem faciat. Tum chirurgus altera manu palpebras diducit, altera acum admovet. Curari autem sinister oculus dextra manu, dexter sinistra, debet, acusque ea ratione demittis, ut digitu minimus, & alter, huic proximus, hominis tempori, & angulo oculi huic propiori innitatur.

Quomodo immittenda acus in oculum.

Art. 2132. Demittenda est acus recta, per tunicas, loco fere medio inter corneam, & angulum tempori propiorem, ita ut nulla vena lædatur. Is locus opportunus est, qui a cornea spatio duarum linearum distat. Quamprimum acus in oculum penetravit, ea inclinanda ad ipsam suffusionem est, & vertendo altius imprimenda. Ubi ad suffusionem ventum est, ita inclinari debet manubrium, ut mucro acus, & ejus pars plana, supremæ suffusioni admoveatur. Hæc paulatim

latim deprimi, & infra regionem pupillæ deduci debet. Ubi hanc transiit suffusio, ea paulo vehementius acu imprimi debet, ut inferiori parte sub humore vitreo insideat. Si hæsit, & homo ea, quæ ante oculum obversantur, videre potest, curatio expleta est. Protinus vero oculus obductis palpebris contegendus est, ne nova lux eum offendat. Acus educi debet, commissis prius palpebris. Omnia curiosius agenda sunt, ne interiores oculi partes lædantur.

Art. 2133. Post hæc linamenta ex supra dicta mistura expressa imponi, & oculus devinciri debet. Primo die, tertia quaque hora, linamenta, cum inaruerunt, iterum madefacienda sunt, ut inflammatio coerceatur. Si hujus major metus est, sanguinem mitti oportet. Numquam vero ante septimum diem palpebræ diduci debent, cum insueta lux oculum concitare possit, & efficere, ut suffusio redeat. Quiete opus est, & abstinentia. Homo supinus cubet, ita, ut caput excitatum sit. Cibus primis diebus non alius assumendus est, quam liquidus, ne maxillæ laborent. Ultimis diebus linamenta ex aqua tepida, cui parum spiritus ardentis admisceri potest, exprimi possunt, & super oculos dari. *Post operationem regimen usque in septimũ.*

Art. 2134. Septimo circiter die relevandus est homo, resolvenda fascia, aperiendusque oculus in loco obscuro. Ubi is videt, necesse est, ut clausis fenestris, se in tenebris contineat, quo oculus pedetentim luci adsuescat; ob quam rem etiam oculus, panniculo quadrato, quod viridem, vel cœruleum colorem habet, commode contegitur, qui vero non fascia adstringitur, sed ita accommodatur, ut præ oculis pendeat. *Septima die quid faciendum.*

Farrago sententiarum.

Prognostica signa aliquot. *Art.* 2135. Si suffusio sit profunda, & pupilla angusta appareat; intra sex menses plerumque confirmata evadit. Oculo digito compresso suffusio nonnihil diffluens & latior facta; postmodum ad pristinam magnitudinem revertens nondum matura est, si vero nullam patitur mutationem discuti potest. *Riverius.* Si oculus suffusione affectus soli obversus nullam possit lucem percipere, frustra est omnino operationis periculum facere; est etenim cataracta cum *Amaurosi* conjuncta, quod malum est incurabile. *Barbette.*

Opacitas humoris crystal. *Art.* 2136. Cataractam revera ut plurimum nihil aliud esse quam *opacitatem præternaturalem humoris Chrystallini* videre licet in Transact. Philosoph. N. 373. Et hanc fuisse opinionem plurium Chirurgorum Gallicorum, viz. *Maitre Jean*, *Antoine*, *Brissau*, *Heister*, &c. ex horum authorum lectione plane constat: Cataractas autem membranosas rarissime occurrere fere omnes consentiunt. (vid. Artic. subseq.)

Acuum uncinatarũ pro cataracta operatione inutilitas. *Art.* 2137. In Operatione manuali cataractæ Veteres usi sunt acu rotunda, & valde acuta. Chirurgorum nonnulli, qui præcipuam suffusionis causam a peculiari quadam tunica intus in oculo nata repetiverunt, ea præsertim instrumentorum genera adhibenda esse putarunt, quibus penitus extrahi ex oculo per vulnus acu inflictum membranacea cataracta posset. Verum enim vero frustraneum penitusque ineptum una cum instrumentis affabre cæteroquin constructis, hunc ipsorum conatum fuisse, non ex opinationis solum de membranula falsitate, saltem quatenus ordinaria cataractæ causa, sed etiam ex certæ experientiæ defectu apertissime innotescit.

Art.

Art. 2138. Novam dudum medendi cataractæ rationem proposuit D. Taylor Anglus multis susceptis Itineribus celebris. Is enim mediante phlebotomo prius scleroticam incidit, viamque facit, per quam acum demittit, cujus forma latior est, habens mucronem altera parte gibbum, altera planum. Etiam utitur ferramento, quod speculum oculi vocant. Sed hac ratione vix prohiberi potest, quo minus per plagam hiantem, si oculus illo ferramento premitur, humor aqueus efferatur. Hoc vero si incidit, collabitur & cornea, & uvea, & vix sine noxa deduci potest suffusio. Quam item ob causam phlebotomo utatur, & non sola atque unica acu totam operationem perficiat, tum etiam cur longitudinalem, & non potius transversalem sive horizontalem faciat incisionem, rationem sane non dedit, neque etiam ullam idoneam perspicere licet. *Methodus nova Taylor.*

Glaucoma.

Art. 2139, Glaucoma est mutatio humoris crystallini in glaucum colorem humore cristallino per exsiccationem condensato. *Oribasius in lib.* viii. *cap.* 47. dicit, Glaucomiam & suffusionem veteres unum eundemque morbum esse existimarunt. *Paulus Ægineta* idem asserit. Valde curiosæ sunt disquisitiones *Gallorum de distinctione inter suffusionem & Galucoma*: *vid. Acad. Sci.* Vol. XII. p. 47. *item* Vol. XXII. p. 36. *&c.* Posteriores tamen *Græci proprie Glaucoma saltem pro humoris crystallini in glaucum colorem mutatione accipiunt.* Quod ubi fit, visio impeditur; nam humore isto pelluciditate spoliato species visibiles *ad retinam* perfecte transferri nequeunt. Cognoscitur hoc malum, quod citra pupillam insignis, & profunda *Glaucoma.*

appa-

apparet albedo, & omnia tanquam per fumum aut nebulam videntur. A cataracta ergo distinguitur, quod *albedo profundior* appareat ex cataracta *in ipsa pupilla & fere juxta corneam*. *Sennertus*. (vid. Art. præcedentem.)

Farrago sententiarum.

Art. 2140. Necesse est corrupto vitreo humore etiam lentem vitiari *Platnerus*. Glaucoma inter initia per victus rationem, & medicamenta, quæ noxiam materiam digerunt, & in inferiora depellunt, discutitur. Si vero adolevit, nullam curationem recipit.

Glaucoma oritur ab exsiccatione, quæ fit vel ob ætatem, vel ob aliam causam *Jonstonus*. Hæc quidem frequentior causa est, unde oculus caligat, concavus fit, atque flaccidus, qui prementi nihil renititur, sed aliquando hoc idem vitium oritur, quia vitreus humor intumescit, corrumpitur, & obscurus evadit.

Glaucoma rarius suffusione occurrit, & pro insanabili habetur. *Junckerus*, & *Taylorus* sub glaucomatis nomine nova prorsus ac inusitata significatione intelligit crystallini opacitatem, & incrementum, ita ut proxime oras pupillæ attingat, una cum capsula vitriata, sed hoc malum potius ob vitiatum ad pupillam situm pro quadam specie cataractæ habendum est.

Situs Humoris Crystallini vitiatus.

Situs humoris Crystallini vitiatus. *Art.* 2141. Est & aliud vitium humoris Crystallini, viz. *Situs naturalis mutatio*, ubi, scilicet, latiore sua parte, quæ lentis majoris instar compressa est, Pupillæ foramini non recta opponitur, sed vel sursum declinat, vel deorsum, vel

ad

ad latera; & quidem si Crystallinus humor situm mutet in uno oculo, in altero vero naturalem retineat; vel si ambo difformiter situm mutent, ita ut alter sursum, alter deorsum, vel ad latera vergat, res geminatæ apparent; *mutatur enim planum*, ut loquuntur optici; hic affectus, sicut antecedens, est omnino incurabilis. *Sennertus*.

Epiphora.

Covvardi sententia.

Art. 2142. Epiphora est præternaturalis oculorum defluxio, quæ *Anglis* sonat *a Rheum in the Eyes*; humore scilicet seroso acri fere continuo depluunt oculi genas excoriante. *Epiphora quid.*

Art. 2143. Intentiones curativæ sunt: 1. humoris peccantis alio derivatio *per venæsectionem*, *cucurbitulas*, *vesicatoria*, *cathartica*, &c. 2. acrimoniæ per remedia idonea correctio, quæ plerumque vino *chalybeato amaro* feliciter peragitur; aliquando vinum simplex liberaliter epotum epiphoram sanat (præcipue non assuetis idem bibere) & postremo, præmissis recte prædictis evacuationibus, & alterantibus, *topica astringentia* adhibere licet. *Curatio.*

Pitcarnii sententia.

Art. 2144. Epiphora est quasi species *catarrhi* in glandulis oculorum. Præmissis universalibus usurpandi sunt *fotus astringentes*, *linimenta*, & *collyria*, &c. Cataplasma sequens ex *Platero* egregias habet vires, ℞. *Pulp. pomorum acidorum* (vulgo vinos. dict.) *in aq. rosʃ. macerat.* ℥ij. *mucilag. sem. fœnugr.* ℥ß. *album. unius ovi. lapid. hæmatit.* *Oculorũ catarrhus. Ejusdem curatio.*

ʒß.

℥ß. *cort. granat.* ℥j. *ol. rof.* q. f. m. f. Cataplafma tepide applicandum.

Heifteri fententia.

Differentia Epiphoræ a fiftula lacrymali. *Art.* 2145. Sunt equidem multi qui Epiphoram, cum fiftula lacrymali confundunt, fed immerito, quia in ita dictis fiftulis lacrymalibus non purus lacrymalis humor, fed cum materia purulenta mixtus ex intus in facco lacrymali abfcondito ulcere profluit.

Epiphoræ caufa. *Art.* 2146. Quicquid ex oculis per puncta lacrymalia ductumque nafalem in ipfas nares curfum impedit, illud ipfum quoque Epiphoram five oculum lacrymantem concitat. Quare oculus lacrymans nafcitur 1.; quoties tumor aliquis, aut tuberculum, ut encanthis canthum five angulum majorem i. e. nafo proximum, ipfaque fimul puncta lacrymalia infeftat, 2. quoties poft palpebrarum exulcerationem, ambuftionem, noxamque aliam, puncta lacrymalia præcluduntur, 3. quoties ductus nafalis obftruitur, aut omnino concrefcit, five glutinatur. Obftrui autem & præcludi ductus nafalis confuevit, quoties materia quadam fpiffa, vifcida, five glutinofa impletur, vel quoties juxta nares paulo graviorem inflammationem fenfit, qua facile glutinari potuit; 4. polypus five caruncula, aut caro excrefcens in nafo; fiquidem is ductum lacrymalem nafalem occludit, vel comprimit, 5. Fiftula lacrymalis, 6. palpebrarum inverfio five ectropium; 7. lacrymalis carunculæ erofio, aut defectus, & denique 8. ductum lacrymalium vulneratio eorumque per malam cicatricem obturatio.

Eadem fæpe difficulter cognofcentur. *Art.* 2147. Epiphoræ caufa facili negotio quidem dignofci nequit, quia aliæ aliis promptius deteguntur, quædam nempe directo examine, & infpe-

inspectu, aliæ per exclusionem cæterarum. Cæterum si a ductus nasalis obstructione, vel glutinatione vitium venit, puncta lacrymalia quidem aperta sunt, & lacrymæ per eam in saccum lacrymalem influunt, ubi colliguntur, ductumque eumdem tumefaciunt in modum herniæ, unde tumor hic *herniæ nasalis* nomen accepit, aut *sacci lacrymalis hydrops* cum *D. Anelio* vocatur. Hinc compresso tali tumore humor contentus, non ut debet, in nares, sed per puncta tantum lacrymalia in oculum exit.

Art. 2148. Si Epiphoræ causa a punctorum lacrymalium obstructione veniat, nulla fere curationis spes reliqua est, nisi ubi tenuis cuticula, ut aliquando fit, eadem puncta obtexerit, quo casu longe optimum erit, cuticulam istam tenui quadam acicula providissime perforare, deinde in foraminula ista setam suilla sive filum tenue argenteum oleo ovorum inunctum sæpe demittere, donec ipsorum ora satis indurata, novæque glutinationi non amplius obnoxia reperiantur. Quodsi naturaliter apertis existentibus prædictis punctis, solus ductus nasalis obstructus sit, & glutinosa materia nondum nimis inveterata aut indurata tunc resolventia medicamenta subinde per dies singulos ægro supino in canthum oculi majorem instillanda; tum exprimendus quoque diligenter est digito lacrymalis saccus, ne qua forte inibi hærentes diutius humores acrimoniam aliquam contrahant, vias lacrymales erodant, & fistulam lacrymalem sensim denique excitent. *Curatio ubi puncta lacrymalia obstructa sint.*

Art. 2149. Ad resolventia quidem medicamenta ista referri præcipue merentur: essentia aloes, cum aqua ophthalmica parata, vel essentia e felle piscis mustellæ eodem fere modo parata, vel infusum tepidum herbæ hyssopi, aut vero- *Curatio si ductus nasalis obstructus.*

veronicæ, vel aquæ minerales VVisbadenses, nempe, Carolinæ, Ensenses, Selterenses, Seidlicenses, aliæve similes, vel aqua ophthalmica quæcumque, cum admixta salis mineralis ex fontibus ejusmodi confecti portiuncula. Præter hæc interdum naribus attrahi debet pulvis errhinus lenior ex majorana, liliis convallium, maro vero, similibusve aliis herbis præparatus; vel & spiritus Cornu cervi, vel salis armoniaci.

Nova Methodus Anelii. *Art.* 2150. His parum proficientibus nova Anelii curandi ratio juvabit, per specillum aliquod argenteum tenue per punctum lacrymale superius immissum, quod per sacculum, ductumque nasalem ad nares usque, manu strenua & stabili, mane & vespere quotidie demittitur, & paulo post siphunculo sive syringa tenuissima per punctum lacrymale inferius memoratorum liquorum medicatorum portiuncula injicitur, ut hac ratione viæ lacrymales probe expurgentur, ne tali pacto aperta via ad nares usque rursus præcludatur. Si hoc diu continuatur, malum sæpe sic tollitur; sin vero his non cedit in veram fistulam lacrymale degenerare solet, & ut talis tractanda postea est.

Epiphora incurabilis. *Art.* 2151. Tandem ubi e carunculæ lacrymalis defectu vitium istud suboritur, omnis curatio est frustanea, quia hæc restitui nequit.

Farrago sententiarum.

Art. 2152. Epiphora antiqua, & quæ senibus accidit, difficulter curatur, imo frequenter in *fistulam lacrymalem* degenerat. Remedia in principio debent esse blande *astringentia* & postea *siccantia*; *lapis calaminaris* est singularis. *Aq. ophthalmica præstans.* Aqua ophthalmica sequens ex *Hoffmanno* valet fere in omibus oculorum affectibus usque ad miraculum

lum ℞. *Vin. rhenan. Aq. plantag. rosar. ana* ℥iij. *tut. præp.* ʒij. *myrrh. elect. pulv.* ʒiß. coq. ad tertiæ partis consumptionem sub finem in nodul. suspend. pulv. *virid. æris* ℈j. *camphor. gr.* viij. colatura sine expressione fit pro usu; utilissima quoque est *aq. saphirina*, item *collyrium certum*.

Art. 2153. Huc pertinet, si non idem sit, Rheuma sive *fluxus Oculi*, *vel delacrymatio*, quod est serosorum, vel tenuium humorum ab oculo profluvium, sine insigni inflammatione; a *Fistula lacrymali*, *vel ab ungula* male curata quandoque oritur, tunc prorsus incurabilis existit; vulgo vocatur *a Vveeping Eye*. *Rheuma oculi.*

Proptosis.

Art. 2154. Proptosis est exitus oculi fere ex orbita, ex contusione, &c. vid. contusionem Oculi & Vulnera *Art.* 1052. 1073. huc referri potest bubulophthalmia, magnus oculus, sive oculi valde prominentes, vulgo *Gogle Eyes*, a naturali conformatione oriundi. Quomodo ab alio morbo eodem nomine insignito differt. (vid. *Art.* 2102.) *Proptosis.*

Platneri sententia.

Art. 2155. Ubi autem inflammatio etiam interiores oculi membranas, & præcipue choroideam occupat, phlegmone nomen est. Hoc malum pejus est ceteris Ophthalmiis; caput calet, & dolor est fere intolerabilis cum febre, nocturna vigilia, & delirio. Hæc ingens inflammatio, maxime si a subita causa orta sit, sæpe tanto impetu erumpit ut oculos e sua sede propellat: id quod quia oculi procidunt, *Proptosis* Græci appellant. *Hujusmodi Proptosis potentior causa.*

Ejus curatio. *Art.* 2156. Si Phlegmone hoc oculus teneatur, & symptomata urgeant, mature rapienda cum aliqua temeritate sunt auxilia. Expedit protinus sanguinem ex jugulari vena; & iterum ex talo; mittere; alvum ducere medicamentis idoneis; satis tamen valentibus; lotionibus etiam in alvum immissis; cucurbitulas occipitio; atque tergo; concisa etiam cute; admovere; pedes crebrius in calidam demittere, & fricare; palpebras vero iterum, atque iterum; & multum fricare; iisque vero imponere medicamenta discutientia; quæ adversus inflammationem sunt; & quæ diversis hujus temporibus accomodari debent; Si corpus plenum; laxumque est, cantharides etiam utiliter adhibentur; Sedulo oculi contra aera omnemque lumen custodiri debent. Sæpe tamen his omnibus averti nequit; quo minus oculus; orta suppuratione rumpatur.

Atrophia.

Atrophia. *Art.* 2157. Atrophia oculi, sive imminutio; profunditas vel macies oculi, est quando omnes oculi partes imminuuntur & contabescunt. Nusquam hunc morbum, ut memini, tanquam *particularem* inveni; nisi a tabe universali provenientem; *Celsus* vero & alii hunc agnoscunt; adeo infrequenter, ut opinor, contingit; ut peculiarem medelam vix postulet. ad hanc classem pertinet *Microphthalmos*, sive parvus oculus, *The Pink Eye or the Pig. Eye* a naturali conformatione ortus.

Mydriasis.

Mydriasis. *Art.* 2158. Mydriasis, sive *Pupillæ Dilatatio*; est cum foramen illud, quo uvea tunica ad species

cies visibiles admittendas donata est; ita præter naturam versus iridis circulum ampliatur, ut visio hac de causa lædatur. Objecta visibilia grandiora apparent, & minus distincta: alia est *nativa*, alia *adventitia*, prior est incurabilis; si à siccitate oriatur, humectantia indicantur. Interdum est *guttæ serenæ* prodromus.

Mejopis.

Art. 2159. Mejopis, sive *Pupillæ Angustiæ*, est malum præcedenti contrarium; nimirum cum pupilla angustior est quam naturaliter esse debet. Hi affectus insanabiles sunt. *Meiopis.*

Plege.

Art. 2160. Oculorum vulnera, sive à punctura, incisione, vel contusione sunt periculosissima. Omni arte fluxus humorum inhibendus est; *viz.* venæ-sectione, hirudinibus, clysmatibus, vesicantibus, intercipientibus, *&c.* & febris supprimenda testaceis, emulsionibus, *&c.* Interim remedia externa sunt ante omnia *Sanguis columbinus è vivo animali in oculum vulneratum instillatus, aq. hordei & mel rosar. pro collyrio, oxyrrhodium* i. e. *acetum, in quo fol. rof. rubr. incocta fuerint cum albedine ovor. conquassat.* pro defensivo. Sequens cataplasma habet *Turner. Art. Chirurg. p.* 370. Vol. I. ♃. *Fol. rof. rubr. sambuc. ana* Mj. *coq. in q. s. lact. vaccin. colatur.* ℔ ſs. *add. mic. panis alb. q. s. ut reducatur lenta coctione ad debitam consistentiam sub finem addendo vitellum unius ovi cum tantillo croco minutim scisso, f. cataplasma* subtepide applicand. illinendo prius palpebram tumefactam cum *ung. sambucin.* consulatur author loco citato. *Plege.*

Heisteri sententia.

Palpebrarum vulnera quomodo curãda. Art. 2161. Palpebrarum cum superiorum, tum inferiorum vulnera paulo graviora difficulter admodum glutinantur: idque non propter insignem modo partium ipsarum tenuitatem, sed vel maxime propter largiores istos, quibus oculi continuo humectantur liquores. Quo igitur felicius tractari eadem possint, foveri decocto quodam ex chamomilla, hyssopo, vel Euphrasia confecto tantisper oculus debet, donec & sanguis conquieverit, & expurgari diligenter ipsum vulnus transversim acu tenui in medio sui protinus debet, inspers o dein pulvere ex sarcocolla, vel ex symphit. radice, grummi tragacanth. ac gummi Arab. præparato, illito etiam balsamo Copaivæ, de meccha, vel simili quodam alio; vel etiam ovotum oleo, supra dato diapalmæ emplastro deligatisque oculis, ut pro faciliori glutinatione, moveri nequeant. Ubi vero secundum longitudinem, & quasi directum palpebrarum vulnus est, suturis frequentioribus glutinare illud ipsum oportet, eodemque prorsus modo tractari, quem antea delineavimus.

Oculorũ vulnera quomodo curãda. Art. 2162. Quodsi oculus ipse, sed ita tamen vulneratus est, ut tumoris vitrei crystallinique nihil adhuc dum effluxerit, potens utique ad vulneris sanationem remedium esse consuevit, si unguentum alabastrinum, aut albumen ovi, aut mucilago seminum cydonior. & psylii aq. rosarum parata, bis aut ter quotidie plumulæ, vel penicilli subsidio illinitur, semperque dein spleniolum aliquod minutum, in subsequenti collyrio, probe prius agitato, tinctum ad contrahendas vulneris oras, firmiter supra deligatur.
℞. Album. ovor. num. ij. Aq. rosar. ℥ij. sem. ol. rosar.

far. unc. sem. Camphor. gr. iij. M. probe conquassando.

Art. 2163. Simul atque vero humores, vitreus nimirum, & crystallinus, prolapsi penitus ex oculo reperiuntur, sane vix, ac ne vix quidem abesse potest, quin & oculi figura, & visio protinus destruantur. Itaque principio splenia in vino, sive spiritu vini calido tincta, postea vero balsamum vulnerarium supra deligare convenit, quo scilicet glutinari vultus, atque ad evitandam visus deformitatem pro naturali artificialis vitreus, vel argenteus oculus insinuari queat. *Ubi penitus prolapsi sunt humores.*

Art. 2164. Sed fieri tamen quandoque solet, ut, quoties non nisi tunica albuginea, & sclerotica levius percussæ sunt, tunica cornea atque uvea integris persistentibus oculus, effusis licet humoribus pristinis, cum vitreo tum crystallino, denuo tamen a succrescentibus novis humoribus repleatur, ipsaque proinde visio restituatur. *Visus tamen subinde restituitur.*

Elcos.

Art. 2165. Ulcera in tunica conjunctiva vel cornea, a quacunque causa oriatur, a vulnere, inflammatione, a variolis vel combustionibus, &c. periculosa sunt, & aliquando curatu difficilia, & semper metuendum, ne opacam cicatricem post se rilinquant. *Elcos.*

Art. 2166. Quoad curam, materia ad oculum fluens divertenda est & evacuanda, sordes detergendæ, dolor, si adsit, mitigandus, & nativa oculi temperies restituenda, & conservanda. Detergentia & exsiccantia sunt usurpanda, lenia tamen & temperata, sine asperitate & mordacitate. Ad ulcera detergenda (inflammatione, si adsit, prius penitus sublata) vix datur præstantius remedium quam *aq. ophthalmica sapphirin.* *Curatio.*

Bat. & deinde *collyrium ex sarcocol.* in cap. de ophthalmia laudatum, & postremo *collyr. tum trochisc. alb. rhas. cum camphora, sacchar. saturn. vel lap. calamin. præp.* &c. oleum ovorum valde commendatur.

Species variæ. *Art.* 2167. D. *Banister* a priscis medicinæ scriptoribus octo vel decem species ulcerum in oculo accidentium enumeravit, ut *ulcus rotundum, inustum, sordidum, depascens, cancrosum,* &c. Sed distinctio nimis subtilis videtur. Verum enimvero notatu dignum est ulcus illud, quod *Græci Peribrosin* nominant in Angulo oculi cum pruritu vix tolerabili conjunctum sequenti medicamento ab authore valde comprobato sanari. ℞. *Mucilag. sem. cydon. lin. in aq. plantag. & parietar. extract. ana* ℥j. *vitriol. alb. in aq. rosar. solut.* ʒß. *vitriolum album est antidotus ad pruriginem.*

Covvardi sententia.

Prognosis, & curatio ulcerum ocularium. *Art.* 2168. Omnia oculorum ulcera sunt periculosa, & curatu difficillima. Totus curandi cardo in usu *detergentium & exsiccantium* vertitur, quibus tamen sæpissime addi debent *lenientia* sive *anodyna*. Non differt horum ulcerum ab aliorum curatione methodus tractandi, nisi quod ob teneritudinem, & insignem partium usum cura non vulgari suscipienda sint. Porro his in casibus conveniunt *agglutinantia* cum *detergentibus* mixta; inter quæ liquorem ex ovo cocto, & indurato sacchari cand. q. s. repleto in cella vinaria extillantem maxime commendat *Riverius*; quod medicamentum, si magis *abstersivum* desideres, addito *myrrhæ pulverisatæ* pauculo saccharo cand. supra præscripto, magis proficuum reddetur.

Pa-

Paralysis.

Art. 2169. Paralysis oculi est affectus musculorum ocularium paralyticus, ex quo motus vel penitus amittitur vel multum impeditur. Est malum, uti credo, rarissime contingens; utcunque nihil habet in se peculiare a paralysi aliarum partium diversum quoad theoricam vel therapiam. *Paralysis.*

Strabismus.

Art. 2170. Strabismus seu strabositas est oculorum distortio, sive *obtutus transversus*, vulgo *a Squinting.* Ex inæquali musculorum ocularium exercitio provenit. Infantes hunc affectum facile contrahunt; interdum ob incuriam nutricum, quæ malo situ ad fenestram cunabulum disponunt. Adolescentes quoque interdum in eum incidunt, vel a vitiosa oculorum praxi, vel a contagione, dum alios hoc morbo affectos intuentur. *Strabismus.*

Art. 2171. Strabismus difficillime curatur; si a cunabulis perperam versus fenestram locatis ortum duxerit, mutanda est horum situatio. *Paulus Ægineta* ad hoc vitium emendandum larvam machinatus est, & faciei adaptavit, ita ut per duo foramina recta tantum antrorsum liceret prospicere. Ego ad adolescentulum quendam generosum strabismo affectum accersitus, statim ac intellexi unum tantum oculum affici, consului, ut *sanus subligaculis probe claudatur* per duas septimanas, quo facto alter oculus omnimodorum motuum liberrimus protinus integre sanatus est, & in futurum cum altero motus sociales recte servavit, & nunc elapsis aliquot annis sine recidivatione juvenem eleganti forma præditum in bonum virum evasurum fore spero. *Curatio.*

Enchanthis.

Encanthis. *Art.* 2172. Ex curatione unguis vitia nascuntur, quæ ab aliis quoque causis oriri solent. Interdum fit in Angulo parum ungue exciso, vel aliter, tuberculum, quod palpebras parum diduci patitur: ἐγκανθὶς græce nominatur. Excipi Hamulo, & circumcidi debet: hic quoque diligenter temperata manu, ne quid ex ipso Angulo abscindatur. Tum exiguum linamentum respergendum est vel cadmia, atramento sutorio, *&c. Celsus*.

Curatio. *Art.* 2173. „ Encanthis est excrescentia carnosa in majori oculi angulo carunculæ lacrymali „ adhærens; si mollis & laxa fuerit, *Alumine* „ *usto & sacchars cand.* deleri potest; sin vero „ tumor sit durior, & grandis filo per medium „ trasmisso detinendus est, & forcipe abscindendus, & vulnus tinctura myrrhæ, & melle rosaceo fovendum. " *Kennedy*. „ In operatione „ suscipienda cavendum est, ne *glandula lacrymalis* nimium lædatur, exinde enim fluxus „ oculi perpetuus continuo in genam depluens supervenire solet, quemadmodum in fistula lacrymali male curata plerumque accidit. " (Vid. *Art.* 2153.)

Heisteri sententia.

Encanthis diagnosis. *Art.* 2174. Nonnunquam in angulo sive cantho majori tuberculum aliquod nascitur, idque vel a caruncula lacrymali, vel etiam e cuticula rubida lunata carunculæ propinqua. Quandoque ita mirifice tumor iste increscit, ut non puncta solum lacrymalia, sed maximam quoque pupillæ partem contegat. Quod ubi fit, lacrymæ continuo

tinuo super genas profluunt, ipsaque visio cum insigni deformitate atque oculorum inflammatione graviter impeditur. *Enchantis* graece nominatur. Cujus bina fere genera sunt: Namque mitior esse enchantis reputatur, quae sine duritie, & doloribus est; pertinacior autem, atque maligna, quae cum doloribus livet, atque ad ipsum cancrum quodammodo spectat.

Ejus curatio Pharmaceutica.

Art. 2175. Si qua forte mitior enchantis oculum tenet, principio egregie ut plurimum ad curationem frequens ejus scarificatio vel incisio, nec non lenia quaevis medicamenta rodentia proficiunt. Optimum vero medicamentum rodens, idemque lenissimum est pulvis ex quatuor sacchari Canariensis portionibus atque una vitrioli albi, sive aluminis usti parte quinta praeparatus. Namque is identidem, & quam providissime super tumorem istum respergitur, paulo post oculus aqua egelida diligenter eluitur, donec prorsus extirpatum esse vitium reperiatur. Quodsi hoc parum efficiat, lapide infernali subinde, sed quam cautissime, tangi potest. Ad tutiorem vero curationem fonticulis, setaceis, medicamentis denique alvum, & sanguinem expurgantibus opus est.

Chirurgica.

Art. 2176. Si nihil omnia haec, vel similia medicamenta proficiant, aut quae exedentia sunt minus tuta, ut in malignioribus sunt, videantur, tunc excipi hamulo, aut volsella tuberculum istud oportet, vel ubi grandius est, filo cum acu transmisso, atque in ansam sive annulum constricto diligenter sustineri, & providissime temperata manu circumcidi. Maxime etenim hic necessaria cautio est, ne quid forte vel ex ipso oculo, vel etiam e carnuncula lacrymali abscindatur, qua abscissa Epiphora difficilis consequeretur. Praestat igitur carnis alienae portiunculam in oculo

relin-

relinquere, quam nimium exſcindere. Si quid enim remanſit, illud omne poſtmodum, vel forficis, vel medicamenti rodentis adminiculo, magna cum moderatione poteſt removeri. Dempto hunc in modum tuberculo, ſiccantia, eademque glutinantia medicamenta, cujuſmodi eſt collyrium e tutia, mirrha, atque aloe confectum, tantiſper adhibenda ſunt, donec glutinatum vulnus deprehenditur.

Enchantis non curãda, niſi prophylacticè. *Art.* 2177. In enchantide pertinaciori, atque ad carcinoma ſeu cancrum jam vergente, ſatius utique eſt, colyriis, vel unguentis ſiccantibus, refrigerantibus, atque lenientibus uti, quam operatione vel medicamentis adurentibus.

Fiſtula Lacrymalis.

Covvardi ſententia.

Morbi nomina & deſcriptio. *Art.* 2178. Anchylops, Ægilops, & Fiſtula lacrymalis apud authores promiſcue uſurpantur; ægilops vero eſt tumor (vel potius ulcuſculum) carunculæ majoris ad internum oculi canthum; anchylops nominatur, cum adhuc nondum ſit ulceroſus; fiſtula lacrymalis proprie appellatur, quando ulcus ſinuoſum ibidem efformatur; compreſſionem digiti liquor e cantho ovi vitello ſimilis, & fœtorem emittens exſtillat; *Progreſſus.* humor corroſivus viam facit, aut invenit, unde meatus colatorii nimis patentes facti, perpetuo ſtillicidio vexantur; imo frequenter os *ethmoideum* pe- *& exitus.* netrat, erodit, & ad *cariem* miſerabilem deducit; in quo ſtatu non niſi *cauterio* actuali curabilis eſt, hujuſmodi fiſtula frequenter cancroſa evadit, & tunc *Riverius* monet remediis non eſſe attingendam.

Curatio. *Art.* 2179. Cura eſt totaliter chirurgica, niſi quod

quod intus dari possunt pauca *evacuantia* & remedia quædam humorum acrimoniam *destruentia*, præcipue *mercurialia*, & decoctum *e lignis*. In initio si anchylops adhuc sit, *repellentia* maxime proficua sunt, ut suppuratio præveniatur; huic usui inserviunt *refrigerantia*, *astringentia*, & *vitriolica*: Si vero nec refrigerantibus repelli nec resolventibus discuti poterit, quin ad suppurationem vergat, aperiendus est abscessus, & *detergentibus*, *consolidantibus*, ac *cicatrizantibus* secundum artem tractandus. Alii sunt, qui curam ægilopis moliuntur *instrumento chirurgico*, per os nasi tramitem perforando, quo liquor perpetuo extillans per nasum evacuatur. „ Sed graviter errant, qui existimant *perforationem* hoc „ commodum præstare, ut materia per os effluat; foramen enim ossis a carne ex ipso pullulante brevi obstruetur. Os non est perforandum nisi præsente maxima ipsius corruptione, „ quæ perveniat usque ad cavitatem internam „ ipsius nasi; sola siquidem ejus superficie corrupta sat fuerit partem læsam scalpro abradere, euphorbium inspergere, &c. præmitti debet *setaceum*, quod tanti est momenti, ut inveteratam fistulam lachrymalem sine hoc præsidio vix curari posse in aliquibus observaverim „ *Hercules Saxon. & Hildanus*.

Anelii sententia.

Art. 2180. Ægroto in sedili adversa luce, quam aptissime constituto, diductaque per manum alterutram, quantum satis est, superiori palpebra, per ejus lacrymale punctum superius, quam mitissime fieri potest specillum satis tenue, e filo argenteo instar arcus quodammodo inflexum in saccum lacrymale altera demittatur. Hoc *Specilli Aneliani usus.*

ipsum

ipsum equidem eo promptius, atque commodius solet fieri, quo magis perspectam partium istarum figuram ac posituram ex anatomicorum doctionis Chirurgus habuerit. Tum eadem providentia versus nasum specillum insertum dirigitur: postea manubrium paulo elevatur, eoque alterum ejus extremum, quod in sacco lacrymali hæret, hinc inde motitando blande deorsum, ac versus nasum, certa quadam dexteritate compellitur, præclususque ductus nasalis sic quam solertissime rursus deoperitur. Longe autem deoperiri ductus ille consuevit, sicubi non nisi per materiam, aut humorem aliquem glutinosum obturatus, quam si plane coalitus, ceu fieri in fistulis inveteratis solet, idem advertitur. Namque hic major ut plurimum in premendo adhibenda violentia est, ita ut acutum, sed tamen non adeo gravem, aut intolerabilem dolorem ægrotantes sentiant, sanguinisque etiam tunc aliquid e naribus exeat. Ne qua forte autem ductus iste lacrymalis recens apertus denuo præcludatur, necessarium utique visum est Auctori non solum aliquoties quotidie, nempe circa matutinum semper, & vespertinum tempus, atque pro re nata, sæpius etiam per idoneum syphunculum aptum injicere liquorem; sed simul quoque dictum illud curationis negotium repetere, donec nihil amplius puris per puncta lacrymalia revertatur, unde ulcus mundatum, ac pristinæ integritati ductus iste nasalis restitutus esse deprehenditur.

Syringa Anelianus. *Art.* 2181. Hoc ergo injectionis artificium parva fit syringa sive syphunculo ab ipso Anelio excogitato, vel quovis alio simili. Hujus enim pars anterior, sive tubulus tenuis setam suillam circiter crassitudine adæquans in inferioris palpebræ, ut minus mobilis, punctum la-

cry-

crymalem curiose inseritur, contentumque in ipsa purgans atque sanans collyrium in saccum lacrymalem diligenter injicitur, quod ejusmodi est. ℞. Essent. Aloes cum aqua ophthalmica parata, vel essent, e mustellæ piscis felle eodem fere modo parata, vel infusum tepidum Veronicæ, hyssopi, aut Aq. minerales abstersivæ &c. atque id ipsum repetitis vicibus instituitur, quo scilicet accuratius, & sordes eluantur, & ductus lacrymalis novus apertus servetur.

Art. 2182. Geminum hoc curationis negotium tantisper in dies singulos continuandum est, donec 1. sine specillo argenteo immisso, & quasi sponte sua liquor prædicta ratione injectus ad nares penetret; 2. pituitæ vero purulentæ nihil quicquam amplius nec sponte sua, nec post compressum digitis sacculum, e cantho oculi majori prodeat. Tum enim feliciter confecta esse operatio conjicitur, quamquam in aliis citius, in aliis tardius absolvi curationis negotium consuevit. Nunc enim post quartum, octavum, decimum quartum, aut vigesimum diem fistulæ non adeo mali moris sanescunt; nunc magis amplum temporis spatium ad sanationem impendendum est. Interim nulla fere tam pertinax lacrymalis fistula deprehenditur, quæ extirpari hac ratione non possit dummodo caries & callus absit. *Quid faciendum postea.*

Art. 2183. Quoties fistula lacrymalis perfecta adest, ubi scilicet cutis externa simul erosa est, longe utique facilius aperiri ductus nasalis præclusus poterit. Neque enim hic per punctum lacrymale, sed longe commodius per ipsam fistulam externam per ductum nasalem recta deorsum transadigi in nares specillum illud parvum argenteum potest, & quidem crassiori extremo insignitum. Imo aliquando ad ductum nasa- *Fistula patens quomodo curanda.*

nasalem obstructum reserandum in hujusmodi malo specillum adhuc ubique crassius confert. Cætera pro mundando ulcere eadem facienda sunt, quæ hactenus proposuimus: præterquam quod loco turundæ e linamentis, turunda plumbea aut cerea adhiberi aptius possit, ductusque nasalis lapide infernali, conuli inversi figuram habente, alternis diebus cautissime tangendus sit, donec satis obdurata glutinationique non amplius opportuna ductus istius nasalis latera inveniantur, ubi postea apertura ulceris externa glutinatur, injectionibus pro canali nasali aperto servando aliquandiu adhuc continuatis.

Nota bene. *Art.* 2184. Quando demum in his casibus os unguis vitiatum est, tunc ulceris foramen ampliati caries auferri, vel os perforari debet.

Sicubi fistula lacrymalis sine ductus nasalis obstructione incidit, utique non tam specillo argenteo, quam potius frequentissima materiæ per injectum idoneum liquorem expurgatione opus est. Similiter ubi nimis relaxatus saccus advertitur confortantia in primis medicamenta, nec non instrumenta comprimentia admoveri debent.

Visus Hebetudo.

Covvardi sententia.

Hebetudo visus. *Art.* 2185. Hebetudo visus est caliginosus videndi modus, cum objecta visibilia nebula velut tenui obvoluta apparent; prius est hic status ingruentis mali pejoris, nisi præveniatur, prodromus; & *cataractam* aliquando ob incuriam patientis, aut inscitiam medici inductam præcurrit. *Unde.* A statu sanguinis viscido, & pituitoso oriri potest, vel a spirituum animalium penu-

fia,

nuria, vel ab humoris in oculo defectu, vel ex mala partium conformatione.

Art. 2186. Ad hanc oculorum hebetudinem discutiendam indicantur remedia; quæ sanguinis lentorem tollunt, & quæ spirituum animalium penuriæ occurrunt. Quandoque convenit *venæsectio*, & deinde *catharticum cum calomel.* exhibere. *Millepedes* inter specifica recensentur: *salia volatilia* & *deobstruentia* in sanguinis lentore mira præstant; salivationem per *masticatoria*, potius quam *tabaci* fumo, excitatam prodesse autumo; *cerevisia oxydorica pharmac. Bat.* propinari potest; *collyria vitriolata* & *astringentia* sunt vitanda; convenit *aqua ophthalmica sapphirina Bat.* In genere duæ regulæ ad visum utilissimæ, licet non usquequaque sufficientes statuantur. 1. Ut mane quolibet, nullo habito ad tempestatem respectu, *frigida* caput, tempora, & pone aures alluamus. 2. Ut à *calidis* & *piperatis eduliis*, nec non *potulentis spirituosis*, quantum fieri possit, abstineamus. *Curatio.* *Duæ regulæ ad visum prolongandū.*

Art. 2187. „ Euphrasia quoquo modo sumpta, seu in pulverem redacta, & cum vino albo pota, seu per se sola masticata & deglutita, seu in vino vel cerevisia infusa, seu in aqua ad modum theæ, seu succus ejus expressus, *videndi facultatem mirifice roborat & adauget, debilem aut amissam reparat & restituit. Arnoldus de villa nova & alii.* *Euphrasia vires.*

Gutta Serena.

Covvardi sententia.

Art. 2188. Gutta serena seu Amaurosis est visus abolitio, sine ullo sensibili vitio in oculis apparente, ab obstructione *nervi optici* orta, influxum spirituum animalium prohibente. *Definitio.*

Quæ

Quæ a causa quacunque subitanea exoritur facilius curatur, quam cui deplorabile illud infortunium obrepit. In vera amaurosi pupilla nigrior, & amplior solito apparet, sed non semper, & gravitas supercilia premit.

Curatio. *Art.* 2189. Quoad therapiam post universalia (ubi indicantur) medicamentis *volatilibus*, *antiscorbuticis*, *chalybeatis*, *mercurialibus*, *cephalicis*, & *nervinis* cura tentanda est; vix aliquid sperandum est a *topicis*; si aliquibus utamur, debent esse *discutientia*.

Pitcarnii sententia.

Signum pathagnomonicum. *Art.* 2190. Si nullis ophthalmiæ signis apparentibus, muscæ aut araneæ, & similia oculis abversari videntur, signum est *pathognomonicum* guttæ serenæ nascentis.

Art. 2191. Curatio hujus affectus medicamentis *mercurialibus* tentanda est, imo *salivatione*, & decocto *guajaci*.

Curatio. *Art.* 2192. „ Tutiora sunt *purgantia* (inquit „ *Ettmullerus*) quam *vomitoria*; conveniunt *su-* „ *dorifera*, maxime *sassafras* & *euphrasia*, *junip.* „ *rosmarin*, *millepedes*, *masticatoria*, &c.

Platneri sententia.

Curatio Amaurosis ab hæmorrhagia vel concubitu. *Art.* 2193. Si Amaurosis post magnam sanguinis profusionem orta fuit, vel post concubitum, qui frequentior, vel numero, vel natura, ratione ætatis, & corporis, fuit, optima præsidia sunt, quæ a victus ratione petuntur. Dari debent jura carnium, in potu aqua, eaque, nisi aliud quid hoc impediat, paulo frigidior cum modico cibo; etiam prodest gelatina, & potio, quæ nucleis cacai paratur. Dari

potest

potest nitrum, quod in primis utile est, ubi arteriæ celeriores sunt. Proficiunt etiam lotiones ex lactis sero, & nitro, si frigidiusculæ in alvum immittuntur. Aliena sint medicamenta adstringentia, si ore sumuntur. Nam ad sistendum sanguinis profluvium parum valent, & non raro, si imbecillis dantur, visceribus labem afferunt. Quandoque etiam averti potest sanguis alia parte ex vulnere erumpens, si, alia incisa vena, emittitur. Circumcidenda est omnis negotiosa actio, omnisque cura. Æger conquiescere debet in conclavi obscuro, & quod clausis fenestris ab omni strepitu remotum est. Cæterum magis tutum est, si adversa parte cucurbitula admovetur, & illuc sanguinis cursus revocatur. Post venerem, & post sanguinis profluvium, si verendum non est, ne sanguis iterum erumpat, dari potest etiam vinum meracius. Extrinsecus caput, & hujus suturæ, omne etiam corpus, linteis asperioribus assidue, & frequente perfricari debent. Proficiunt etiam Thermæ vel naturales, vel arte compositæ, si ex alto in caput destillant.

Interdum iis, qui ex hac imbecillitate caligare solent, nulla pituita ex naribus fertur. His proficit, si subinde vapor aquæ calidæ, ex qua etiam herba majorana commode coquitur, naribus subjicitur. Tenacior pituita sternutamentis alidi debet.

Art. 2194. At enim si id ex malis ulceribus, si herpes, porrigo, scabies, aliaque ulcerum genera, extrinsecus admotis reprimentibus prohibita fuere, proficere possunt curationes, quibus humida purgantur, & sudor etiam evocatur. Alii qui ex morbo venereo lumen amiserant, illud receperunt concitato per mercurium salivæ profluvio. Hoc fieri potest, si ossa in posteriori or- *Si a retropulsis cutaneis affectionibus.*

bitæ parte, vel horum membrana, ex vitio intus orto, intumuerunt; quod vitium illa curatione dissipatur.

Ex superciliorum læsione. *Art.* 2195. Hippocrates dixit, ex vulneribus, quæ superciliis inferuntur, lumen amitti. Et Valsalva aliquando mederi potuit oculo, qui a rostro galli Indici, eo loco percussus, & protinus occœcatus fuerat. Perfricuit supercilium ea parte, ubi ex orbita nervus, qui ramus apris ophthalmici est, educitur.

Myopia.

Myopia. *Art.* 2196. Myopia, sive luscitio, est propinqua visio, quam *nos Angli* vocamus *Purblindness*; a naturali conformatione oritur; qui autem oculos ita formatos habent, nunquam cœcutiunt, neque conspicillorum in extrema senectute indigent.

Presbytia.

Presbytia. *Art.* 2197. Presbytia est affectus myopiæ contrarius; e longinquo melior est visio, quam propinqua; senibus præcipue accidit, & est malum prorsus incurabile: conspicilli vero egregio sunt adjumento.

Nyctalopia.

Nyctalopia. *Art.* 2198. Nyctalopia est malum duplex, cujus species duæ sunt sibi invicem contrariæ. In prima specie visio noctu, vel in locis obscuris est præstantior, in clara luce valde diminuta & fere nulla. In altera specie nisi clara & splendida luce nihil omnino cernitur. Hæc sunt vitia a mala constructione oculi orta, ideoque incurabilia.

DE

DE NARIUM MORBIS.

Sydenhami sententia.

Art. 2199. Nonnullæ febres intercurrentibus annumerari debent, quæ vulgo pro symptomaticis tantum habentur; hujusmodi sunt hœmorrhagia narium & hæmoptoe. Primo ut plurimum appulsu febris præ se fert indicia, qua derepente sibi per nares, qua data porta, faciente viam; dolor & calor sinciput adhuc torquent; sanguis per vices profluit, dein aliquandiu sistitur, & mox denuo iterum atque iterum erumpit; donec tandem remediorum usu vel sponte omnino cessat, ita tamen ut ægro singulis annis a recidiva metuendum sit. *Hæmorrhagia narium & hæmoptoe interdũ a febre pendent.*

Art. 2200. Sanguinis fervorem nimium atque ebullitionem ut compescamus, convenit *venæsectio* (sanguis eductus est pleuriticorum similis) item *victus tenuis ac incrassans* imperandus est; quotidie injiciendum est *enema refrigerans*, & dosis *diacodii* hora somni exhibenda est. Quoad externas applicationes, lintea quadruplicata immersa *aquæ frigidæ*, in qua *sal prunellæ* dissolvatur, & postea leviter expressa admoveantur nuchæ, ac utrinque cervici sæpius in die. Item post universas evacuationes peractas liquor sequens applicetur; ℞. *Vitriol. hungar. alum.* ana ℥j. *phlegmat. vitriol.* ℔ß. coque tamdiu, donec omnia fuerint dissoluta, liquorem frigefactum filtra, & add. *ol. vitriol.* partem duodecimam; turunda ex linteo raso liquore hoc probe humectata nari, ex qua sanguis stillat, indatur per dies duos isthic relinquenda. *Curatio.*

Art. 2201. „ Quando hæmorragia narium a „ *febre* pendeat, *cortice peruviano* profligari po- *Cortex peruv.*

 „ test,

„ teſt , æque ac hæmoptoe , de qua alibi . (1154.)

Nota bene. *Art.* 2202. „ Opinione vulgari hæmorrhagias „ ordinario ex arteriolarum evaneſcentium ru„ ptura accidere ſtatutum eſt ; Sed in errore ma„ gnopere verſantur : in omni etenim *critica ſal„ tem hæmorhagia* ſive narium , ſive partium cir„ ca fauces & guttur , ſive pulmonum , ſive re„ num , ſive hæmorrhoidum , ſive uteri , ſangui„ nis fluxus *mediantibus glandulis* omnino fit , „ *per ductus ſcilicet excretorios* ſanguis exilit , „ quod probe notandum eſt.

Ettmulleri ſententia.

Quinam hæmorrhagiis obnoxii ſunt. *Art.* 2203. Quidam hypochondriaci , ſcorbutici & cachectici variis , & ſtupendis hæmorrhagiis obnoxii ſunt , ita ut ſanguis non unciatim , ſed libratim effluat.

Curatio. *Art.* 2204. In nimia effervеſcentia & ſanguinis fervore conveniunt *blanda acida* , item ſuccus *menth. urtic.* &c. *martialia* pluribus ſcopis in curandis hœmorrhagiis ſatisfaciunt : *martialia* etenim per ſe ſemper aſtringunt , per accidens aperiunt , ut obſervare licet in menſibus nimis fluentibus & obſtructis . Ipſe novi exempla infantum & adultorum etiam frequenter hæmorrhagiis narium obnoxiorum ſolo eſu *paſſularum* curatorum . In hæmorrhagia *habituali* ſequens *Hæmorrhagia habitualis.* electuar. eſt proficuum ; ♃. *Pulp. paſſular.* ℔ß. *pulv. rhabarb.* ʒij. *tart. vitriolat.* ℥j. *ſyr. cydon.* q. ſ. m. (Materia medica in hæmorrhagia late patet, ſequeutia ſimplicia ſunt inſigniora) *folia plantaginis* , *urtic. millefol. heder. terreſt. polygon. flor. roſ. rub. balauſt. cort. granat. rad. ſymphyt. maj. biſtort. tormentil. muſcus terreſt. gallæ* , *ſem. hyoſcyam. paverina* , (*catechu*) *uſnea cran. human. gum arab. ſang.*

sang. dracon. lapid. hæmatit. tinct. mart. facchar. saturn. stercus asininum aut *suillum* & *caninum*. Externe *bufo sicc. stercus porcinum recens excretum. bol. armen. pilul. leporin. crepitus lupi*, *alumen* &c.

Farrage sententiarum.

Art. 2205. Phlebotomia ad revellendum ampliori foramine celebrari debet, & ut magis confertim sanguis effluat, inter detrahendum eundem multum prodest, vulnus sæpius digito occludere, dein aliquantulum sanguinis emittere. *Aliquid notandum in V. S.*

Art. 2206. Deligatio artuum hæmorrhagiæ sistendæ conducit; notandum est tamen artus omnes simul non diu ligandos esse, quoniam sanguis in extremis diu detentus, & a corde nimis exulans lipothymias terribiles inducit. *Album græcum* in omnibus hæmorrhagiis est medicamentum singulare; *spiritus vitriol-* vel *ejusdem ol. in aq. simpl. instillat.* in hæmorrhagiis periculosis est extremum remedium & raro fallax. *Deligatio artuum.*

Art. 2207. Reliqua melioris notæ sunt *calcanthum rubefactum*, *colophonium pulverisatum*, *stypticum regis*, *ol. terebinth. decoct. catechu*, *decoct. incrassans*, *decoct. styptic. elect.* Boyleanum, *pulvis Galeni*, *elect. styptic. tinctura rosar. epithema de sacchar. saturni* in casu deploratissimo moribundi post omnia tentata feliciter expertus sum. *Remedia varia.*

Olfactus amissus.

Ettmulleri sententia.

Art. 2208. Olfactus amissus rarissime recuperatur, præcipue in senibus. Præ reliquis mul- *Olfactus amissus raro curatur.*

tum confert *majorana* quoquo modo usurpata, item *rosmarinus*, suffitus ex *succino. gum. animæ*, &c. quæ valent in *catarrho* hic locum habent. (1088.)

Riverii sententia.

Ejus prognosis. *Art.* 2209. Olfactus læsio recens, & a simplici coryza genita facile curatur: inveterata vero & a confirmata intemperie proveniens difficile, quæ ex mala narium conformatione procedit incurabilis est.

Curatio. *Art.* 2210. Curatio pro diversitate causarum diverso modo instituenda est. Si a frigida intemperie oriatur cum materia pituitosa, ea remedia illi adhibenda sunt, quæ ad frigidum catarrhum faciunt. Ad obstructionem vero ab eadem pituita ductibus narium, aut processibus mammillaribus impacta auferendam, remedia partes illas expurgantia usurpanda sunt: errhina, nimirum, sternutatoria, & apophlegmatismi. Si denique a sarcomate, aut polypo nares obstruantur ex subsequentibus eorum curatio erit desumenda.

Tozzi sententia.

Comparatio inter gustum & olfactũ. *Art.* 2211. Convenit olfactus cum gustatu, siquidem Coryza laborantes gustu deficiuntur, sicut olfactu, quia rheuma æque consentientes nervos afficit. Differunt vero: quia gustus æget humido, quo sapida diluantur, & facilius poros linguæ subeant; olfactus autem tenuibus, levibusque halitibus afficitur, siquidem promptius ad processus mamillares penetrant; quamobrem odora igni exposita, contrectata, vel contusa abundantius olent, tenuibus partibus a crassioribus extricatis; & sapida, lingua suo rore destituta, vix degustantur.

Art.

Art. 2212. Observat autem Jonstonus in hoc vitio errhinis nimium non esse agendum; sed potius sternutatoriis juvare, & quando pituita indurata pro causa est, radicem gentianæ naribus convenienter insertam opitulari, item castoreum aceto immersum & odoratum. Prosunt etiam ol. nigellæ & Errhinum Zacuti Lusitani. *Remedia varia.*

Ozœna.

Ettmulleri sententia.

Art. 2213. Ozæna est ulcus sordidum in naribus latens, frequenter est venereum, interdum cancrosum evadit. *Ozæna.*

Art. 2217. Ad curationem conveniunt folia, & unguentum e *nicotiana*; si crusta adfuerit, cum *oleo amygd. dulc.* removenda est; interdum usurpantur fumi ex *cinnabar.* & *mercur. dulc.* in injectionibus, imo nonnunquam *mercurius sublimat.* Galli utuntur *mercur. præcip.* *cum unguent. rof.* subact. & cum turundis applicato. *Curatio.*

Barbette sententia.

Art. 2215. Narium ulcera plerumque odorem fœtidum spirant, qua de causa Ozænæ appellantur. Originem trahunt ex humore acri, bilioso, salso, vel maligno qui aliquando ossa, præsertim cartilaginem corrodit, & nasum fœda depressione deformat. Difficillime curantur, & subinde nos jubent totius corporis rationem habere. Ad minimum caput purgatione, corroboratione, & mediocri exsiccatione indiget. *Ozæna descriptio.*

Art. 2216. Externa medicamenta abstergentia sint, & ob loci humiditatem, aliquando exsiccantia. Succus Sclaræ melli rosaceo mixtus val- *Curatio.*

de laudatur. ♃. *Pom. granat. dissect. num.* j. *Litharg. aurei* ℈ij. *Minii* ʒj. *Alum. ust.* ℈j. *Mercur. dulc.* ʒ. *sem. sacch. alb. unc.* j. *Vin. alb. Gallic. unc.* ij. *ebull. par. & Colatura servetur usui*. ♃. *Plumb. ust. Cerussæ lotæ Tutiæ præp. Lithargyr. ana* ʒij. *Cort. Thuris* j. *Mirrh. Aristoloch. rotund. Mercur dulc. ana* ʒ. *sem. Unguent. Fœlic. VVurtz.* ʒiij. *Unguent. alb. camphor. q. s. m. f. linimentum.*

Suffitus pulveris sequentis prunæ impositi præstantissimus est, modo caute, & nonnisi semel, aut ad summum bis de die, usurpetur, ne salivatio excitetur, quæ tamen ulcus ipsum curabit. Nucis avellanæ quantitas pro dosi sufficit. ♃. *Bezoes Sandarach. Mastic. Thur. Storacis ana* ʒj. *Cinnab. factit. unc. sem. m. f. pulv. pro suffimento.*

Junckeri sententia.

Ozæna duplex. *Art.* 2217. Ozœna dividitur in simplicem & putridam. Simplex a corruptis serosis humoribus oritur, & levem tantum exulcerationem offert exiguo dolore stipatam, & post impetum emunctionis crustulam nigram exhibet. Hæc quidem vi denominationis Ozœna non esset vocanda, verba autem usu recepta valent, ut nummi. Ad hanc pertinet causam coryza acris habitualis a pulveris sternutatorii acrioris abusu. Putrida ozœna ut plurimum a lue venerea dependet, nonnumquam a scorbuto, vel ab Elephantiasi; & insignes dolore cum materiæ graveolentis excretione affert. Concurrit hic facile caries, vel si omnino illa nondum adsit, profunda tamen fieri solet ulceratio, ut ad ossa maxillaria, aut sinus cranii sese extendat.

Prognosis. *Art.* 2218. Difficilis ad ulceratam hanc regionem accessus, difficilem reddit exsiccationem & mundificationem, quare contumax malum

est,

est, & si a lue venerea, scorbuto, vel elephantiasi dependeat, prius non potest curari, quam morbi hi primarii sublati fuerint.

Art. 2219. Salivatio mercurialis in ulcere narium, licet causa venerea subsit, non facile est admittenda. Partes enim in hac regione per eamdem magis relaxantur, & ulcus per majorem affluxum, stasin, & corruptionem exacerbatur. Rondeletius ad exsiccationem hujus ulceris admodum laudat suffumigium ob profundam penetrationem ex auripigmento, & antimonio additis odoratis e. gr. benzoe, myrrha &c. e quibus fuligo excitatur, & ulcera siccantur. *Salivatio haud satis tuta.*

Art. 2220. Drakius in anatomia sua observavit, quod ozœnæ species detur, quæ unice sedem suam in sinu quodam maxillari habeat, quæque dignoscatur copiosiore proventu materiæ, si æger in latus sanum recumbat. Ad hanc ozœnam curandam secundum dentem maxillarem evellere, & deinde alveolum, nisi jam arrosione perforatus sit, ad sinum usque maxillarem pertundere commendat, ut postea ulcus per hanc aperturam sanari possit. *Nova ozœnæ species a Drakio Anglo descripta & curata.*

Art. 2221. De cannula nari immittenda, ad ulcus ferro candente cannulæ immisso exsiccandum, videantur Petri Dionis operationes chirurgicæ.

Polypus narium

Ettmulleri sententia.

Art. 2222. Polypus narium est sarcoma seu excrescentia carnosa in naribus ex earum summitate pronascens, & nasum nunc replens, nunc in fauces usque descendens, a *polypo pisce* nomen accepit, nunc mollis est, & lubrica, nunc una, nunc pluribus radiculis se affigit. Excre- *Polypus narium.*

scentia

ſcentia hæc nunc alba, nunc rubra, nunc livida apparet, ſi liveſcit, & dolet, fere cancroſam naturam ſapit, & non attingendus eſt polypus cancroſus. Polypus narium eſt malum curatu ad-

Raro curatur. modum difficile. „ *Rhaſis* polypum *hæmorrhoides* „ *narium* appellat ob ſimilitudinem. De ejuſdem „ extirpatione videantur ſcriptores chirurgici. „ Si in ulcus cancroſum degeneraverit, admittit „ curationem fictam, & fucatam, in hunc fi„nem unguentum ſequens eſt valde proficuum, „ ℞. *Unguent. de plumbo, ſucc. ſolan. ana* ℥j. *aq.* „ *roſ.* ℥ß. diutiſſime agitentur in mortario plum„beo & f. ung.

Art. 2223. „ Riverius diſtinguit inter *ſarcoma* „ *& polypum*, & quidem jure merito; Sarcoma „ (inquit) eſt excreſcentia carnea in partibus ge„nita, *hyperſarcoſi* ſimillima in imis narium „ partibus ſuccreſcens; Polypus vero in ſummis „ ac ſuperioribus juxta naſi radicem. Cura ten„tanda eſt: primo aſtringentibus lenioribus, & „ deinde medicamentis potentioribus, inter quæ „ eminet *mercurius præcipitat. rub. cum melle roſa*„*ceo permiſtus*; remedia adhuc *magis cauſtica* „ cum cautela uſurpanda ſunt, idque *decreſcen*„*te luna*, cum tumor imminuitur.

Platneri ſententia.

Prognoſis. *Art.* 2224. Polypus, qui, tenuibus radiculis inhærens, mollis, & ſine dolore eſt, cui nullum aliud vitium ſubeſt in homine cæteroquin ſano, tollitur. Qui vero ſcaber eſt, & durus, & dolet, is fere cancroſus eſſe ſolet, & attingi non debet. Si ex polypo, vel medicamentis, vel ſcalpello, curato, radicula relicta eſt, is renaſcitur. Si is ferramentis reſolvitur, ſanguis periculoſius quandoque erumpit, cujus profuſio hominem interimere poteſt.

Si tumor rotundus est, & a relaxata tunica ortus, adhuc mollis, nec ita magnus; expeditissimum est, illum scalpello incidere. Dum enim vulnus curatur, membrana illa cicatrice contrahitur.

Art. 2225. Medicamentis adurentibus non nisi illud genus curari potest, quod molle est. Nam id quod durum est, illorum usu carcinodes fieri consuevit. Admoveri possunt temperata tamen manu, & demisso per fistulam medicamento, lapis infernalis, butyrum antimonii, aliaque adurentia. Ea enim diligentia adhibenda est, ne medicamentum os, vel cartilaginem rodat, in quibus difficilis curatio esse solet. *Curatio polypi mollioris.*

Art. 2226. Sunt qui circa polypum nares emplastro contegunt, & radiculæ supremæ mediante penicillo admovent adurens medicamentum, quod, si hoc radiculam perrodit, etiam tumor inarescit. Ne illud medicamentum diffundatur, protinus calida eluenda naris est. *Methodus altera.*

Art. 2227. Ubi vero ferramentis utendum, homo in adverso sedili collocandus est loco lucido. Caput, quod in posteriora reclinandum est, ab ea parte minister continet. Chirurgus ferramento vel volsella, ad id idonea, per nares demissa, apprehendit tumorem a superiore parte, & ubi eum satis tenet, paulatim deducit, trahitque, ac permutatis digitorum vicibus, illum contorquet, ita ut, nulla propter festinationem vis adhibeatur, tandemque illum evellit. Si metus est, ne sanguis cum periculo erumpat, dividenda hæc curatio est, & tumor in dies magis ac magis trahendus. Si polypus post uvam hæret, volsella, qua is apprehenditur, esse debet oblonga, & quæ extremum incurvatum habet. Hæc enim per os demittitur. Sunt, qui, ut melius apprehendere possint polypum, prius inci- *Operatio Chirurgica.*

dunt

cidunt velum palati, quæ res vero facit, ut homo non recte deglutire possit. Ad id idoneum est scalpellum anceps linamentis involutum.

Ad sanguinis profluvium sistendum. *Art.* 2228. Sanguis, nisi cum periculo fluat, non tam celeriter sistendus est. Si vero metus est, ne homo vehementiori profluvio exhauriatur, cereus tenujor trajicitur per fauces in nares, qui linum trahit. Linum vero habet linamenta, seu pulvillos teretes contortos aliquantum inter se distantes, eique innexos. Cereus pretenditur, & adducitur filum, atque imis naribus adprimitur pulvillus prior, qui ex linamentis siccis puris esse solet. Si vero sanguis nondum conquiescit, alter pulvillus exprimi debet ex liquore ad sanguinem sistendum idoneo, qualis est alcohol, ut adducto magis lino, & priori etiam pulvillo, hic oris venarum sanguinem fundentium admoveatur. In nares etiam linamenta sicca, vel simili medicamento madentia conjici possunt. Sunt, qui oras venarum ferro candente per fistulam demisso adurere jubent, id quod & difficile, & minus tutum videtur. Ubi sanguis conquievit ulcus curandum est medicamentis, quæ locis nervosis idonea sunt. Optima est aqua vulneraria, cui parum essentiæ succini adjectum est.

Ad polypi radices absumendas. *Art.* 2229. Interdum non omnis tumor tolli potest, sed illo præciso ejus radix relinquenda est. Huic admovenda sunt medicamenta, quæ eam leniter exedunt, additis aliis, quæ digerunt. Hæc medicamenta illinuntur lino, quod multiplex, & ita tortum est, ut unitas in eo facta sit. Linum hoc etiam per nares trajicitur, & in ore relinquitur. Quotidie vero debet illud sic immutari, ut pars subeat, quæ medicamento illita est. In hac medendi ratione, quæ ardua, & tædii ac molestiarum plena est, tan-

diu

diu perseverandum, donec nihil ex tumore reliquum sit.

LINGUÆ VITIA.

Ettmulleri sententia.

Art. 2230. Gustus læsiones. In amisso gustu convenit *Raphanus* ante pastum masticatus, item *cephalica* & *nervina*. Sed gustus & adoratus vitia, si inveterata sint, sunt curatu difficilia, maxime in senibus. *Gustus lesiones.*

Art. 2231. Loquela amissa frequenter a linguæ *paralysi* accidit; curatur *aromaticis*; convenit decoctom *salviæ*, *eruc. sinap.* &c. in vino, item *rosmarinus*, *rad. pyreth. zinzib.* sed præ reliquis succus *salviæ*. *Aphoxia.*

Jonstoni sententia.

Art. 2232. Linguæ affectus sunt Tumor, Ranula, Nigrities, Paralysis, Balbuties, Aphonia, Gustus læsio.

Art. 2233. Tumor oritur, vel a causis externis, ut inunctione hydrargiri, esu fungorum venenatorum, &c. Tunc vitanda sunt purgantia; lingua decocto scabiosæ, & plantaginis, cum pauxillo Theriacæ, & mellis rosacei abluenda, vel oritur a causis internis, nempe affluxu materiæ calidioris: sanguinis nempe, aut bilis; & tum inflammatio plerumque excitatur. Si causa frigidior est, tunc lingua albicat, & multum pituitæ effluit; si venenata ut in lue venerea, ejus signa adsunt. Si causa corrupta, & cancrosa est, tunc malum fere incurabile est, & putredine ad radicem linguæ, vel sanguinis fluxu in lingua erosa accedente, tandem ægri moriuntur. Ad quoscumque conducit ol. vitriol. cum melle rosaceo inunctum, & venarum sub lingua sectio. *Linguæ tumor.*

Art.

Ranula. *Art.* 2234. Ranula eſt tumor ranæ formam referens; qui ſub lingua ex molli carne, cui lingua incumbit; cuique quaſi vinculo alligata eſt, nonnunquam exoritur. Cognoſcitur viſu. Oritur à ſanguine viſcido, & pituitoſo eodem confluente; & mollem, ac laxum tumorem, qui apertus mucum ovi candido perſimilem de ſe dat, excitante. Curatur aut topicis remediis; inter quæ ol. vitriol. cum melle roſaceo prævalet: aut Chirurgica operatione; quam linimenta ex tragac. torrefacto cum radice hermodactylorum, & albumine ovi, vel gargariſmata, excipere debent.

Nigredo. *Art.* 2235. Nigrities cum ſcabritie, & ſciſſura aliquando oritur ab igneis vaporibus, & exhalationibus in febri præſertim ardente. Ablui debet lacte caprino, aut Canino; foveri mucilagine ſeminum pſylii, & cydoniorum, collui aquis refrigerantibus, cum lapide prunellæ.

Paralyſis. *Art.* 2236. Paralyſis contingit linguæ, vel toti, quo caſu ejus nervi prorſus impediuntur, qui a ſeptima cerebri conjugatione prope ſpinalis medullæ initium derivantur; gravis etiam Apoplexiæ metus impendet. Vel ejus parti ſive dexteræ, ſive ſiniſtræ, ſeu vitio nervorum ſeu ſpirituum. In ejus curatione præmiſſis univerſalibus laudantur ſalis margarit. gr. x. in vino malvatico; ol. Roriſmarin. cum rotulis diaambræ vel diacaſtorei; Aqua vel ſpiritus ceraſorum nigrorum, frictio linguæ cum foliis tabaci, ſemine Erucæ & Theriaca. Vide & electuar. Solenandri in conſiliis.

Blæſitas. *Art.* 2237. Balbuties & Blæſitas infeſtant, aut ex ebrietate; aut linguæ mala conformatione; brevitate; nimia craſſitie: aut ejuſdem immodica ſiccitate; aut nimia humiditate. Difficulter tollitur.

Art. 2238. Aphonia oritur, vel naturæ conformantis vitio: vel a confirmata paralysi. Curatio ut paralysis. Valet aq. lil. convall. Lavendulæ, cum sanguine Turturis, ol. anisor. & spirit. vitriol. *Aphonia.*

Art. 2239. Gustus læsio fit 1. eo imminuto, vel abolito, seu nervis mollioribus a tertia conjugatione exeuntibus perfrigeratis; seu ea cerebri parte unde exeunt affecta. Prodest sectio venæ sub lingua; nec non ea, quorum in Aphonia & Paralysi facta est mentio, 2. eo depravato, ut alienus sapor percipiatur, quod fit, cum vel linguæ corpus, vel quæ ipsum vestit membrana, tetro humore imbuitur, qui vel solus, vel liquore eorum, quæ eduntur, vel bibuntur dilutus, in linguæ corpus, mollesque nervos penetrat; tumque vel sasus, vel amarus, vel acidus, pro ratione exhalationis, & humoris sapor gustu percipitur. Laudatur rasura linguæ cum radice Zedoariæ, vel gentianæ, raphanus sale conditus ante cœnam masticatus, eluto postea ore vino &c. *Gustus læsus.*

DENTIUM & GINGIVARUM MORBI.

Art. 2240. Dentium caries & nigredo fit a nimis calidis, frigidis, dulcibus, acidis fumis, ex mercurio, a scorbuto, &c. *Dentiũ caries & nigredo.*

Art. 2241. Vitanda ergo sunt antedicta, & dentes a cibo repurgentur, & vino eluantur. *Pumex* bis vel ter ignitus, & vino albo extinctus, & in pulverem subtilissimum redactus albissimos facit dentes; quidam solo pulvere *panis usti* utuntur, qui optimum & tutissimum est dentifricium. *Cinis nicotianæ* est turpe medicamentum, sed dentes reddit albos. Ad dentium sordes tollendas, & colorem vitiosum emendandum varia extant dentifricia in practicorum libris; ℞. *Os sepiæ* ℥j. *rad. pyreth. lapid. pumic. alum. ust. ana* ℈j. *cinam. lign. aloe, tart. vin. rhenan. ana* ʒß. f. pulv. *Curatio.*

f. pulv. subtilissimum. Pro usu domestico pulv. *panis usti* ad dentes mundandos sing. auroris, & postea opiatum sequens usurpandum, ℞. *Pulv. flor. ros. rub.* ʒij. *myrrh. elect.* ℈ij. *alum. ust.* ℈j. *sacchar. saturn.* ʒj. *cremor. aq. calc. supernatant. opobalsam. ana* ʒij. *aq. hungar.* q. s. misce. Post usum hujus abluatur os cum vino rubro.

Curatio. *Art.* 2242. In dentifriciis usurpandis optime cavendum est, ne crebrior & durior attritus gingivarum, eas atterat & absumat.

Dentiũ vacillatio. *Art.* 2243. Ad dentes firmandos valet solutio *terræ japon.* ʒij. in vin. rub. ℔ß. pro lotione (inquit *Boyle* multis in locis) conducit etiam *gum. lac.* quocunque modo usurpatum.

Gingiva putrida. *Art.* 2244. In gingivis putridis & dentium vacillatione inde orta, ℞. *Gum. lac.* ʒij. *cremor. aq. calc. supernatant.* ʒj. *alum. ust.* ℈j. *flor. ros. rub.* ℈ß. m. f. pulv. subtilissimus cum pauco *mel. ros.* usurpand. vel cum vino rub. gallico, in quo infusa sunt *fol. ros. rub. rad. tormentil.* &c. In graviori malo ad *unguent. Ægypt.* deveniendum est (vel *mel. unguent. Ægypt. supernatans*) plura videantur in cap. de scorbuto. De gingivis putridis & dentium vacillatione. Interim multum valet *tinctura gum. lac. Fulleri*. „ Præ reliquis autem quotcunque in libris inveniuntur, *pro dentibus firmandis, iisdemque, & gingivis a putrefactione conservandis, nec non oris fœtore præcavendo*, non datur præstantius remedium, quam *Masticatio foliorum Nicotianæ* modica quantitate: eo etenim sufficiunt grana quatuor pro una vice, idque tantum semel in die usurpandum per horæ quadrantem in ore detinendo. Interim super omnia improbandus est *turpissimus quorundam mos totis diebus masticandi*, non ad hos laudabiles fines consequendos; sed plane nescientium quare, forsan solummodo consuetudini indulgendi gratia.

Art.

Art. 2245. Oleum *Buxi* dentium dolores quosvis ad miraculum sedat (inquit *Riverius*). *Oleum origani* est in frequenti usu. *Pix liquid.* in ore detent. dolorem tollit, ut ab amico accepi. *Rad. pyrethri* in ore manducat. pituitam evacuat, & dolorem lenit. Decoctum *nicotianæ* in ore detentum dentium dolorem potenter sistit (inquit *Ettmullerus*). „ Sed ultra omnia, quæ hactenus novi, *succus* radicis *iridis luteæ* dolenti denti affricatus, vel ipsa *radix* in ore masticata in instanti quasi ex incantamento dolorem ex causa quacunque oriundum fugat. Communicator affirmat se quadragies ad minimium pari successu tentasse; ego etiam ipse sæpius expertus sum *& plurimi ex meo suasu idem fecerunt*: si dentis cavitas sit magna, imponi potest plumbum foliatum. *Dolores dentiũ.*

Art. 2246. Nonnunquam (inquit *Sennertus*, & ipse idem plus semel observavi) per dentium radices, & maxillæ foramina, per quæ vasa in eas subeunt, sensim extra effluit sanies e dente corrupto & *tubercula in mala* vel *mento* excitat, quæ nullo modo curantur, nisi dens extrahatur. Vide locum *p.* 262. *Vide etiam Cheselden*, Anat. *p.* 10. *Notabene.*

Art. 2247. Decoctum *sabinæ* in ore detentum vermes dentium elicit, ut auctor est *Ettmullerus*. *Vermes dentiũ.*

Æginetæ sententia.

Art. 2248. Dentium absque gingivarum phlegmone cruciatus, interdum quidem in suo corpore, nonnunquam vero in nervo, qui ad dentes pertinet, fieri consuevit. Validissimis igitur opus habet remediis, quocirca pleraque ipsorum aceto quam acerrimo componuntur. *Dentiũ dolor proprius.*

Dolor ex inflammatione gingivarum. *Art.* 2249. Cum vero gingivæ propter phlegmonem dolore infestantur, omnium præstantissimum medicamentum est oleum lentisinum, bene temperatum, ore retentum. Esto id autem recens, quoniam vetus tantum bonitate recenti cedit, quantum vetustate superat. Communis autem etiam in præsentiarum observetur medendi ratio; ut prius qui toto corpore modum excedit humor, evacuetur.

Dolor ex acri defluxione. *Art.* 2250. Ubi vero ex fluxu dentes dolore conflictantur, myrti, & lentisci, & gallæ decocto, aut rhu Syriaci, aut florum agrestis punicæ, aut malicorium jure colluito. Applicatis salis portionibus duabus aluminis tosti & aceto extincti levigatique parte una, postea vino colluantur.

Ad gingivas cruentas remedia. *Art.* 2251. Gingivis cruentis tenue alumen inspergitur, aut aloe, & vino colluuntur, aut rubi radice vino elixata, aut rhu Syriaco. Gingivas vero cruentas, & defluxione pressas, salsamenti crudi in olla ad carbones usque deusti, cinere attingito. Aloe porro dentes concussos, si inspergatur, firmat, aut fissile alumen, aut galla, aut rubi radix per se, vel in vino elixa.

Remedia varia. *Art.* 2252. In exesam dentis cavitatem styrax cum opio inditur, aut galbanum, aut sulphur ignem non expertum cum lycio; Philonis præterea antidotus denti illita, indolentiam conciliat.

Remedium dentes dealbans, gingivas restringens, & jucundum oris odorem præstans est. ℞. Pumicis, salis assi, iridis ana ℥iv. Cyperi ʒv. Spicæ nardi ℥j. piperis ʒvj. levigatis utere.

Ad dentium stuporem portulaca manducata juvat, aut oleum ex nondum maturis olivis expressum, infricatum. Idem facit amurca in eneo vase usque ad mellis constitutionem decocta.

Contra gingivas exesas. ℞. Flor. rosar. ʒviij. galla-

gallarum ℥iv. myrrhæ ʒij. misce. Item lac asininum, olivæ foliorum decoctum, acetum scilliticum.

Heisteri sententia.

Art. 2253. Interdum ita graves atque pertinaces dentium dolores sunt, ut nullis omnino medicamentis deliniri queant. Itaque ab ipsa manu petere sanitatis præsidia convenit: vel enim 1. sedantur scarificatis gingivis; quod Plinius jam olim notavit, & frequens usus confirmavit, 2. vel ferramentum aliquod candens, atque huic scopo accommodatum in exesos dentes ea ratione demittendum est, ut dempto dolore, ne iterum expergiscatur, foramen vel cera vel auri plumbique brachiis impleatur; vel 3. carie altius penetrante per conspicuum foramen ol. caryophyllorum, cinnamomi, vel ligni guajaci, oleum aut vitrioli spiritus instilletur, 4. vel lobus post aurem positus, *Antitragum* Anatomici vocant, ferro adurendus, scalpellove incidendus vel digitis vehementer comprimendus, vel denique, 5. dens iste corruptus, atque dolens eximendus. *Graviores dentium dolores curandi ratio.*

Art. 2254. Nonnumquam ex vehementioribus dentium doloribus tumores graviter dolentes, cum inflammatione ipsarumque malarum tumore, modo minore, modo majore, in gingivis proveniunt. *Parulidas* Græci appellant, qui aut neglecti aut digerentibus non cedentes in abscessum aut fistulam quandoque degenerant. *Parulidæ quales?*

Art. 2255. Igitur si recens adhuc tumor est, longe optimum videtur ad dolores, ob quos ægri dormire nequeunt, leniendos, tumoremque digerendum chamæmelum, salviam, flores sambuci, aliasque id genus herbas in aqua vel lacte coquere, calidumque liquorem ore diu detinere. Quodsi vero resolutio obtineri nequeat, emollientibus opus est, althæa scilicet, malva, ver- *Earum curatio.*

bafco, ficubus aliifque fimilibus cum lacte coctis, & crebertime ore retentis. Simul atque mollities fuppurationem fignificat, ftatim tuberculum vel fubcrudum etiam incidendum, ne mora ducta peffimas fiftulas faciat. Admotis digitis materia corrupta diligenter exprimi debet, ulcufque apertum fubinde vel vino calido, vel decocto ex agrimonia, & hyperico cum admixto rafarum melle colluendum. Tunc enim fua quafi fponte vulneris oræ coibunt.

Curatio fiftulæ gingivarum. *Art.* 2256. Quodfi autem in fiftulam, cui offis caries fæpe conjuncta eft, ulcus degenerat, tum poft injectionem fupra dictorum liquorum olei myrrhæ per deliquium, vel elixir. proprietatis portiuncula inftillanda five immittenda eft pro vulnere non tam expurgando, quam glutinando. Si demum omnia hæc medicamenta nihil proficiunt, fcalpello incidere fiftulam oportet; ipfamque ante omnia cariem vel medicamentis, vel radula, vel denique ferro candenti eximere, & fi dens aliquis exefus fiftulam hanc facit, eximi prius debet, quam fiftulæ medicina conveniens adhibeatur.

AURIUM MORBI.

Ettmulleri fententia.

Inflammatio & ulcus aurium. *Art.* 2257. In inflammatione & ulcere aurium adeft infignis ardor in aure, & dolor tenfivus, & pulfatilis vehemens cum rubore, quandoque, conjuncta eft febris, interdum delirium, & motus convulfivi.

Methodus curandi. *Art.* 2258. Infenfibiliter difcutitur, vel fuppuratur; convenit *venæfectio*, item *fudorifera* tanquam in aliis inflammationibus. Externa non nifi cum cautela funt ufurpanda, fomenta tamen

ex

emollientibus & *discutientibus* sunt proficua. Si discuti nequeat, ad *suppurantia* accedendum est, ut *cepa sub cineribus* assat. pulv. *rad. lilior. alb. caric. ping. ol. cham. amygd. amar.* &c. Ulcere rupto, si pus effluens sit album, æquale, &c. melius est, quam si sordidum, saniosum, &c. fuerit; sufficit, si modo mundus servetur meatus auditorius, id quod optime mediante *urina humana* assequimur; si ulcus fuerit sordidissimum urinæ addi possunt succus *cepæ* & *mel rosar.*

Art. 2259. Otalgiæ, sive auris doloris causa frequentissime est inflammatio, de qua modo dictum est; interdum vero ab acri humore provenit, ubi non est adeo insignis ardor & pulsatio. Fumus *nicotianæ* cum fistula inversa auri immissus valet ad dolorem compescendum, item *millepedes in ol. communi* vel *amygd. amar. infusi*, & *ol. scorpion.* *Otalgiæ curatio.*

Art. 2260. Si dolor aurium a vermibus fuerit, dolor tunc vage lancinans, hinc inde rodens percipitur: educendi sunt vivi, aut intus enecandi; *lac tepidum* auribus immissum dulcedine sua vermes allicit, ita ut prodeant: succus *absynthii* interficit, vel angit eosdem, item *oleum nucleorum persicorum, vel amygd. amar. diacolocynthidis Quercetani* cum granis aliquot *mercur. dulc.* item *elix. propriet. argentum vivum* in aq. appropriata incoct. &c. *Vermes in auribus. quid agendum sit.*

Art. 2261. Tinnitus aurium frequentissime est affectus chronicus & valde molestus, interdum in omnimoda surditate terminatur; raro curatur, sæpe recidivat. *Tinitus.*

Art. 2262. Præmissis universalibus, suffitus ex *succino, olibano,* & *gum. animæ* est egregius; *spiritus sal. armoniac.* cum bombyce in aurem immissus tanquam singulare a *Lindano* laudatur; item *fel lucii piscis, ol. castor. zibet.* &c. in usu sunt.

Langii sententia.

Otalgiæ curatio ex inflammatione. *Art.* 2263. Curatur Otalgia iisdém plane remediis internis, ut aliarum partium dolores, vel exquisiti, vel nothi; adeo ut de illis nihil peculiare monendum adsit. Notentur itaque solum topica Auctoribus experta, uti sunt ol. lil. alb. amygdalar. amarar. lumbric. terrestrium, asellor. scorpion. ovorum vel sola, vel cum albumine ovorum conquassata, butyrum non salitum, medulla crurum vituli, lac muliebre, vel vaccinum, vel solitarium, vel cum tantillo thuris, succ. semperviv. maj. cum grano uno, vel altero camphoræ, fotus ex decocto betonicæ, chamomill. majoran. rorismarini, mentastri, serpilli vel recent. fol. tabaci, item capparum decoctum.

Postquã in abscessũ degeneravit. *Art.* 2264. Cum dolor ex horum casu nondum cessarit, narcotica implorari debent, scilicet oleum hyoscyami expressum, crocus, & opium, quæ cum modo recensitis combinata divinum prorsus exerunt effectum: caveas modo, ne nimio usu cum dolore omnem simul illarum partium sensum tollas.

Hac methodo cura Otalgiæ est instituenda, quamdiu inflammationem scimus adesse, quando autem illa in abscessum abiit, & a puris acrimonia nunc dolor dependeat, immutanda illa paululum erit, sceligendo loco anodynorum, & refrigerantium maturantia, & consolidantia. Interne decocta vulneraria externe oleum hyperici, momordicæ, balsamum peruvianum, vel sulphuris, mel rosatum, aut syrup. absynth. cum lacte caprino ex commendatione Marcelli Empirici. Debent tamen hæc externa, quod de prioribus quoque observandum, semper calefacta paululum auribus instillari, alias ex illis, si dolor majus augmentum capiat, mirum non est.

Art.

Art. 2265. Distinctus ab Otalgia est dolor a vermibus, vel intra aures ex ulcere genius, vel ab extra irrepente musca, aut pulice originem sumens. Ut igitur discas quid hic agendum: observa, illa insecta, quæ majora sunt, nec adeo profunde irrepserunt, volsella commode, quæ vero minora, ut pulex, vel crinium fasciculo intruso, vel cum bombace terebinthina, vel melle illita extrahi posse. Quodsi vero non amplius in atrio hæreant, sed profundius se jam receperint, duplex iterum via adest curationis, nunc enim lac cum Saccharo edulcoratum, & externe aurium meatui affrictum, aut cum spongiola applicatum, vel per ficus inversas, vel lardi frustulum, aut scorpionum oleo eliciuntur; nunc si illecebris his se allici non patiantur; per amara & acria, succum & decoctum absynthii, centaur. minor. mentastri, fol. persici, rutæ, fel animalium, aloen, colocythiden, succum ceparum, ol. ligni coryli in ipsis auribus interficiuntur, & postmodum auriscalpii *Hildani* ope facile educuntur. *Otalgiæ curatio ab animalculis illapsis.*

Heisteri sententia.

Art. 2266. Solent interdum in aure, vel cerumen nimis indurescere, vel aliquid in ipsam incidere, ut pisum, faba, calculus, nucleus cerasi, & quid hujusmodi. Si calculus, aut cerasi nucleus intus est, lubricari ante omnia lacte seu oleo tepido instillato meatus auris debet, mox autem vel specillo quodam, vel & volsella quam providissime extrahi. Quodsi vero pisum, faba, vel aliud quidquam hujusmodi in aurem incidisse, atque nimis jam tum ab humoribus intumuisse advertitur, promptissimum auxilium in eo positum est: ut nisi volsella, vel specillo ejici queat, *Quomodo heterogenea in aurem illapsa extrahi debeant*

demisso scalpello exiguo tumefactum corpus illud caute dividamus, ipsasque particulas aliæ, post alias protrahamus. Quoties cerumen induratum magis ac naturaliter debet induruit, ac exsiccatum est, audiendique usum impedit; longe optimum esse consuevit, olivarum aut amygdalarum olei, sive lactis quoque calidi pauxillum in aurem instillare, hominique, ut in partem adversam caput inclinet, præcipere; post aliquot minuta elapsa, specillum quodam auricularium demitti paulatimque ejici, quicquid materiæ noxiæ intus est, oportebit.

S U R D I T A S.

Riverii sententia.

Surditas. *Art.* 2267. Surditas & gravis auditus secundum magis, & minus tantum differunt; eo affecti ægre sonum percipiunt; auris afficitur vel in exteriore vel inreriore parte. Meatus auditorius interdum *cerumine* vel alia quavis sorde ob-

Causa. turatur; in interiore parte auris affici potest humoribus in cavitate collectis, qui frequentius *pituitosi* sunt.

Curatio. *Art.* 2268. Obturatio externæ aurium cavitatis oculis ipsis dignoscitur, si ad solem cavitatem introspicias. „ Pro cavitate externa eluenda „ uti licet decocto *folior. salviæ* & *flor. rorisma-* „ *rin* in p. æ. aq. & vin. alb. facto, quod cum sy- „ phone prudenter inijciatur. Nihil æque conducit in surditate a causa interna etiam post centum remediorum usum, quam ut æger præmissis præmittendis *sulphureis balneis* caput madefaciat, sedeat sub canali balneorum, & verso epistomio, aquam accipiat. *Ova formicarum* contrita & cum succo *cepæ* in aurem infusa quam vetustissimam

surditatem persanant. Si affectus sit contumacissimus post omnia incassum tentata excitare licet *ptyalismum* ex inunctione mercuriali.

Ettmulleri sententia.

Art. 2269. Inter remedia externa in surditate prae reliquis granum unum *mosci*, vel *ambrae*, vel *zibethi* cum bombyce involutum, & vesperi auribus immissum est optimum remedium, praecipue in senibus; laudatur etiam *fel anguillae* cum *spiritu vini*, & *fel perdicis* a *Lindano* liquor ex ovis *formicarum* expressus, si quid aliud, admodum confert. Sunt qui valde commendant suffitum ex *sulphure* mediante fistula in aurem transmissum; extremum remedium est salivatio. *Vapor auricularis Fulleri.* *Remedia externa.*

Junckeri sententia.

Art. 2270. Meatus auditorius clausus sequenti ratione tractatur: Frequens est infantibus recens natis, membrana exterior, sub ingressu meatus auditorii posita, quae tympanum ab injuriis externis defendit, donec meatus sufficiens robur acceperit. Quando autem haec membrana, vel propter nimiam crassitiem, vel ob aliam causam tempestive non rumpitur, praeternaturalis evadit. Ad hoc incommodum tollendum Auctores modo causticum potentiale, modo actuale, modo incisionem commendant. Merito autem praefertur incisio; de qua tamen nihil magis monendum, quam quod membrana modeste, & cruciatim incidenda sit. *Operatio ad meatum auditorium clausum.*

Art. 2271. Quo propior autem est membrana tympano, & majore circumspectione incisio peragenda est. Brevis enim est meatus auditorius *Monitus & cautela.*

in infantibus; & facile hinc læditur, quando justo profundius incisio instituitur. Facta incisione meatus cannula, vel turunda apertus servatur, donec illius cutis plane coaluerit. Quando autem caruncula meatum claudit, & hæc multum extrorsum prominet, extrahi forsan poterit methodo, qua usu est Hildanus cent. III. obs. I.

Oethæi sententia.

Art. 2272. Surditates sæpe a sanguinis copia ad aurium radices delabente oriri in multis animadverti. Itaque non plane absurdum mihi videtur, cujusdam Bavarici balneatoris mihi noti, auxilium, quo multos a difficultate audiendi eum liberasse, sermone plurimorum ad me delatum est. Est vero illud ejusmodi. Jubet is balneator surdastros mane balneum ingredi, ut venæ, quæ retro aures sunt sitæ, balnei calore turgeant, eas postea ita turgentes secat, ac quantum videtur educit sanguinis, evidente utilitate eorum, quibus gravitas auditus molesta est.

Farrago sententiarum.

Remedia varia ad Otalgiã. *Art.* 2273. In doloribus aurium inquit *Hartmanus* folia Nicotianæ viridia, vel etiam arida sed iterum humectata, mirifice prosunt.

Ex cepis conficit *Forestus* cataplasma, quod auri dolenti appositum mirabile dicit. Sumit autem cepam sub cineribus coctam: huic contusæ addit ol. chamæmeli unc. j. sem. butyri recentis, & ol. aneth. ana unc. sem. Croci ℈. sem. simulque omnia permiscet. Id ipsum approbat *Zecchius*, & *Riverius* quamvis nonnihil ab ipso discrepent in dosi componentium.

Art.

Art. 2274. Ad surditatem gravemque auditum pro arcano habet *Prævotius* crocum, & caryophyllos cum succo cyclaminis. Admiscet autem cum his Th. Bartholinus aquam rosarum, atque gossypio in aures guttas aliquot calidas infundit. *Remedia ad surditatem & tinnitum aurium.*

Apud *Deodatum* refertur mirabile secretum ad surditatem, & tinnitum aurium ex vermiculis sub cortice quercino repertis, decoctisque in oleo omphacino, & postea in radice cyclaminis assatis. Et apud *Hertodium* memoratur aliud compositum ex oleo vermiculorum sub eodem cortice ligni quercus repertorum ad ℥j. sem. balsam. Peruvian. ʒ. sem. & olei stillat. croci gutt. vj. cujus deinde gutt. ij. vel iij. calidæ in aures cum gossypio instillantur.

Maximi quoque fit ad surditatem essentia castorei & croci, balsamum ligni guajaci, essentia fellis tauri, cum sp. vin. extracta, & balsamum sulphuris. Itemque essentia lavendulæ, & castorei; nec non succus Sampsuchi, ejusque oleum destillatum.

Art. 2275. Interne vero commendatur decoctum radicis Asari, sal volatile succini, ejusque essentia. Conveniens item foret aliquod catharticum præsertim extractum catholicum, aut Hellebori, si corpus succiplenum videatur: siquidem ex *Hippocrate*: *Qui surditate laborant, supervenientibus biliosis dejectionibus liberantur*, quamvis de surditate febrientibus contingente id intelligendum esse commentetur, *Galenus*. *Remedia interna ad surditatem.*

UVULÆ RELAXATIO
sive Procidentia.

Art. 2276. Gurgulio seu uvula est glandula pendula ad formationem, & modulationem vocis conferens, quæ defluxionibus, æque ac aliæ *Uvula relaxatio.*

glan-

glandulæ, obnoxia est; si infra tumeat, supra gracilis evadit. E palati extremo propendet, inque fauces & gulæ caput fertur, itaque hæc loca titillatione quadam afficit, metuque præfocationis sollicitat.

Celsi sententia.

Uva prolapsa excisio. *Art.* 2277. Uva si cum inflammatione descendit, dolorique est, & subrubicundi coloris, præcidi sine periculo non potest. Solet enim multum sanguinem effundere. Itaque melius est his uti, quæ alias proposita sunt (Lib. VI. cap. 14.) Si vero inflammatio quidem nulla est, nihilominus autem ea ultra justum modum a pituita diducta est, & est tenuis, acuta, alba, præcidi debet. itemque si ima livida, & crassa est summa vero tenuis. Neque quicquam commodius est, quam volsella prehendere, sub eaque quod volumus excidere. Neque enim ullum periculum est, ne plus minusve præcidatur, cum liceat tantum infra volsellam relinquere, quantum inutile esse manifestum est; idque præcidere, quo longior uva est, quam esse naturaliter debet.

Riverii sententia.

Causa. *Art.* 2278. Humor pituitosus in columellam defluens, eam humectat, emollit, & relaxat, ut longior facta partem superiorem œsophagi tangat, & nauseam pariat.

Curatio. *Art.* 2279. Evacuantia universalia eadem esse debent ac in *catarrho*. In principio *topica astringentia* & *repellentia* conveniunt, quemadmodum in curatione *anginæ*, quibus postmodum *resolventia* & *exsiccantia* erunt admiscenda: Remedia autem forma pulverum potius quam liquido-

rum

rum sunt ut plurimum utiliora & efficaciora, præsertim si nulla adsit inflammatio. Excisio est ultimum remedium, sed cum suprema cautione admolienda est; nam valde periculosa est (inquit *Hippocrates Progn.*) de qua operatione videantur authores chirurgici. *Excisio.*

„ Audiamus *Tulpium*. A medicis *prolapsus pa-*
„ *lati* vel omnino prætermittitur, vel leviter tra-
„ ctatur; & tamen vitium est non minus grave
„ quam rarum. Vidi equidem tumorem hunc in
„ palato celeri gressu exortum, ut vix licuerit
„ cogitare de *Gargarismate*, ne dum de aliis au-
„ xiliis, præterquam de sola *scalpelli incisione*,
„ qua dextre & festinanter id temporis instituta
„ videmus non modo effluxisse inde plurimum
„ aquæ, sed detumescente palato ad se rediisse
„ hominem extinctioni jam proximum. Unum ex
„ optimis remediis pro uvula prolapsa est *semen*
„ *cannabis* in posca parum coctum pro gargaris-
„ mate (inquit *Ettmullerus*). Proficua quoque *Remedia*
„ esse possunt sequentia pro arbitrio vel potius *varia.*
„ judicio periti medici usurpata; *decoctum cate-*
„ *chu*, *decoctum rad. tormentil. cum pauco sale ar-*
„ *moniaco*, *&* *alumine crudo*, *gargarisma pro uvu-*
„ *la*, *pulvis uvularis*.

Heisteri sententia.

Art. 2280. Tolli autem variis modis uvæ pars supervacua potest. Primus modus est per vincturam. Huic perficiendæ, quia manus haud sufficiunt, proprium instrumentum aliquod extat destinatum: quale quidem ex *Hildano* & *Sculteto* Tabula repræsentavimus. Hujus ope instrumenti vinculum in uva relinquitur, firmiusque inde per dies singulos adstringitur, donec uvæ pars inferior decidat. Sed ista quidem curandi ratio, *Primus modus excidendi uvã.*

quam-

quamtumvis satis ingeniosa sit, tarda nimis est, neque homini ægro tantum, sed chirurgo etiam molesta.

Alter modus qui is est Celsi. *Art.* 2281. Paulo promptior ea curandi ratio videtur, si lingua per specillum planum sive spathulam prius depressa tantum ex uva per forficem longiorem exciditur, quantum supervacaneum esse cognoscitur. In quo equidem negotio illud in primis videndum est, ne justo vel major vel minor pars, quam naturaliter decet, remaneat. Justo major etenim si remanet, ægro molesta & parum utilis operatio est; justo minor autem si relinquitur sermo plerumque corrumpitur.

Instrumento facilius absolvēdus. *Art.* 2282. Quando vero quis manu tam strenua instructus non esset, ut oris spathulam cum forfice quam exactissime simul continere valeat, nonnullis optima, atque commodissima curandi ratio est, quæ fit per illud instrumenti genus, quod a rustico quodam Norvvegico adinventum *Bartholinus*, ut & *Scultetus* accurate satis descripserunt. Nimirum cultellus aliquis proprius ad ferramentum quoddam latum, idemque in anteriori parte perforatum ita firmatur, ut post emissam, quæ ferramento juncta est, lamellam elasticam, quam celerrime prorumpat, uvæque partem inutilem præcidat. Tametsi cl. *Ravius*, ni fallor, instrumentum illud sic immutavit ut per ansas manu sinistra in ore contentum linguam simul quam aptissime deprimeret, atque tunc oris specillo opus non sit.

Operatione absoluta quid faciendum. *Art.* 2283. Uvæ parte supervacua hunc in modum præcisa, haud alienum est sanguinem paulisper fluere pati, dehinc autem cum ad cohibendum sanguinem, tum ad partem ægram fovendam, ex vino calido, eodemque præsertim rubicundo, si haberi potest, vel aceto etiam aut oxycrato calido, diligenter gargarizare. Si nihilomi-

lominus fluere ſanguis pergit, pulvere aluminis per admotum cochleare cohibendus; vel & priſcorum chirurgorum more, ferramento quodam calente, ſed nondum tamen candente, dum ſanguis conquieſcat, contingenda.

Art. 2284. Quoties autem, prout fieri haud raro ſuevit, affectus aliquis venereus uvam ſimul infeſtat, id ſibi datum Chirurgus exiſtimet, ut non a manu ſolum, ſed a medicamentis quoque convenientibus ſanitatis præſidia petat, alias optatum finem non obtinebit.

A P H T H Æ.

Boerhaavii ſententia.

Art. 2285. Aphthæ ſunt parva, rotunda, ſuperficiaria ulcuſcula os interdum occupantia; ſunt enim exulcerationes ultimorum emiſſariorum, hinc occupant omnia loca, ubi talia emiſſaria hiant; adeoque labia, gingivas, genas internas, linguam, palatum, fauces, tonſillas, uvulam, gulam, ſtomachum, inteſtina tenuia, (ad anum uſque) ubique fere eadem ſpecie. Præcedere ſolent, febris, incipiens cum diarrhœa vel dyſenteria, nauſea, appetitus proſtratus, præcordiorum anxietas, debilitas magna, evacuatio notabilis, ſtupor, ſomnolentia. Varius eſt aphtharum color, albus, fuſcus, flavus, lividus, niger, quarum poſteriores ſunt pejoris notæ. Sapor omnis aboletur; adeſt plerumque oris ſiccitas, interdum cruſtis deciduis, ſalivatio vel diarrhœa adoritur, imo dyſenteria ex vaſorum dilatatione. *Aphthæ quid. Et quas partes occupāt. Varius aphtharum color.*

Art. 2286. Ut curetur optime hoc malum, exhibenda ſunt *calida*, *diluentia*, *reſolventia*, & *abſtergentia*, ut cruſta in facilem citumque la- *Curatio.*

pſum

psum disponatur; simulac lapsus conciliatus est, tum *anodyno*, *demulcente*, & simul parum *corroborante* medicamento utendum, uti *gelatin. C. C.* vel seq. ℞. *Aq. rof. stillat. syr. papav. alb. ana* ℥ij. *vitel. ovor.* ij. Misce, hujus pauxillum ore assiduo contineatur. In fine dandum est *cathartic. corroborans ex rhabarb.* &c.

Ettmulleri sententia.

Aphthæ unde. *Art.* 2287. Aphthæ succedunt frequentius febribus ingentibus, aliquando oriuntur ex vitio salivæ, & cruditate ventriculi. Aphthas futuras in morbo cognoscimus ex sopore & singultu, qui toto morbi decursu non dormiverunt, in soporem incidunt, & tunc aphthæ prodeunt. Singultum accidit, si sint ex ventriculo, & tunc plerumque sunt deteriores.

Curatio. *Art.* 2288. Nil pejus quam sæpius purgare in hoc malo. Tota curatio consistit in *humectatione*, quæ emolliat, & leniter calefaciat; optimum est *decoctum raparum cum nitro*, item *decoctum herb. bellidis major. cum ficubus & sal prunel.*

Platneri sententia.

Aphtharum accuratior descriptio. *Art.* 2289. Aphthæ dicuntur oris ulcera minora mucosa, quæ oriuntur, si minores fistulæ, per quas varius humor in os defluit, a lento vitiatoque humore exulcerantur. Non solum os, sed quoque fauces, stomachum, ventriculum, atque etiam intestina infestare solent. Sunt quandoque cum inflammatione, malaque febre, præcipue, si ventriculus, atque stomachus inflammatur, in quibus casibus illæ mortem denunciant, maxime si aphtæ in elatiorem crustam degenerant, & hæc ab inferioribus faucibus quasi adscendit. Sæpe

igitur

igitur etiam aliis febribus accedunt, & tabidos quoque ac phthisicos non parum excrutiant. Si vero alienum, obscurumque colorem accipiunt, plerumque gangræna subest, quæ mortis index esse solet. Nec sine periculo sunt, quæ resolutæ celerius renascuntur. Morbus in locis paludosis, maxime in Belgio, frequentior, & quasi endemius esse solet. Infantes crebrius iis laborant, si lacte vitiato aluntur, & hoc in ventriculo coacuit.

Art. 2290. Si aphtæ ex mala, ardenteq; febre nascuntur, huic ante omnia succurendum est. Plurimum valent omnia, quæ corporis humida nimio æstu coacta diluunt atque tenuant. Dari & crebrius in ore contineri debent decocta ex emollientibus, atque hordeo, cui adjiciuntur syrupi de althea, violarum, & capillorum veneris, vel loco horum oxymel. Sunt, qui rapas contritas coquunt, bene despumant, atque ægro dant, quem monent, ut ea, antequam devoret, quam diutissime in ore contineat. Etiam radix glycyrrhizæ, sarsaparillæ, herba capilli veneris, flores verbasci, malvæ, ex aqua, vel lactis sero coquuntur. Prosunt etiam cremores ex amygdalis, & semine papaveris parati, ut & gelatina ex cornu cervi, cui quamplurimum succi acidi adjici debet. Gelatinas tamen ardentibus febribus non satis idoneas esse, medici non ignorant. *Earumdem in febre ardente curatio.*

Art. 2291. Hæc omnia vero, quæ emolliendi facultatem habent, prosunt, si in ore diutius continentur. Ex iis etiam recte fiunt gargarizationes, nec non lotiones subter in alvum dandæ. Inter remedia etiam est nitrum, & sal prunellæ, si multa aqua diluuntur. Præterea satis efficax ad mucum ex faucibus detergendum est medicamentum ex moris, vel ex nucibus, roob diamorhon & dianucum nostratibus dictum, quod melle cum rosa excipi, & mediante penicillo ulceribus illini potest. Et *Remedia varia.*

his

his commode pauciores guttulæ spiritus vitrioli adjiciuntur, ut ad purganda hæc ulcera, & resolvendas mucosas crustulas medicamentum validius sit. Infantibus, si aphtæ sine febre sunt, proficit rhabarbarum, & si victus lactantis mutatur.

Farrago sententiarum.

Laudanum ultimum remediū. *Art.* 2292. *Spiritus vitrioli vel sulph. melli rosaceo* permistus in pueris ac adultis a *Riverio* commendatur; si vero morbus sit valde pertinax (inquit idem) & humorum fluxus copiosus, adeo ut vita sit in summo periculo, extremum remedium est *Laudanum*, quod dolorem sedat, & humorum fluxum inhibet.

Cortex peruv. *Art.* 2293. Post febrem aphthæ, vel singultus, vel horum utervis, si non sponte facessat, sed in longum tempus decurat, facile fugatur usu *corticis peruv.* Usurpari potest ad os colluendum gargarisma sequens ℞. *Succ. pomorum agrestium* (omnium opt. *Cochagee*) ℔ß. *syr. de rub. idæ.* ℥j. m. *Sydenham. sched. mon.*

Remedium singulare. *Art.* 2294. „ Sequens omnibus remediis, quæ
„ hactenus expertus sum, multis parasangis ante-
„ cellit in hoc morbo vincendo ℞. *Terr. japon. pul-*
„ *verisat.* ʒiij. *coq. in aq. calc.* ℥xij. ad tertiæ partis
„ consumptionem, colaturæ add *sacchar. saturn.* ℈j.
„ *mel rof.* ℥ij. capiat æger coch. j. singulis horis vel
„ sæpius, teneatque paulisper in ore & sensim de-
„ glutiat: est remedium vero aureum. Videantur
„ plura in cap. de infantum morbis. (3052.)

GUTTA ROSACEA.

Ettmulleri sententia.

Gutta rosacea. *Art.* 2295. Gutta rosacea est rubor faciei tuberosus, pustulosus, guttis interdum sanguineis similis, qui nasum sæpe & genas inæqualiter & valde tingit, potatoribus satis frequens est; ut plurimum ad mortem usque comitatur. Præmissis universalibus conveniunt *saturnina*, &c.

Tur-

Turneri sententia.

Art. 2296. Gutta rosea seu rosacea ita dicitur a parvis rubicundis quasi guttulis, sive tuberculis igneis per universam faciem, & præcipue nasum, hinc inde sparsis. Appellatur etiam *rubedo maculosa*,, rectius vero, me judice, INSIGNIA „ BACCHANTIUM FLAGRANTI FULGORE „ RADIANTIA. Est morbus profecto apud *Damnonios* & *Belgas* maxime familiaris & fere „ *Endemius* ob pravam bibendi consuetudinem. " Tres gradus a quibusdam numerantur, viz. *Rubedo simplex*, *rubedo pustulosa*, & *rubedo ulcerosa*; „ facies & nasus aliquando in molem prodigiosam supercrescunt, adeo ut vultus aspectu horifico plane tremendus & monstruosus evadat. „ Novi quendam hoc morbo *gloriose* affectum, „ cui inter procula, quibus liberrime indulsit, „ sanguis per ipsam cutem variis in locis exilire „ consuevit, & ubertim confluere, quod per aliquot momenta potationis negotio impedimento esse solebat; mox vero suppressa hæmorrhagia, ut canis immundus vel amica luto sus ad „ sordem & illuviem se recipere solent, ita ille „ ad carissimam compotationem lætus redibat, „ ibique commorari solitus, donec vultum in *terrem* accenderet, tantum non ignem undequaque spargentem, ipsis tenebris fulgentem.

Morbi nomina & descriptio.

Ad gradum eminentē provectus.

Art. 2297. Agnoscendum est interim hunc morbum maxime abstemiis & temperatis interdum sed rarius accidere; ut plurimum enim spirituosorum liquorum ingurgitatione accersitur.

Sobriis raro accidit.

Art. 2298. Ut ad curam sternatur via, imperandus est *victus humectans & refrigerans*, & idem regimen observandum ac in *psora*, vel in *eruptionibus scorbuticis*; sed maxima adhibenda est cautela in his mutationibus faciendis; a liquoribus calidis & spirituosis ad victum tenuem & potum refri-

Curatio.

refrigerantem non est facilis transitus. Ex *antimonio & mercurio præparata* tam interne quam externe sunt maxime proficua. Author noster more solio quamplurima remedia ex *Sennerto*, *Mayernio*, &c. accumulavit, sed in calce monet se multoties opem tulisse singularem remediis facile parabilibus

Euporista. & minus pomposis, nimirum cum *sale tartari*, *nitri*, *acchar. saturni pomato* admist. *albumine ovorum* cum *frusto aluminis* aut cum granis aliquot *camphoræ* & *sublimat.* item *ol. myrrhæ*, sequens valde efficax perhibetur. ℞. *Ovum duriuscule coctum, eximatur vitellum & cum pulv. myrrh. elect.* suppleatur locus, & in cellaria suspendatur, ut per deliquium fluat: hoc etiam est *cosmeticum* insigne, ut & *unguentum faciale Bat.*

Remedia varia. *Art.* 2299. „ In eruptionibus pustulosis levioribus linimento sequente feliciter usus sum; „ ℞. *Ung. diapomphol.* ℥ß. *mercur. dulc.* ʒj. *alum. ust.* ℈ß. *ol. rhod. gut.* iij. *ol. ros.* q. s. misce. In graviori casu linimento & lotione sequentibus præmissis rite præmittendis; ℞. *Litharg. auri* ʒj. *acchar. saturn.* ℈j. *ung. pomat. fragrantissim.* ℥j. *ol. rhod. gut.* iv. *amygd. dulc.* q. s. m. f. linimentum pro locis in facie maxime affectis sing. diebus vesperi illinendis, ℞. *Aq. plantag.* ℥vj. *succ. limon.* ℥ij. *mercur. sublimat. gr.* xij. *camphor.* ℈j. infund. clause & calide per horæ dimidium, colatura sit pro lotione bis vel ter in die usurpanda. Hæc ultima est *Aq. divina Fernelii*, & sequens *Pitcarnii.* " ℞. *Litharg. aur.* ℥ij. *mercur. sublimat. corrosiv.* ʒj. *acet.* ℥x. *infund. per hor.* 12. *in vase stanneo sæpius agitando; post subsidentiam effundatur liquor limpidus. Usus tempore instillentur guttæ aliquot. ol. tart. per deliquium, donec lactescat.*„ In eundem finem adhiberi potest „ etiam *Aluminatum Bateanum* præmissis rite „ præmittendis.

Finis Partis Secundæ.